





ETHICA

EX MORIBUS ET CULTU

DOMINI IN CRUCE

AD

MORES SACERDOTUM

Relata

LIBRIS VII.

à

JOANNE VOSDASSI,

Presbytero,


Sac. Reg. Maj. Secretario.

EDITIO PRIMA.

SUMPTIBUS AUCTORIS.

Typis MONASTERII OLIVENSIS,
Anno M. DC. LXXVI.

Dono oblatus Auctoris gratis
Pro monte Argentino
1677. 4 Thris



ILL

D

Ar
ga



Vi



CELSISSIMO

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

DOMINO,

DN. ANDREÆ OLSZOVVSKI,

Archi-Episcopo Gnesnensi, Legato Nato Regni Poloniæ & M. D. L. Primati

Primoq; Principi

DEDICATIO.



NOn fiduciâ suî, neq; in decus CRUCIS tuæ scriptum hoc ante ejus pedes effundo. Vilius quàm ut famam Patroci-

nio, ſibi lucem circumdet. Argumento, ſtructurâ, auctore humilibus nullo habitu pro tua magnitudine. Ideo ſubierat primò Verecundia tuî, deinde mei ſtudii adeo tenuia calamo profeſſi. Succeſſit tamen mox ipſius verecundiæ rubor; cogitanti modica non ſtatim ſupervacua: ac ingenia plerumque citra exitum in majora efferri: poſtremò intempeſtivam erubeſcentiam vel minimæ religionis eſſe in eum qui pro nobis maxima non erubuiſſet. Ergo quod ſuo ductu ferebatur & à me defertur in proſpectum Archi-Epiſcopi, Legati Nati, Primatis, Primi-

que Principis, est Dominus à Cruce longiùs in honorem Actionibus Sacerdotum prolatus. Ex illis hæc ETHICA Zenonis, Theophrasti, Panætii argutiis procul quia & causis. Neque Universum morum genus, pars aliqua duntaxat, eo verbo quo ramenta metalli publicus sermo metallum dicit. Atq; iste titulus Tuis omnibus titulis vendicabatur. Inde enimverò Vicaria Legato Nato supra partes inspectio Vaticanis proxima arbitrio. Inde Primati inter occursus apud Patres intacta loci religio. Inde Regno & Interregno principatus ac penes te

forma : inde jus enuntiandi primò in Provincias Electi Regis nomen. Jam verò recenti Regno à te Coronæ ſceptra, gladii. Submiſſum inaugurantis manibus caput & corpus regale, & majeſtas per te ſacra. Tot honores tui unâ ſub CRUCE quia & de Cruce procedunt, ſeu Curiam intras publicus ſeu Eccleſiam, his faſcibus ſupra infulas & trabeas monſtraris. Ut conſidentibus Baſilicis ita Falcibus tuis Patriæ campo delaſſatis Crux in ſummum venit & ſummam Olſovianæ domûs benedictione ampliſſimâ.

Alter porro commentarioli

hujus paratus, Antiſtites & Sacerdotes cum laude memorati te adſpectabant. Illos ſui Archi-Epiſcopi judicio internoſci & manifeſtos Eccleſiæ cerni oportuit. Horum ego illuſtres vitæ & mortis reliquias per ſpatia carpſi traditurus quæſitiùs ubi flagrantem curam deſcribentium fides & diligentia cumulaverit. Magnâ hîc poſteritatis Eccleſiaſticæ injuriâ torpetur: cùm cæteris profesſionibus curæ ſit domeſtica fama, Sacerdotum ſecularium ignobilem memoriam jacêre nullo ſcriptore dante nomen: tanquam ſterilis & effeta in noſtro Ordine gratia

DEI nil pariat pro imitamento & immortalitate.

Te quoque principibus permiſtum agnoſces Cruciariis, quorum in cenſum tui labores, tua modeſtia, tolerantia tua in ſeruêre. Erat cùm per tuas inimicitias gloria quærebatur, cùm libido inceſſendi viros principes, quæ ſtultis libertas eſt, tuâ patientiâ abuteretur. Toleráſti hæc tentamenta inter vitia Reipubl. incompoſitæ, tanquam cœli injurias in templa etiam & altaria contumaces; optimâ inde ad Optimates diſciplinâ. *Dignitates non ſolas dignis venire, etiam indignitates.* An non ab hoc titulo

& aſpe-

& aſpectu tibi in ſuſcipiendis honoribus tarditas in ſuſceptis faſtidia? & novum cupiditati publicæ domeſticum apud te, rogari ad curules juberi infulas. Quoties denique hîc optimorum Præſulum notas, frequentata altaria, Eccleſiarum ſolicitudines, Cleri curam, modeſtiam ſupra honores, honores infra merita leges, Tuæ Celſitudinis elogia reputa obviâ Tuî in illis ſimilitudine. Habet enim hoc Tua virtus ſingulare quòd nihil ſingulare habeat: ita moribus antiquis & ad priſcam Patrum faciem intelligeris.

Accipe itaque hanc curam & in hanc animum quietum mentemq́ue benignam. Noſce doctis tuæ aulæ ſub penetralibus, inter ejus obſequia eductum laborem & omnia acta ſub Cenſura tua. Quæ dum Principis ante Crucem cadit hoſtia, tutelam & ſoſpitatem auctori impetret.



APPROBATIO
in
Diœcesi Posnaniensi.

EGo infrà ſcriptus legi Librum inſcriptum (*Ethica ex moribus & cultu Crucifixi D. in mores & CULTURAM Sacerdotum RELATA à Joanne Vosdasſi Presbytero Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretario*) in quo nihil à bonis moribus & Catholica fide alienum deprehendi: ideoq́ue approbari & in lucem dari poſſe permiſi. In cujus rei teſtimonium manu mea ſubſcripſi. Datum Varſaviæ 29. Martii 1675.

STANISLAUS SVVIĘCICKI
Epiſcopus Spigacenſis Suffraganeus Samogitiæ, Scholaſticus Gneſnenſis, Decanus Vladislavienſis, Achidiaconus & S. Georgii Præpoſitus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Varſavienſis.

APPRO-

APPROBATIO.

In

Diœcesi Vladislaviensi.

LIber cui titulus *Ethica ex Moribus & Cultu Crucifixi*, ab Illuſtri ac Admodum Reverendo Dn. JOANNE VOSDASSI Presbytero S. R. M. Poloniarum Secretario conſcriptus, ex commisſione mea per Theologos reviſus, & à me lectus, nihil Religioni aut bonis moribus continet adverſum. Quin imò, ex ipſo Crucis Chriſti fonte ſaluberrima ſalutis profundens fluenta, cum fructu legi ab omnibus Chriſti fidelibus poteſt. Proindè quò copioſiùs ejus virtus, in corda omnium multiplicatis exemplaribus effundatur; illius imprimendi licentiam Typographo Unblis Conventûs Olivenſis in Prusſia Authoritate Ordinaria facultatem concedimus per præſentes. Gedani in domo Parochiali B. M. V. Anno Chriſti 1673. die 10. Novemb.

LAURENT. LUDWIGH à DEMUTH
Proton. Apoſt. Can. Varmien. Dec. Par. Vicarius in Spiritualibus & Officialis per Pomeran. Gener. S. R. M. S.
Mpp.

PRÆ-

PRÆFATIO.

FINIS ET MATERIA ETHICÆ.

FINIS IN QUEM præſens tractatio defertur eſt *Religio & amor Crucifixi*, qui ſicut Sacerdotalis eſt auctor Sacramenti, ita primum exemplar. *Ethicam Crucifixi* ideo inſcripſimus, quoniam pro illius patientia, zelo, cæteriſque *de Cruce* virtutibus moribuſque, in Sacerdotii apparatum tranſumpta. Hic unus intuitus, hæc cauſa, cujus charitate Actiones ſingulas movebimus & definiemus. Quòd non contemplationem ſolam quæſiverimus, *Per Actiones* materiam partiti ſumus. Nam de illis nemo dubitabit, quin operosè nihil agant, qui in literarum inutilium ſtudiis detinentur; *Sen. de brevitate vitæ c. 13.* quæ jam apud Romanos, dicam apud Sacrum Ordinem, quoque magna manus eſt. Quæritur paſſim;

An circuli quadratura ſit poſſibilis, & cùm immenſis voluminibus error fatigatus eſt, in ſeipſum deſinit. Quàm multa ſupervacua Philoſophiam & Theologiam minutis quæſtionibus diſcerpunt? Laſſatur ſuorum nominum barbarie neque ſatiatur, quæ ſive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant: ſive proferas, non doctior videberis ſed moleſtior, adde, non ſanctus, non utilis, ſed ſpecioſâ vanitate inſanus.

FINIS CUI LABORAMUS eſt: Me inprimis, vos deinde Sacerdotes in Rationibus Statûs noſtri induſtrios reddere & perſpicaces: quid intra obligationem, quid è decoro, quid majori cum merito, quid communi Eccleſiæ fructu?

MATERIA, CIRCA QUAM Libros VII. egimus, continentur. *Primò.* Rationes piæ ad quas Sacramentorum & Horarum officia attentiùs expediamus, nè ut ſterilia verba effluant. *Secundò.* Con-

ſilia

ſilia & Diſcurſus de Cleri Seminariis, Aulicis Reſidentiis, Miſſionibus, Apoſtolicâ Paupertate, Teſtamentis, Pauperum agonizantiumque cura. *Tertiò.* Concluſiones nonnullæ pro Confeſſariorum uſu. *Quartò.* Propoſitiones VII. in patientem Dominum: item Pſalm. XXI. & XXX. explanati. *Quintò.* Elogia & ſtrictim laudes datæ Pontificum, Epiſcoporum, Sacerdotum, & inſignia dicta & facta. *Poſtremò.* Plurima, ut dicunt, Aſcetica, hoc eſt Præceptiones privatæ animi per ſpiritualia exercendi.

Oro autem eos qui hanc Curam noſtram manibus & legendo dignabuntur, ut meminerint intereſſe inter eos qui famæ & qui moribus ſcribunt. *Omnes qui placendi causâ ſcribunt, qualia placere viderint, ſcribent* (Plin. l.3. ep.); ſed qui profutura, etiam quæ diſplicebunt. Sicut & *nulla remedia tam faciunt dolorem quàm quæ ſunt ſalutaria.* (Cic.) Atque illis quidem orationem ab ore, his à corde pro-

ficisci, quod *Cato* de Græcis Romanisque dixerat. (Plut.) Inde ſtylus & ordo ſegniùs curati, datumque etiam interdum occurrentibus & digreſſuris dummodo in aliquam Sacerdotii rem venirent. In his præjudicio Stoici illius abſolvimur & nonnullorum, qui tanquam fluvii vere novo ſoluti alienis aquis exeunt alveum, & aſſita juxta diſſitaque ſinuantur, dum à copia deſerti ripas intrent.

Virtutes, acta, mortes Sacerdotum laudatas accipi velim humanâ fide, ſed me DEUS! integrâ, procul adulatione, gratiâ, ſpe. Rogo inſuper Dominos & Fratres meos Sacerdotes, nè DEI gratiam Ordini ſuo datam negligant: utq; antiqua & recentia quæcunque de Sacerdotum vitæ & mortis ſanctitate comperta, mihi ſubminiſtrent uno ſtylo & libro jungenda. Meretur enim Sacerdotalis virtus nè oblivione obruatur, atque ut Seculares Sacerdotes poſteritati narrati & traditi, ſeculis ſuperſtites legantur.

INDEX ETHICÆ LIBRORUM ET ACTIONUM.

LIBER I.

Seu inter Sacramenta.

ACTIO I. *Sacrificium frequens ac indies.* pag. 1
Act. II. *Cum Crucifixo in altari sociata hostia Sacerdos.* p. 19
Act. III. *Crucis signum reverentiâ formatū.* 27
Act. IV. *Rubricis Sacrificii Missæ gravitas.* 36
Act. V. *Ex intentione Crucifixi celebratum.* 47
Act. VI. *Pœnitentia & Baptismus administrata promptè, patienter.* 57

LIBER II.

Seu inter horas Canonicas.

ACTIO I. *Primæ Psalmus XXI. additus idemq́ explanatus.* 88
Act. II. *Hora Nona agonizantibus juvandis.* 110
Act. III. *Hora Completorii pro sua agonia.* 134
Act. IV. *Sparsa per Officium Crucifixi mentio non sine aliquo officio* 137

Act. V. *Conclusio Officii ad vulnera Crucifixi delata.* p. 141

LIBER III.

Seu Vita Privata.

ACTIO I. *S. Ivoni crucifixus semper in cubiculo præsens.* 156

Act. II. *Alexandri Cardinalis Ursini. Crucem clavis armatam nudo pectore gestavit.* 161

Act. III. *Thomæ Oborsci. Quotidianum Sacrificium ad altare Crucis.* 169

Act. IV. *S. Philippi Nerii & Egberti Canonici Tentatis & afflictis Crucifixum proposuêre.* 176

Act. V. *S. Caroli Borromæi. In Passionem Domini meditandam dies locavit.* 190

Act. VI. *Synodi Salisburgensis. Frugalitatem Sacerdotum honori Crucifixi reddit.* 197

Act. VII. *B. Simonis Præbendarii. In pauperes propter Crucifixum liberalis.* 204

Act. VIII. *Cardinalis de Mendoza. Titulo S. Crucis addictior.* 229

Act. IX. *D. Petri Chrysologi. Formam Crucis edocebat.* 237

Act. X.

Act. X. *D. Joannis Chrysostomi. Crucem in remedium Iræ format.* 248
Act. XI. *Collegii Sacerdotum Mediolanensis singulare votum obedientiæ.* 260

LIBER IV.

Seu Publicus Honor.

ACTIO I. *Crucifixus voce scriptoq; Sacerdotum prædicatus.* 279
Act. II. *Plurium delectus honorando Crucifixo factus.* 295
Act. III. *Cathedræ, templa, Missæ, Cruces fundatæ.* 308
Act. IV. *Superstitiones amotæ, & Decorum imaginum Crucifixi Curatum.* 322
Act. V. *Immaculata Virginis Matris Conceptio, propagata defensa.* 336

LIBER V.

Seu Virtutes Sacerdotum à Crucifixo sumptæ.

ACTIO I. *Charitas animarum.* 346
Act. II. *Labores Sacerdotii.* 376
Act. III. *Adversorum tolerantia.* 4[illegible]
Act. IV. *Molestiæ corpori adactæ.* 424

LIBER VI.

Seu Dies constituti.

Act. I. *Feria VI. & Dominica Passionis religiosè habita.* 452

Act. II. *Feriæ VI. magnæ Ritus & Cærimoniæ legitimè ductæ.* 465
Act. III. *In Parasceven Sermones Sex.* 475


Propositio.
1. *Ut homo, &c. 7. capit. distincta.* 476
2. *Recogitate eum qui &c.* 529
3. *Dilexit me & tradidit. &c.* 545
4. *Commendat charitatem. &c.* 558
5. *Redemisti me Domine Deus. &c.* 579
6. *Joseph. petiit corpus JESU. &c.* 597

LIBER VII.
Seu Morbi & Mors.

ACTIO I. *Morborum levamenta Crucifixus.* 620
Act. II. *Historia Passionis lecta.* 627
Act. III. *Psalmus XXX. recitatur.* 656
Act. IV. *Forma Testamentis data.* 691
Act. V. *Mortui in affectu Crucifixi Sacerdotes.* 724

Conclusio opusculi ad JESUM Crucifixum *Dominum meum & Summum Sacerdotem.* 742

Index Scripturæ & Rerum in Calcem exitumq; operis adjectus est.



ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex moribus & cultu Crucifixi.

LIBER I.

Seu Inter Sacramenta.

ACTIO I.

Sacrificium frequens, ac indies.



ALtare locus eſt ac præcipuum Domini tui paſſi ac mortui Monumentum. Ibi ut frequenter illi parentemus ab Apoſtolis impetum cepimus, quibus poſt Aſcenſionem Domini per quotidianum Sacrum fuiſſe in mores relata iſta verba: *Qui pridie quàm pateretur* edidit Alcuinus apud Durandum l. 2. de Ritibus Eccle-

Verba: Qui pridie quã pateretur Apoſtolis uſitata.

Alcuinus & Durandus.

A S. Alexandro P. in Canonē relata.

ſiæ c. 38. Arripuerant iſtum memorandæ Paſſionis ritum vicini Apoſtolico ſæculo Patres ita, ut legem ei fecerint. *S. Alexander Pontifex* ſub Trajano, epiſtolâ ad Orthodoxos datâ, quam *Concilium Triburienſe c.*19. *probat*, legitimam illius eſſe, ſancivit. *In Sacramentorum quoq́; oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia offeruntur, Paſſio Domini miſcenda eſt, ut ejus cujus corpus & ſanguis conficitur, Paſſio celebretur.* Idem verba: *Qui pridie quàm pateretur* tanquam Apoſtolis uſitata, in Canonem retulit. *Brev. Rom.* 3. *Maij.*

Hoc ad exitum mundi & humani generis funus ſupremum, Amor ſuus mauſoleum condidit, ad quod idem ipſe Sacerdotis munere defungitur. Adjungamus manus noſtras & operanti ſacris Amori JESU, comites vicarioſq́; addamus:

Divina cujus charitas
Sacrum propinat ſanguinem,
Almiq́; membra corporis
Amor Sacerdos immolat.

Aram

Aram proindè ingressurus ita mecum antè animo peragam: Me amori Crucifixi subsidiarium sacerdotem adesse, ut illa vulnera immortalia oculis percenseam, illustres plagas manibus tractem, ossa adnumerem, venas sacro cruore turgentes premam: caput, manus, pedes, brachia, cor, pectus componam, ac de singulis membris cum Amore ipso JESU loquar. O quale Sacrificium! ut vivis bone JESU pereundo! ut peris adhuc vivendo! ô Amor! in me primùm tua tela flammasque projice. Hoc caput & cor, & quidquid in illo Mundi & Carnis viget, feri, seca, ure. O Amor JESU quanto habes imperio Dominum meum? Invenisti, quà semel factus sacrificium, semper esset, æternus atque extra mortalia sublatus in me conderetur. Et ego adeo ignavus Sacerdos sim? qui tanto Amoris apparatui, aliquo veluti nefasto die, me subducam?

Amor Sacerdos Eucharistiæ.

Colloquiũ Sacerdotis cum Amore JEsu.

Tuemur interdum desidiam nostram

ſtram profanis & infamibus in Sacerdotium cauſis. *Non celebrabo, quòd obligatione nulla deſtringar.* Trahinè ergo velſ ad aram Sacer, dos, non ire? An amicis nihil ultrò aut ſemper ex formula damus? Serviles animæ ſunt, quæ vincula circumſpiciunt: & officium huc usque tenent, dum tenentur, dum non liceat contra officium eniti. Queri ſolemus ipſi, ſi querentis familiæ miniſterijs utendum eſt, ſi ad indicem obſequia expendit, ſi dominum in jus & certamẽ ſæpè vocat, ſi quousque tantùm debeat, contendit. Sacerdos digniùs DEo quàm Neceſſitati, quàm obligationi ſerviet. *Voluntariè ſacrificabo tibi Domine & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt.* Pſal.53. Hoc eſt: Non quia illigat præceptum, & poteſtatem arbitriumq; ſacrificandi includit: Uteris libertate in ſervitium Dei, quâ te ille in manu conſilij tui poſuit, & voluntarium DEo Sacerdotem præſta. Delectat iſta Deum Dominum liberalitas

Refutatæ cauſæ Sacrificij rarò celebrandi.

Prima cauſa refutatur Ratione varia;

Tum Scripturâ ſenſu accommodo acceptâ.

litas, quam tot beneficijs alit in nobis & prolicit. Obligat me Deus in singulos horarum ictus & puncta, ego me solutum putabo, & nonnullo tempore, hoc est ad altare, nomen debitoris diffitebor? Prædictam psalmi orationem luculenter *S. Augustinus* hîc excussit. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Noli ex necessitate. Si enim propter aliud laudas DEum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares DEUM. Vide quid dicam. Laudas DEum verbi gratiâ, ut tibi det amplam pecuniam. Si haberes aliundè amplam pecuniam, non à Deo, nunquid laudares DEum? Si ergo propter pecuniam laudas DEum, non voluntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas: quia præter illum nescio quid amas. Indè dictum est: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Cōtemne omnia, ipsum attende. *Et inferiùs. Voluntariè sacrificabo tibi.* Quare voluntariè? quia gratis. Quid est gratis? *Et confitebor nomini tuo Domine, quoniam*

Versus. Voluntariè sacrificabo, ab Aug. explicatus.

bonum est. Ob nihil aliud nisi *quia bonum est.* Nunquid ait, confitebor tibi Domine, quia das mihi fructuosa prædia, quia das mihi aurum & argentum, quia das mihi latas divitias, amplam pecuniam, excellentissimā dignitatem? Non. Sed quid? *quoniam bonum est.* Melius nihil invenio quā nomen tuum, ideo confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. *Enarratione in Psal.* 53.

Altera. Cōtra hanc Ratio & Scriptura.

Jam alteram causam eloquar an sileam? ita gemitus intercipit. *Non celebrabo, quòd nullum stipendium porrectum in manus.* Præclarè nos empti Sacerdotes ad altare comparemus, cum quib9 aliquot numōrum avaritia celebrat. Aliter vitam nostram suis legibus composuit Deus, quàm ut venale sacrificium ponamus. *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* 1. Cor. c. 9. Adverte ordinem: primò serviunt, tum participant; nè impellente lucro sacris animum addicamus, nè religio sit post numōs, nè de stipendio prima quæstio. *Bulgarorum*

Apostoli verba. Qui altari serviunt. explicata.

Primò.

garorũ Archiepiscopi Theophylacti præclara hìc in mores Sacerdotum institutio, in Græco ita ille. *An ignoratis quoniam qui sacra operantur, de sacrario edunt?* Nec sanè dixit, ut ex oblationibus ederent, sed ex sacrario: nè vel qui aliquid caperent, puderet accepti, perindè acsi ab hominibus alerentur: vel qui impertirentur his sua, insolescerent. Agnoscamus Sacerdotes Dei in nos propensionem eximiam, cui curæ fuerit Sacerdotum verecundia & decorum. Imperavit Deus ex sacrario accepta, & extra jus offerentium cõstituta edi, nè tanquam pauperes rubori haberent alimenta, & offerentibus deberent, sed soli Deo communi Parenti gratias darent, cujus rebus proprijs alebantur postquàm oblatæ. Beneficio sustentari non est quod Sacerdotem pudeat: Non ab hominibus accipis, Manus Dei & Christi est, sua quæ porrigit. At jure bono Sacerdos erubescet, qui ab hominibus stipendia exigit vel expectat ut cele-

& à Theophylacto.

Decorum Sacerdotũ Deo curæ.

brer, & ideo celebrat, quia datum est, vel ut sincerius dicam, quia contractus ante celebratus: quod tamen nondum in jus Dei & Altaris transijt, nisi post sacrificium quod deinde actum. Ideo seculares insolescere audias, dum Sacerdotis egestatem avaritiæ crimine æstimant, & suo in Divina pertrahi non Dei pretio.

Iterum ad Theophylactum.

Tenet me adhuc *Theophylactus*. Qui altari insistunt, altaris fiunt participes. Hoc est Sacerdotes & Sacerdotum primores. Cùm autem insistunt, inquit; assidua quædam prætenditur servitus. Non etiam qui sacra capiunt dixit. Ut ostendat vel in his esse modum servandũ, nec esse cumulandis pecunijs incumbẽdum. Nec à sacrificantibus dixit, aliquid sumunt, sed altaris fiunt participes. Oblata siquidem haudquaquam de cætero erant offerentium juris, sed in sacrarij & altaris potestatem cedebant. *Sensus est Patris*. Non circumforaneos & vagos sacerdotes altaribus immittendos, sed qui constanti

animo DEI servitium profitentur. Tales solos sine pretio ministrare posse, neq; cumulandis pecuniis ad sacerdotium convolare, nec sacra capere aut rapere in suum tantùm commodum, sed partem duntaxat necessariam sumere. Accuratè & illud notat *Doctor*, sumenda *non à sacrificantibus*: etsi enim ultrò oblata respuenda non sint: neutiquam tamen decere contractu veluti forensi & conditione negotiatoris in manus de stipendio sacrificij convenire. *Solve inquã, & celebrabo. Missam nunquam in Missali reperiri dictam Gratis.* Hoc genus conventionis, auriga, cocus, & quidquid est vilium mediastinorum, novit. Nisi quòd illi per profana, tu per sacra avarus es.

In hanc ipsam pestem per altaria & manus sacerdotum pervagatam è purpura Romana suo seculo assurrexit severus & justus censor *Beatus Petrus Damiani, de quo Alexander II. Papa ad Archiepiscopos Galliæ*

illud ſcripſit. Quoniam pluribus Ec-
cleſiarum negotijs occupati ad vos
ipſi venire non poſſumus talem vo-
bis virum deſtinare curavimus quo
nimirum poſt nos major in Roma-
na Eccleſia auctoritas non habetur:
Petrum videlicet Damianum Oſtienſem
Epiſcopum, qui & noſter eſt oculus. Hic
ergò oculus vidit eam labem & ter-
gere conatus. Eant nunc Presbyteri,
& pro lucris hujus vitæ, ſacris ſe al-
taribus ingerant, pro ſuo ſuæq; con-
ſanguinitatis affectu ex fidelium ob-
latione diteſcant, non videlicet ut
pupillis ac viduis alimenta provi-
deant, non ut ſubſidia peregrinanti-
bus ſubminiſtrent, ſed ut ſibi vel ſuis
turpia lucra convectent. Eant in-
quam & ſe ſuosq; duntaxat de Miſſæ
ſuæ acquiſitione reficiant, ut poſt-
modum medullis ſuis ignis æterni
voraginem paſcant. Quantæ ſcili-
cet damnationis eſt eos qui peccata
populi comedere perhibentur, ex
acquiſitis rebus non codices emere,
non ornamenta, vel utenſilia ſuis
Eccleſijs

B. Damiani de hac cauſa judiciũ.

Ecclesijs providere, sed in necessitatis vel necessitudinis sumptus cuncta prodigere? Necessitatē intelligit *Sanctus Præsul* fictam & prætextam, *& paulò post addit.* Sed cùm passus sit Dominus in cruce pro salute mundi, nunc mactatur in altari pro unius commodo & facultate Presbyteri. Tunc crucifixus est pro totius populi multitudine, nunc quasi pro unius homuncionis utilitate salutaris hostia videtur offerri. *Ita ille epistola ad quendam Episcopum c. 2.* Videam hoc oculo quibus invisibile pretium mundi est, sine pretio argenti.

En stipendiarij sacerdotes.

Eminentius vulgari habitu nostro & fortè suâ magnitudine atque fortunâ minùs apud privatos sacerdotes efficax, primum tamen hujus libri exemplum oboritur, *Alexandri Cardinalis Vrsini.* Nemo huic legem dicebat, imò multa negotia Curiæ detrahebant abrogabantque sacrificium quotidianum. Dubito an non seculi prodigium junxerit Sacrum indies

Refutantur exemplo Cardinalis Ursini.

indies & in Purpura. Quotidie cœlum piè invadens Numen Divinum ad aras in Amoris sacrificium devocabat, ac purè operatus cœlitũ mensis, accumbebat in terris. *Ferrarius in Rosa sepulchrali seu orat: funebri Romæ habita*, Amor Crucifixi te perpetuum sacerdotem faciet. Summi sacerdotis Hebræi officium Deus abolevit semel ingredi in sancta per annum. *Exodi* 30. Sit tuũ quasi prænomen istud, ut non quæstus non necessitas, non usus, non jactantia, sed *Amor sacerdos immoles*. In publico illo Ecclesiæ latrocinio, cũ nulli Missarum census à Sacerdotibus, ipsi Sacerdotes ad equuleos, catastas, cruces quærerentur, Amor in *Sancto Concordio Presbytero Rom*: immolabat. Fecerat potestatem capto Torquatus Comes Thusciæ deliberandi: ac post aliquod tempus è vinculis producto: Quid tractâsti de salute tua? respondit. Salus mea Christus, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis. *Bollandus ad* 1. *Januarij*. Non dege-

S. Concordij Rom: Presbyteri.

degenerem se probavit à Patre suo *Concordiano* tituli Sancti Pastoris & sanctissimâ conversatione Presbytero, *verba sunt illius seculi.* Hic illum orationis studio & liberalitate in pauperes, ac sacræ scripturæ doctrinâ egregiè imbuerat, antequàm inter Presbyteros à Sancto Anthymo Episcopo cõsecratus fuisset. Hæc Sacerdotum quondã tyrocinia fuêre: Oratio, sacra lectio, in pauperes liberalitas. Ab hac disciplina pronũ illis, ut ad Martyriũ ita ad aram facem martyriorum erat iter. Quâ enim parte vacet Sacerdoti singulos in dies sacrũ facere, cui propria sacris & orationibus tempora fori concursatio & domorum circumscribit? quem sua domus velut alienum & hospitem in varias etiam vanas familiaritates ejicit? Tales quid agant apud se nesciunt; legant an orent? utrumque fastidio est. Tantùm ad augendam turbam, & vitia vulgi colligenda, dubij ac parvæ in templo quietis vix patientes, rapiuntur,

Pater Concordij Concordianus.

Idem filij institutor.

Tyrocinia quondam Sacerdotũ.

Duo præcipua impedimenta Sacrificij quotidiani. Primum. ex turba frequẽtata.

untur, ſolo templo orationem le-
ctionemq́ue deſtinari exiſtimantes.

Alterum ex illiberalitate.

In eandem notam illiberales conjice. Iſtis quotidiana myſteria non aliter quàm ſub pretio aguntur & placent. Quos videlicet ſupervacuo gemitu pulſet pauper obſtinatos, quos ſola conſanguineorũ cauſa divites facit & ſimul egenos. Hos divexat amor nummi, & niſi ad altare præeat inducatq́; , fruſtra Crucifixi ſolenne nomen, honor Divinus, publica utilitas, augmentum meritumq́ue gratiæ & gloriæ citet. Ideo in officio Miſſæ torpent, & dum ſuccus abeſt, quotidie ſacrificare, res ſine ſumptu & vacua cenſetur.

Raró celebrantes Diem judicij advocãt.

Verùm tu Sacerdos non comittes Paſſionem & mortem Domini obduci avaritiæ liturâ. Perdere hæc Sacerdotum ratio feſtinat gloriam & amorem illius: imò diem Judicij advocare, quo Sacrificium ferocitate perſecutionis materiæq́; defectu ceſſabit. Cordi erat Crucifixus

D. An-

D. Andreæ Apostolo cujus illa oratio. Ego omnipotenti DEo qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes aut hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cujus carnem posteaquàm omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus. *Brev. Rom.* 30. *Nov.* Apostolicus fervor *D. Narniensem Episc. Cassium* corripuerat. Mos illi erat quotidianas DEo hostias offerre, ita penè ut nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. *D. Greg. hom.* 37. *in Evangel.* Diem exempla tanta dicunt vobis quotquot publicas curas contra religionem istam affertis. Non est, inquiunt, Principis, Ducis, Cardinalis, Episcopi, Prælati sæpiùs pro altari videri. Alia ex alijs vocamur in negotia. Lites, armorum togæque consilia exercent sine vicibus. Nimis delicatè ista diducis, confundisque Senatûs & Sacerdotij discri-

D. Andreas Apostolus quotidie celebrat.

Et D. Cassius Narnien.

D. Greg.

Principum Ecclesiasti-corum causæ.

discrimen. Cogitatio hæc in sacrarium & vacuos Presbyteros retrudenda. Quin tu præcepta similia ad Parochos & cæteram ordinatorum turbam transferas, utiliusq; in plebe linteata laborem tuum eloces? In senatũ & Conclavia consiliorũ non Sacerdotij titulo inducti sumus. Accessit dignitati nostræ Episcopatus, quem ante industriâ, judicio, prudentiâ civili occupavimus. Primas dare honori opus, reliquias temporum & in ipso fundo altaribus. Non est tamen quòd perperàm exaudiar, qui honores Ecclesiæ honoro: etsi auctoritate hîc vincor, sed non ratione. Inprimis facilè impetrabo; à Sacerdotio gravitatem & Sanctitatem consilijs venire; igitur & dignitatem. *Lex veritatis fuit in ore ejus*, loquitur Malachias c.2. ℣.6.7. in laudem Levi, *& iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent*

Confutantur. Ratione, Scripturâ.

rent

vent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Principes Poloniæ hoc viderunt, quibus soli Episcopi & Sacerdotes in Senatûs munia lecti hactenus, donec *Stephanus VII. Plocensis Episcopus* Anno 1088. apud Vladislaum cognomento Hermannum multo studio perfecit, ut in singulis Provincijs Senatores, auctoraret, quibus Ecclesiastici Senatûs labores partiretur *teste Lubinscio l. de gerendo Episc.* Itaq; sacrificandi frequentiùs pudor, aut cum injuria est dignitatis, aut cum pœnitentia; quando una ista Actio, Sacerdotij sit illustris nota. At negotia non sinunt? Pridem cum hac parte rem transegit *Demetrius Solicovius vir Turcicis legationibus probatus postea Archiepiscopus Leopolis.* Ajebat, Eleemosynis opes, jejunijs vires non teri, Missæ sacrificio tempus non minui. *Nic. Scrobisevius in vitis Archiep.* Præterea certum est sacrificij repræsentatione consilia clementiùs apud Deum Auxiliatorem & placatum promoveri, expli-

Sacerdotes primi & soli Poloniæ Regibus Senatus olim.

Lubins.

Dicto Solicovij Archiepiscopi.

Scrobis. Can. Leop.

Altera ratio.

cari ambigua, obſtantia inhiberi. Et quidem validiꝰ id agi ore eodem quo dantur conſilia, quòd ad illam Conſiliarij demiſſionem ac ſui metum Deum par ſit benigniùs reſpicere. Adjice. Quòd Sacerdotis caſto ac cœlibe animo corporeq́; ſinceriora promantur conſilia. Uxor liberiq́ue ſuſcepti, obſides fortunæ ſunt, & ingens bonæ mentis corruptela. Faveant igitur multùm ſuo Sacerdotio Principes Senatoresq́ue Eccleſiaſtici, profiteriq́; ſuam gloriam altaris ingreſſu inter verecundiam & timorem non ponant.

Ratio tertia.

Extremum idemq́ue primum eſt: Quod ſacrificio & ipſi Chriſto Crucifixo D. major ex vobis honor habetur, quàm dum illud communis Sacerdos agit. Nam ut cæteris Principum actionibus populus adſtupet & in exemplar magnum faciliùs ſe attollit: ita Sacrificijs illorum Catholicæ Religionis dignitatem metitur, Dei reverentiam condiſcit, Myſteria Fidei non ex vano penſat, ub

Ratio quarta.

ubi in partibus Infulas, Purpuram, Fascesque videt. Igitur ad invidiam Divinæ gloriæ censura illa composita est, quâ sacrificantes quotidiè feriuntur. *Quotidie sacrificans aut bonus angelus aut dæmon est.* Quid si malè dividis ô malignitas? Nec angelus sunt, neque dæmon sint. Probos mores quotidie exercent: Sobriè & castè servant conscientiam: Maculas infirmitate naturæ humanæ inspersas statim ad Pœnitentiæ Sacramentum deferunt. Puniunt licentiam ultrò in se datis flagellis, & ut semel conficiam, in sæculo vivunt non juxta seculum. Atq; ita securi, quantum imbecillitati, mortalique fas est, humiles Deoq; confisi sacra manibus & animo capiunt. Dictum in Sacrificātes quotidie, rejicitur.

ACTIO II.

Cum Crucifixo in altari sociata hostia Sacerdos.

TUi cum CHristo unà ad altare immolandi modum si fortè exoptes, tibi mihique præscribendum

Immolatio sui in altari ex Veteribus sacrificijs.

non inidoneum hunc putabo. Sumetur hujus internæ ac spiritualis immolationis proportio ac forma, ab ea quæ exercebatur in veteribus sacrificijs: ubi partes animantis alicujus ita dividebantur manu & ferro sacerdotũ, ut inutiles omninò fuerint ad priorem vitæ usum, motus & functiones, atq; ad ferendam mutuam sibi in contrarijs pugnantibusque opem. Equidem cùm ipse Dominus Crucifixus infami illâ mœstaque penderet ab arbore, non solum spiritualis sed externæ etiã immolationis sui amplissimum exemplar dedit.

Ex Christo in Cruce.

Manus transfixæ non lachrymas, non sanguinem detergere, teneras corporis partes mordicantem, aut oculis subvenire poterant. Pedes vulnerati longè porrecto penduloque corpori sedem nimiùm infirmam fundabant. Nervi brachiorum ac venæ à pondere labentis deorsum corporis extentæ protractæque, liberam quoquò versum la-

tionem

tionem negabant. Lingua ob humorum copiam ex capite concusso ac spinis confosso defluentium tumida, tum propter viscerum ariditatem sitibunda, loquelam difficiliorem faciebat. Oculi lachrymis demersi & sanguine, ægrè matris ac suorum conspectum admittebant. Paucis ut absolvam, nullæ mœstissimi Domini potentiæ objectum habebant, quò se invicem solarentur. Ita soli dolori eorum officia servabantur & vivacitas; nullus item sensus alterum levare poterat, aut in tantis ærumnis avocamento esse. Id ipsum per Davidem queritur. *Dispersa sunt omnia ossa mea* sicut solet in aliquo minutim secto corpore evenire, ubi sine lege aut officijs naturæ convenientibus ossa in cumulum conjecta jacent tantùm & se invicem premunt. Et talis erat hostia Christus Crucifixus.

Viciniùs & in particulari explicata im̃olatio sui.

Non dissimili ratione spiritualem tui ipsius in altari immolationem perficies. Fac sensus tanquam jam inuti-

inutiles, ſint vigore veluti deſtituti atque à corpore ſejuncti, qui objecta delectabilia ſibiq́ue convenientia, nec ſectentur nec amare ſciant. Nihil videas, guſtes, dixeris, tangas, appetas, percipias, quod vanitatem mundi, delicias, amores, guſtum, ſapiat. Tum ſi quid repugnans ac inamabile occurrerit, potentia iraſcibilis, quod ſuum aliàs munus eſt, repellere neſciat. Si quid appetitui inferiori conveniens & amabile, concupiſcibilis aut prætereat facilè aut moderatè expetat.

Declaratur ex verbis Chriſti.

Eam diviſionis metaphoram Chriſtus Dominus adhibuit, quò clariùs hanc ſpiritualem im̃olationem edoceret. *Non veni, inquiebat, pacem mittere ſed gladium: veni enim ſeparare filium adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam, & ſocrum adversùs nurum ſuam.* Quorum ſenſus eſt: Sicut partes unius corporis unitæ mutuò & in ſua forma fundatæ ſi dividantur, amittunt priorem unionem & indè vim ope-

Explicantur com̃odè & quaſi phyſicè.

randi,

randi, nullos etiam à forma absente effectus participant; ita qui Christo victimæ in morem commori voluerit, necesse est ut divisionem hanc patiatur libenter, per quam mundi & sanguinis affectibus inutilis reddatur, nullos quoquè ab eorum formâ, utpote à se disunitâ, effectus recipiat, quales sunt inordinatè amare suos, amare commoda ultra necessitatem, & cætera, quæ ex illâ unione ad formam mundi nasci, in amatoribus hujus seculi videmus. Nihil obstabit quoquè, nè illam Domini sententiam de Castitate Voluntariâ perpetuaque datam, simili modo interpretemur. *Sunt, inquit eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Hanc enim separationem spiritualis hæc exsectio significat, quæ inutilem liberis suscipiendis, actibusque huc servientibus reddat, quisquis ita propter regnum cœlorum, non corpus, sed seipsum, hoc est affectus voluntarios detruncare statuit.

Similis sententia Domini de Castitate.

Ita Cassius se immolabat.

D. Cassium superiùs relatum S. Magnus Gregorius scripsit hanc sui immolandi cum sacrificio actionem quotidianam habuisse. Cum sacrificio *inquit S. Papa*, valde etiam concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in eleemosynas tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymas defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. *D. Petrus Chrysol. Serm.* 10. Abraham, *inquit*, seipsum immolabat in filio ut esset idem victima & Pontifex, sacerdos & sacrificium. Pudebit Sacerdotem Crucifixi qui sic non immolatur in Filio Dei, imò cum Filio Dei, nolitq; sacerdos & sacrificium cum summo Pontifice JESU esse. Sic me ô JESU quotidie, sic sensus meos sacrificabo sacrificium laudis & reddam Altissimo vota mea. Separa tu me à me, & non permitte me separari à te.

D. Chrysol.

Laudatissimus noster Philosophus *Th. à Kempis* Sacerdotem celebraturum Dei nomine ita comparat. *l.* 4. *de*

*de Imit: c.*7. Cum plena, *inquit*, reſi- Eadem doctrina Thomæ à Kempis.
gnatione & integra voluntate offer teipſum in honorem nominis mei in ara cordis tui holocauſtum perpetuum, corpus tuum ſcilicet & animam mihi fideliter committendo: quatenùs & ſic dignè merearis ad offerendum Deo ſacrificium accedere, & Sacramentum Corporis mei ſalubriter ſuſcipere. Non eſt enim oblatio dignior & ſatisfactio major pro peccatis diluendis, quã ſeipſum purè & integrè cum oblatione Corporis Chriſti in Miſſa & Communione Deo offerre. *Et cap.*8. Sicut ego meipſum expanſis in Cruce manibus & nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri ſpontè obtuli, ita ut nihil in me remaneret quin totum in Sacrificium Divinæ placationis tranſiret: ita debes & tu temetipſum mihi voluntariè in oblationẽ puram & ſanctam quotidie in Miſſa cum omnibus viribus & affectibus tuis quantò intimiùs vales, offerre. Quid magis à te requiro, quàm ut te ſtu-

deas mihi ex integro resignare? quidquid præter teipsum das nil curo, quia non quæro datum tuum sed te.

Idem oratione secreta die S. Stephani Regis precamur. *Respice quas offerimus hostias omnipotens Deus & præsta, ut qui Dominicæ Passionis mysteria celebramus, imitemur quod agimus.* Hoc est, nos exemplo D. JEsu eidem victimã spiritualem addamus. Hanc orationem aspexit *Petrus Blesensis* Archidiaconus Bathoniensis in Anglia Gallus ipse quondã Guilielmi II. Regis Siciliæ Cancellarius vir doctꝰ & pius & qui sacerdotio abstinuit usque ad senectam ferè, impellente frustrà *Archiepiscopo Richardo Londonensi cui hæc scribit epistola* 123. Sacerdotem hoc sentire oportet quod & in Christo JEsu, non solùm ut se per humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans stigmata ejus portet in corpore suo, & in ara cordis seipsum Domino crucifigat. *Verbum Salomonis est.*

& Petri Blesensis.

Sedisti

Sedisti ad mensam divitis, scito quia eadem te præparare oportet. Nam & *in Levitico* Sacerdos, pellem hostiæ retinet: quia & ordo Sacerdotalis expostulat, ut dum in mensa altaris hostiam immolat salutarem, quâdam contritionis cruce, hostiæ se conformet. Et post aliqua. In utroque etiam poste sanguis agni ponebatur, ut Sacerdos sacramentum Dominicæ Passionis non solùm ore ad redemptionem sed corde ad imitationē suscipiat; quia tunc demùm ei hostia proderit, si seipsum hostiam faciens, velit humiliter & efficaciter imitari quod agit. *Hæc ille Diaconus & Archidiaconus verba orationis dictæ interpretatus.*

Eccl. 31.
Levit. 7.

ACTIO III.

Crucis signum ex reverentia formatum.

VItium hoc levitatis est plerumq; aut festinantium in sacris, transcurrere manu & sine forma crucis crucem ducere: Notavit hoc & reprehendit

prehendit Sacerdotale Romanum c. 13. in Præambulis. *In celebratione, inquit, calicem & oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis, & extensis digitis Crucis signet sicq́; benedicat.*

Ecclesia Sponsa sanguinis à primis sui ortûs temporibus, nihil benedicere, nisi crucis signo addito, & omnia sacramenta, hoc eodem confieri decrevit. *Pro cæteris Patribus Augustinus sit serm. 19. de sanctis, & serm. 181. de Tempore.* Hoc signo crucis, *ait*, consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunq́; sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis, cum invocatione Christi nominis consecrantur.

At quæ causa sit toties hujus cæremoniæ in sacrificio repetitæ? respondit *D. Thomas 3. parte q. 83. a. 5. ad 4.* Consecratio hujus sacramenti & acceptatio hujus sacrificij & fructus ej9 pendet ex virtute Crucis Christi: &

& ideo ubicunque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucis signatione utitur.

Itaque reverenter Crucem actionibus sacramentorum interseram, Baptismo, Pœnitentiæ, Extremæ unctioni, Matrimonio ac reliquis sacramentalibus quoties id Rubricæ monebunt. In Missa verò potissimũ cùm ordinariè facienda sit Crux vicibus quinquaginta, totidem erga Crucifixum affectus pios consociabo, dispensata in partes Missa duas. Quoties in Missa crux repetatur ?

Pars Missæ primæ.

Ingressu Missæ primò cum signo Crucis & SSmæ Trinitatis mentione facta; gratias agam quòd istud mysterium per incarnationem Filij Dei & mortem ejus revelatum & illustratum. Inter signũ Crucis actꝰ interni inserti.

Ad Introitum gratias agam quia me introire ad statum Perfectionis sacerdotalis & Crucem suam voluit. In sacro pro defunctis petam exsolvi animas Fidelium virtute Crucis Domini. Introitus.

Gloria. In hymno Gloriæ ad verba: *Cum S. Spiritu*, gaudebo de gloria JESU Christi per crucem eidem in cœlo data.

Evangeliũ. *In Evangelij exordio* petam à Christo Crucifixo ad normam ejus vitæ Crucifixæ cogitationes, verba, opera ſacerdotalia mea gubernari.

Aqua. In affuſione aquæ præmiſsâ cruce ad verba: *Per hujus aquæ*, petam ſalutarem notitiam Mortis ejꝰ in omnes populos & gentiles dimanare.

Ad verba: *Indulgentiam*, petes peccatorum veniam & excitabis in te ſpem remiſſionis per mortem Domini. Ad verba Symboli: *Et vitam æternam*, excitabis fidem & deſiderium vitæ æternæ per Crucem Chriſti tibi præparatæ.

Oblatio. Ad verba: *Benedic hoc ſacrificium*, Patri æterno in unione Chriſti crucifixi te in ſacrificium offeres, orando ut ſeparatus ab omni carnis & mundi amore unius Dei victima ſis & ſacerdos.

In hoſtiæ & calicis oblatione dum Crucem facis ad verba: *Ut mihi & illis*,

& ad

& ad verba: *Pro nostra & totius mũdi*, excitabis amorem animarum Christi Cruce redemptarum, ut quàm plurimæ per tuos labores sint ejus mortis participes.

In Præfatione ad verba: *Benedictus qui venit*, intimo affectu & accenso gratias ages Christo Crucifixo pro tui & totius mundi per ignominiosam Crucem redemptione inter tot modos nostræ salutis Divinæ sapientiæ non incognitos sibi electâ & acceptatâ. Præfatio.

Pars Missæ altera.

Ad Canonis verba: *Hæc dona*, orabis per ternã Christi crucẽ, *Primam*, in utero Virginis quæ licet fuerit voti ac in præparatione, dolore tamen intenso unaq; sui amore ac desiderio animam & corpus CHristi infantis afflixit & incendit. *Alteram*, quæ Moralis & experientiæ, in totius vitæ decursu inter pavores & tædia, contumelias & ingratitudines, detractiones & irrisiones ac propè- Canon. Crux Christi triplex. Voti. moralis.

Physica. pè infinitos contemptus usque ad *Tertiam physicam* & trabalem in qua mortuus. Orabis inquam, effectus illos Crucis Domini ut sis sanctus, illibatus & sacrificium gratissimum imitatione Christi in Cruce oblati.

Ad verba: *Benedictam, adscriptam, ratam.* Postulabis te benedici, adscribi, acceptari inter sacerdotes Christo confixos cruci.

Ad verba: *Ut nobis corpus.* Patri æterno humiliter gratias ages, quia te peccatorem tantum prævisum, adhuc inter Sacerdotes Ministrum Redemptionis Filij sui esse dignatus.

Ad verba: *Benedixit.* Unies intentionem tuam consecrandi cum intentione Christi, præsertim ut oblatione hac mortem ejus honores. Eundemque actum in Consecratione calicis repetes.

Ad verba: *Hostiam puram.* Puritatem sanctitatem & sine mortali culpa vitam petes per Christi mortem.

Ad verba: *Panem sanctum.* Gaudebis

debis de vita æterna & salute perpetua per mortem Domini tibi & omnibus præparata.

Ad verba: *Corpus & sanguinem.* Petes quàm maximam dispositionem ad suscipiendam Eucharistiam tibi, omnibus per totum orbem celebrantibus & celebraturis insuper etiam communicaturis de manu tua vel aliorum dari, & quàm proximè mores & affectus Crucifixi imitari.

Ad verba: *Sanctificas.* Gratias ages pro tui sanctificatione ac vivificatione, omnibusq; & singulis beneficijs merito passionis in te & omnes effusis.

Ad verba: *Per ipsum.* Gaudebis de honore & gloria æterni Patris ac Spiritûs sancti quam in utraque Ecclesia habet per Christum tanquam instrumẽtũ, cum Christo ut naturæ unius & individuæ substantiæ, & in ipso tanquam exemplari omnium prædestinatorum, eamq́ue gloriam magis ac magis elevari. *Cùm versùs pectus facit crucem:* Rogabis ut zelus

gloriæ Dominicæ mortis in corde tuo augeatur.

Ad verba cùm patenâ te signas: *Da propitius pacem*, omnib9 ex corde sincero offensas privatas dimitte, amore Crucifixi.

Pax. Ad verba: *Pax Domini* petes à Crucifixo pacem omnibus, primò interiorem affectuum, pacem à bellis externis domesticisq́;, pacem & unâ fide unionem, extirpationem inimicorum Crucis Christi.

Cõmunio. Ad verba cùm te signas: *Corpus Domini* tanquam extremum viaticum sumpturus, benedictionem à Crucifixo petes, utq́ue in ejus similitudinē aliquā mori possis. Hi & alij similes actus quos tua in Crucifixũ pietas facilè movere potest, signo Crucis interponi possunt. Ipsum id mediocri labore consequeris primùm si non omnes exerceantur simul, verùm subinde ac certis diebus uti Feria VI. vel festis Sanctæ Crucis; prout animi dispositio feret, donec usu ipso firmentur facilesq́ue redantur.

Actuum internorũ modus.

dantur. Deinde quod possint primâ, ut ajunt, intellectûs ac rudi veluti apprehensione, tum brevissimo ac summario voluntatis motu expediri, ut post exercitium aliquod experiri dabitur, non sine magno meritorum cumulo. Usu facilior.

Quare non inutilis nec de vacuo erat *D. Bonifacij Episcopi & Martyris inclyti Germanorum Apostoli solicitudo.* Misso ad Zachariam Pontificẽ Lullo Presbytero, non dubitavit quærere de numero, quoties Crux in sacrificio Missæ formari deberet *ut testatur Baronius Cardin. ad annũ* 751. Negligenter hæc ignavi ac tanquam superstitiosa legimus, sed judicio Patrum Ecclesiæ qui & sanctiores nobis & in Divinis perspicaciores erant concedere plùs necesse est. *Sanctus porrò Pontifex piæ legationi respondit*, velumq́; misit in quo Cruces tot acu pictæ cernebantur, quot in sacrificio adhiberi ex consuetudine Romana oporteret.

S. Bonifacij apud Zachariam P. de numero Crucis quæstio.

Baron.

ACTIO IV.

Rubricis Sacrificij Missæ gravitas.

CUm Divinum hoc quod in Missa peragitur sacrificium ejusdem dignitatis sit, nihilque illi quondam in Cruce peracto derogetur: eo quòd *ut sanctum docet Tridentinum sess. 22. c. 2.* Idem ille Christus continetur & incruentè immoletur qui in ara Crucis seipsum cruentè obtulit. *Et infra.* Una eademque est hostia idem nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit solâ offerendi ratione diversa. Quocirca conveniens fuit quasdam cæremonias seu ritus à Sanctis Ecclesiæ Patribus institui quibus tum ipsi Sacerdotes ad condignam pro merito tanti operis tractationem sensim disponerentur; tum fideles qui mysterijs eisdē interessent ad reverentiam externis signis admonerentur, & latere involuta sacra tot actionibus dum vident, so-

Causæ tot cæremoniarum Sacrificij.

briè causas à sacerdotibus inquirerent.

Tu morem geres Ecclesiæ sacerdos: non solùm accuratè Rubricas leges Missali Romano descriptas, sed etiam earundem lectionem die aliquo destinato ac otioso magis repetes; potissimùm quo primi sacrificij solennem memoriã quotannis innovabis, ut ita magis expeditus majorique audientium ædificatione Sacrum Crucifixi opereris. Ex illorum ore qui cùm nimis civiles se habent tum in sacris cæcutiunt *S. Doctor Angelicus objectionem accepit 3. p. q. 83. a. 5.* quâ plerumque isti politici Missæ cæremonias elevare solent. In sacrificio nil debet esse ridiculosum: videtur autem ridiculosum gesticulationes facere; ad quas pertinere videtur, quòd sacerdos quandoq; brachia extendit, manꝰ jungit, digitos complicat & seipsum inclinat, Ergo hoc non debet fieri, *Ita Magister Angelicꝰ ex aliorũ curiositate,* Quid Crucifixi Sacerdos talium ob-

Legendæ interdum potissimũ anno redeunte Sacerdoti.

Objectio aulica contra Rubricas ex D. Th.

jectionum materiam subjicies & levitatem alienam tuâ subministrabis? Multi certè adeo mobili corpore ad sacrosanctum altaris opus versentur, ut gesticulari videantur, ac Domini tristissima exponant ridenda. Multi eo aulico fastu, ore, oculis, vanitate capillorum, fimbriarum ostentatione, ac familiæ licentiùs stipantis strepitu celebrent ut nil minùs ad altare quàm Sacerdotes videantur.

Et justa videtur.

Verùm nonnullas Rubricarum leges hìc reducam ad intentionem honorandi Crucifixi, quò majori spiritûs fructu eas exequâre. *Primùm de aqua Calici miscenda.* Scitam Ecclesiæ legem novimus, Sacerdotes teneri vino aquam modicam affundere, de quo clara apud Patres Tridentinos mentio, & simul firma veteris instituti promulgatio. *Meminerint, inquiunt, præceptum ab Ecclesia esse aquam vino miscere sacrificaturis.* Causam ejus rei dedit *S.Th.* 3. *p. q.*74. *a.*8. *in c.* Quia hoc convenit repræsentationi

Aqua Vino miscéda ex præcepto.

ſentationi Dominicæ Paſſionis. Unde dixit *Alexander Papa*: Non debet in calice Domini aut vinum ſolum aut ſola aqua afferri, quia utrumq; ex latere ejus in paſſione profluxiſſe legitur. Jam verò *S. Concilium* docet hâc affuſione aquæ ſignificari cum Christo capite totius populi fidelis unionem, juxta dictum D. Joannis Apoſtoli, *Aquæ multæ populi multi*: quam Dominus paſſione & morte ſua fecit, cùm non ſolùm Judæos & Gentes antea inter ſe diverſos ac diviſos genere & religione in eandem Eccleſiam collegit; ſed etiam totum humanũ genus à Dei gratia & communicatione extraneũ in Filios Dei mediante paſſione ſua adoptavit, *ut S. Cyrillus Hieroſolymitanus ſapienter dixerit catecheſi 3.* Ubicunq; fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua. *Idem S. Patriarcha eâdem catecheſi adfert cauſam propter quã Christus in cruce mortuus aperto latere aquam fudit & ſanguinem.* In latere vulneratus, *inquit*, ſanguinẽ & aquam

Cauſæ ex D. Th. Alexandro P.

ex Tridentino.

Aqua fœderis ſymbolum, ex D. Cyrillo.

Cur in Cruce ex latere profusa? Idem.

emisit, ut alij quidem pacis tempore in aqua baptizarentur: alij verò tempore persecutionis in proprijs sanguinibus baptizentur. Quæ causa huc servit, ut dicendũ sit Sacramentum baptismi, aquâ: vino, Martyrium ac in eo ablutionem peccatorum per sanguinem ex charitate Dei profusum significari. Utrumq; autem efficaciam sanctificationis ex morte Domini participatam habere.

Affusionis duplex intentio.

Ex quibus hoc Sacerdotes concludimus, in affusione aquæ non solùm rationem Ecclesiastici præcepti habere posse, sed etiam memoriam Passionis ac mortis Domini non incongruè renovari. Ego duplici de causa Præcepto satisfacere intendam: quarum altera Obedientiæ sit virtꝰ ad majorum imperia exequenda inclinans, altera Religio ac gratitudo insuper, ex quarum intuitu cultum Christo Crucifixo deferam, tum nonnullum obsequiũ pro Redemptionis beneficio rependam.

Altera frequentissima Rubrica inclinationem capitis Crucem versùs præscribit. Quod genus demerendi Crucifixi non solùm graviter exsolvam verùm singulari affectu exercebo. Quid enim hâc inclinati capitis ad Crucifixum subjectione facere videmur, quàm ad Dominum nostrum tanquam ad caput membra, & sacerdotes ad Summum Sacerdotem subordinati referri? ab eoque vim omnis meriti ac sanctitatis mutuare? Hac itaque inclinatione: Inclinatio capitis Crucem versùs.

Primò. Gratias agamus pro infinitâ Domini charitate quâ motus inclinato capite emisit spiritum Patris in manus commendatum. Ex his actibus quinque.

Secundò. Humillimum Domini mei collum submissione arrogantis colli mei venerabor: tum benedictos illos nervos & venas, venarum nervorumque meorum contractu, quæ mihi toties sunt instrumenta peccandi: illud benedictum cerebrum ac Divinum, motione cerebri

mei tot vanitatum pleni adorabo: sensus meos qui maximè in capite vigent toties indignis objectis profanatos, tanquam in supremi dominij contestationem exhibebo, ac à rebus delectabilibus avulsos in ejus obsequium sistam.

Tertiò. Petam phantasiam meam, seu potentiam imaginativam Divinarum rerum contemplationi applicari, & aliena phantasmata seu imagines propulsari.

Quartò. Erubescam de mei capitis compto & ad oculorum illecebras fluente capillo, facie curiosè ad censuram speculi exploratâ; oculis per immodestiam hinc indè in aspectus formasq; dispersis.

Quintò. Petam veniam tot peccatorum quæcunq; isto in sacerdotali capite originem aliquando habuerunt vel habere consueverunt.

Benedictio populi ad finem Sacri.

Jam verò in fine Missæ dum benedicturus populo inclinaris. *Primò* ut supra gratias ages pro ejus morte inclinato capite susceptæ, *Secundò* hâc

hâc inclinatione me integrè in ejus voluntatem resignabo, quoad mortem etiam hodie oppetendam, ejusque omnes circumstantias, etiam cum repugnantia contrariæ voluntatis. *Postremò* rogabo ut per illam suam demisſissimam in Cruce capitis declinationem, in extremo vitæ meæ benignissimam miserationem animæ meæ atq; tunc agonizantium Sacerdotum cæterorumq; fidelium exhibere dignetur. Quos actus per intervalla assumere poteris, prout dispositio animi postulabit vel concedet, à qua potissimùm exercitia talia, & repentina ista, ut ita dicam, devotio dependent. Ex actibus tribus.

Extremum ex Rubrica opus Missæ Benedictio populi cum signo crucis. Eam neque leviter facies aut celeriter ita ut vix præsentes advertant, neque ita confusè ut aspicientes fallat. Fiat Crux expressa à fronte Sacerdotis usq; ad pectus, atque inter brachia ipsa terminetur. Primùm autem Sacerdos benedicturus caput incli- Non leviter agenda.

Causa ex Concilio Aurelian.

inclinat, ut doceat omnes à Cruce beatitudines nostras profluere. Quæ benedictio tanti in Ecclesia æstimatur, ut *Concilium Aurelianense de Consec. d. 1. Cùm ad celebranda*, statuerit: Ut populus ante benedictionem Episcopi, vel ubi ipse abest, Sacerdotis de Ecclesia non discedat: Hæc enim ultima benedictio significat, inquit *Durandus lib. 4. c. 59.* illam ultimam benedictionem; *Venite benedicti Patris mei.* Quam ex meritis Crucifixi habituros ostendit crux ipsa, quæ, ut signum Filij hominis, apparebit decretorio illo judicij die. Indè etiam Ecclesia conjungit ista duo: Mortem Domini, & extremam pro salvandis sententiam, in oratione quam legit in Missa de Passione Domini. *Domine JEsu Christe qui de cœlis ad terram descendisti, & sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut in die judicij ad dexteram tuam audire mereamur: Venite benedicti.*

Quid significet, Durã.

Docere

Docere hanc Ecclesiæ legem & publicare non prætermittes, atque celebriorem privatâ licet, Crucifixo tamen non injucundâ oratione reddes. Orabis videlicet: Omnes quotquot intererant meo sacrificio, & quotquot ejus oblationē complexus sum, ô Crucifixe tuam per mortem hodie à mortali culpa immunes tibi serva.

Quâ intentione benedicendus populus.

Brevissima hæc oratio à Domino Crucifixo pronis auribus accipietur, suæ Crucis opposito tam grandi titulo, quem tanti æstimat ipse ille. O te felicem Sacerdos, si hanc uni die isto gratiam impetraveris: impetrabis equidē si quotidie ita apud ejus vulnera & mortem supplicabis.

Supersunt adhuc Rubricæ una & altera Cæremonia non sine affectu in Crucifixum agenda. *Illa est talis:* Mandant Rubricæ non temerè & quocunque situ pollices in sacrificio jungi, sed alteri ut superponatur alter, quò nimirum sic Crux digitis efformetur. Eam legem nunquam negli-

negligam: quin pollices decussatos pectori leviter admotos feram, ut gestus hic obsequij loco Christum Crucifixum amet, totiesq; illi afficiar, quoties ita crucifixos digitos geram. Nam & quæ amamus teneriusque habemus, in signũ dilectionis internæ pectori applicare solemus.

Altera est de osculo Crucis quæ humerali medio esse debet, manipulo & stolâ. Advertes ne Cruces illæ suis locis desint, osculoque premes, memor osculi Judæ proditoris. Ah tibi mi JEsu seriò serviam. Ah suppleo delicta oris mei. Habetur *in Compendio Indulgentiarum Ordinis Eremit. D. August.* à Joanne XXII. indulgentiam 40. dierum concessam, qui Crucem Domini ubicunque ea inveniatur osculabitur. Quæ cùm sit omnibus communis, *ut ibidem annotatur*, intentionem ejus consequendæ per mortem Domini instaurabis illo induendi tempore, tum cæteris.

ACT. V.

ACTIO V.

Ex intentione Crucifixi celebratum.

MUltæ variæq; intentiones emovent pios Sacerdotes quibus sacrificium destinare solent. Me cùm plures aliæ incurrunt, tum hæc præcipua & longè cæteris eminentior voluntas excitabit, *Quâ scilicet ipse crucifigendus incruentum, cruentum Crucifixus jam detulit.* At quænam illa fuerit si fortè requiras? non stylus modò & oratio, sed neque mens angusta capit: profabor tamen ut suberit facultas.

Erat ardentissimi amoris & explicatissimi quo longè latèq; omnia secula retrò delapsa ac in vultum occurrentia, tum cœlum, Angelos, terras, homines, inferosq; complexus, in ijsque omnes gratias, omnem decretorum Divinorum ordinem, omnem possibilem ex hoc Redemptionis opere Dei gloriam, per sanctos in utraque humana & Angelica natu- Intentio Christi in cruce.

natura, per creaturas etiam irrationales augendam, quatenùs & hæ suo modo ad eum finem juvando homini aliquid conferre poterant & possunt. O vastum ac inscrutabile cor mei JEsu! ô intentiones multitudine, intensione, extensione, individuorum, specierum, objectorum cumulo infinitas! quas ille secum ad mensam & ad Crucem tanquã compendio exactissimo affectuum detulit.

Intentio usitata actibus interpositis.

Neq; puto aliam gratiorem Crucifixo fore. Præmissâ intentionis formulâ usitatâ pro consequenda indulgentia. *Ego volo celebrare Missam & cõficere corpus & sanguinem Domini Nostri JEsu Christi juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei totiusq; curiæ triumphantis.* Gaudebis de gloria Dei, Christi, Virginis Matris & SS. ac præsertim ejus cujus in memoria Sacrificium facies. Sperabis illius participationem; gratias ages quia te sacerdotem tantæ dignitatis voluerit, ut qui gloriæ suæ augen-

dæ à Deo ſis deſignatus. Petes eorum orationes utque cœleſtem illorum vitam in terris imitari poſſis & exprimere cœleſti converſatione inter homines.

Ad utilitatem quoq; meam. Pro intentione conſequendæ augendæq; gratiæ & ſãctitatis ſtatui ſacerdotali proportionatæ : tum auxiliorum efficacium ad majorem ſanctitatem, victoriam affectuum inordinatorũ, in eaque perſeverantiam: poſtremò felicem ſi hoc die conſtituta eſt à Deo, atque pretioſam in conſpectu Domini mortem ſanctorum ejus.

Totiusq; Curiæ militantis. Pro Cleri Secularis atq; Regularis impetranda quàm maxima ſanctitate, unione, fervore charitatis in Deum atq; proximum in concionibus præſertim ac confeſſionibus accipiendis, nitore templorum procurando, eximia caſtitate, honorum contemptu, dono impetrãdo ſanctiſſimæ illius quâ Dominus Noſter JEſus cum hominibus geſſit, cõverſationis, erga ipſum

Crucifixum, SSmam Euchariſtiam
Virginem Matrem peculiari devo
tione: poſtremò utilium Sacerdo
tum copiâ, & felici perſeverantiâ i
ſtatu ſacerdotali.

Pro omnibus qui ſe commendaverun
orationibus meis in genere & in ſpeci
Pro pœnitentibus meis vivis & de
functis, Parochianis in cœlibatu, vir
ginitate, viduatu ac matrimoni
conſtitutis, pro impetrando eis ſp
ritu veræ pœnitentiæ, auxilijsq́;
juxta Chriſtianam legem perfectè
ſtatu ſuo vivant. Pro agonizantib
hâc horâ; pro animabus in uter
matrum periclitantibus ut ad Sacra
mentum Baptiſmi pervenire po
ſint; utq́; peccata, luxus & luxur
parentum non ſint impedimento, n
infantes hâc gratiâ renaſcantur. Pr
ijs qui apud infideles & Turcas det
nentur; ne Chriſti gratiam, intuit
fortunarum & deliciarum, vile
habeant & amittant.

Et pro felici ſtatu S. Rom. Eccleſiæ
Ordinibus religioſis illius maxim

ſtudio

studiosis. Pro unitorum Græcorum augmento, illuminatione Ecclesiæ in definiendis articulis Fidei, tum cæteris mysterijs, ut Immaculatæ Conceptionis Virginis Matris, tum canonizatione servorum Dei, denique etiam in causis Politicis, pro Dei gloria semper majori terminandis. *Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.*

Illâ præcipuè intentione sanctissimæ voluntatis tuæ, quâ cruentum hoc fuso sanguine tuo Crucis in ligno sacrificium obtulisti. Pro augenda hac sanctissima intentione ejusdemq; removendis impedimentis à peccatis nostris provenientibus. Pro augenda gloria amorosissimæ Mortis tuæ in utraq; Ecclesia. Impetrandis plurimis effectibus acerbissimæ agoniæ tuæ. Extirpandis hæresibus ac gentilismo qui de-

trahunt maximè veritati ac effica-ciæ Crucis tuæ.

Sacerdotale Rom. Sacerdotale Romanum prima partis tr. 6. de Præpar. ad Missam c. 8. inter cæteras quæstiones quas sacerdos celebraturus sibi proponere debeat, & animum sacrificandi explorare, hanc quoque proponit: Mortis & charitatis CHristi memoriâ celebrandum. *An mortem Christi & charitatem me-morare velit?* Quæ interrogatio non inquirit tantùm, an passionis memorandæ causâ accedat sacrificatu-rus; sed magis, an intentione illius charitatis honorandæ, ex qua mortem Dominus amoris dolorisque plenissimam occubuit, velit sacrificare, & quam charitatem in illo actu ipse propositam sibi habuit. Cui interrogationi satisfaciemus abundè, si præscriptâ intentione celebrare aggrediamur.

Ad vulnera quinque Memoria Fidelium. Eidem intentioni adjunges memento ad vulnera quinque Amoris tui meique in quibus DEO Patri vivorum demortuorumq; salutem sistes.

Ad Pedem Siniſtrum.

Clementiſſime Pater. Ego vulnus pedis ſiniſtri Filij dilecti tui meique Amoris & intimè exoſculor & introvenio, Hoc eſt infinitæ charitatis ejus veſtigium quod teneo, per quod te obteſtor. Intra enim iſtud omnes quotquot à Crucifixi communione per hæreſim & ſchiſma divulſi deponere permittes. Tum infantium animas nondũ utero matrum eluctatas molliter colloca. O per hunc cruentum paſſum Domini JEſu facies ut illi ſuâ pertinaciâ ſolvantur, cæcitatem erecti fultique hoc pede deponant: iſtæ ad Mortis Domini formam & imaginem conſepultæ in baptiſmo tibi cum Domino JEſu reſurgant. Oratione in eum paſum.

Ad Pedem dextrum.

Clementiſſime Pater. Hoc eſt vulnus dextri pedis Filij tui dilectique meique unici Amoris, quod mœſtus ac dolens pertracto & tãgo. Ego intra iſtud veſtigium omnibus

ſolatijs incedés depono omnes quicunque deſtinatò peccant, aut jam vicino conſenſu imminent peccato. O tu facies ut à curſu ſcelerum hoc conſauciato Filij tui pede retineantur. Tum deinde quos Barbarorum vincula infidelia, privati dolores & mala tenent, aut in extremam vitam mors agonizantes impellit. O temperet illis mortem & metum judicij tui Mors Domini mei. O adeant per laceratum pedem iſtum æternitatem beatam ſecuri. Addo huic vulneri quos mihi Pœnitentiæ ſacramento filios filiasque addixiſti, ſeu Sacerdotio illi ſeu Cœlibatui ac Virginitati ſeu Matrimonio à te conſtituti inſertique. O ſanguinolente Pes oſtende eis viam bonam per quam ad te & poſt te ambulent.

Ad Vulnus Manûs ſiniſtræ.

Clementiſſime Pater. Ad vulnus manûs ſiniſtræ dilecti tui meique Amoris conſiſto, purpurâ ejus ſanguinis ubique opertum. Hinc Regibus,

gibus, Principibus tutelam ſupplex à te exigo. Hìc Imp. Reges, Principes pacis bellorumq́ue juſtorum Duces Eccleſiæ tuæ ſalvos eſſe velis. O cruenta manus Domini contra inimicos Crucis animos & ſceptra eorum firmabis, unies corda, charitate tua populos tuos adſtringes. Præſta idem meis quos ſanguis amicitiaq́ue adjunxit, beneficio etiam & amore vel injuriâ illatâ mihi cognit s. O liberalis manus! aperire meis etiam inimicis, tum quos moribus malis induxi & corrupi omnes imple uberrimo Redemptionis beneficio.

Ad Vulnus Manûs dextræ.

Clementiſſime Pater. Dextræ Vulnus Filij dilecti tui meiq́ue Amoris ſinceri obtueor & gratus excipio. O receſſus intime ſummorum Sacerdotum accipe Vicarium ſanguinis tui diſpenſatorem, ſuſcipe & conclude omnes Epiſcopos, Sacerdotes & quotquot ſacris ordinibus conti-

nentur. Benedices hâc dexterâ administris Redemptionis tuæ, & manu imprime Sacerdotibus tuis mortis acerbissimæ memoriam, amores insculpe & mores.

Ad vulnus Cordis.

Clementissime Pater, Vulnus dilecti Filij tui vuln9 ah acerbissimum Amoris mei corde fixum languens complector, stringo, premo. O amoris ara perpetuis ignib9 flam̃ans! intra te meipsum heu quò peccator audeo! Infernus erat locus huic capiti, audeo tamen te aperiente, meipsum inquam depono in victimam. O tu Amor! & quis alius amor? sed quisquis es alius pro isto libenter non amo. O in amoris hiatu isto morari & in abysso mori! O cor meum quid ames aliud? quando cor JEsu nil amat aliud præter te in te! O cor! ut Dei amori, meum conjungis! quid in me est, ut cum Deo ames me. Nil certè erat nisi propter Deum me amares. A non satis eras

amore DEi beatum O cordis venulæ! ô cataractæ cœlestes in meam ruptæ salutem! ô cor JEsu, per momentum quo extremi sanguinis incursu oppressum defecisti, tui Sacerdotis ah! tepidum cor in agonia mea animabis, incendes, combures.

ACTIO VI.

Pœnitentia & Baptismus administrata promptè, patienter.

QUandoquidem peculiari in hæc sæcula Divino favore Pœnitentiæ Sacramentum frequentius est; in hoc munere Sacerdotem Crucifixi te referes. Illam ipsa in cruce administrare non neglexit. Inter vulnera, clavos, opprobria, auribus super omnia firmis, uni latroni pœnitenti & moribundo vacare spatium fuit. Ideo à D.Paulo epistolâ ad Hebræos dictus *Pontifex Confessionis c.3.* Interprete *Hugone Cardinali*; quod auditor illius sit, audit enim confessionem nostram & absolvit. Quod huc usque in persona nostra Crucifixus peragit. Non

Non ignarus ſum moleſtiſſimam eſſe Crucem Sacerdotio locum quo ad peccatorum confeſſionem includimur. Plurimus hic labor eſt capitis laterumq́;, & ſola hæc actio pectus, & totum corpus frangere pervalidè potis eſt. Quid enim rudes omni patientiâ erudire? gravitatem alieni anhelitûs perpeti, mores, ſcrupulos, orationis perplexitatem, importuna multa diſſimulare, nec aſpero verbo effervеſcere ullo, nullo perſonarum delectu laborare vel ambitu, difficultate, morâ, affluentium multitudinem non fugere, ingens ſui Crux iſta eſt. At fel iſtud diluet dulciſſimus Crucifixus ipſe Crucifixus felle potatus, & in ligno adſtrictus. Illius memoriam inducit ſignum crucis in pœnitentem erectum. Quâ cæremoniâ doceris hoc Sacramentum à te miniſtrari amore Crucifixi atq; ejus vocatione, & virtute. Quare illa verba: *Dominus ſit in corde tuo & labiis* orabis; per crucem hanc, ut tibi det

Redem-

Redemptor convenientem dispositionem, ad magnam gratiam ex administratione; Pœnitenti ex receptione promerendam. *Pœnitentialis codex antiquissimus à Cardinali Baronio relatus in Notis Martyrologij Romani ad 11. Iunij, similia præcipit:* Cùm venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua: mandat ei Sacerdos, ut expectet modicùm, donec intret in cubiculum ad orationem. Ubi *Nicolaus Serarius Commentario in Esther c.8.* intellexit; licet oratorium privatum Sacerdotis; tamen in frequentia populi, satis erit bono Sacerdoti, hâc oratione cubiculum cordis sui intrare, & in Crucifixum ita mente prospicere, cujus sanguinem illo munere dispensat. Ideo quoque conjungitur signo crucis absolutio: ut instruaris non tantùm moveri nos ad pœnitentiam meritis Crucifixi, sed & remitti peccata, & illam actionem in Crucifixi honorem tanquam in ultimum finem desinere debere. Undè & verba: *Passio Do-*

Domini nostri, tum amore in Crucifixum, à quo tanta salus; tum in pœnitentem, ut ei hæc gratia efficaciter concedatur per Crucifixum, proferes.

S. Philippus Nerius Nostri Ordinis præsidium & decus confessionibus usque ad extremam vitam accipiendis indefessus; quare & innumeros filios Deo peperit. Vidisses illum senem circumfusâ pœnitentiũ coronâ lætum, omnium mores indutum, summâ modestiâ, pari gravitate, nil in vultu, oculis, habitu, quod ex illo non esset Divinæ Misericordiæ loco. Quoties te incesset levitas deserendi pœnitentes, vel tædium vel labor, cogita Sacerdotem istum. Præ primis cogita Crucem Domini illi innitere, ubi postulatus tot clamoribus, non descendit, audivit, absolvit.

Neque minus designandâ pœnitentiâ Crucifixum prætermittes. Xerophagias ut *Tertullianus* dixit, hoc est siccorum esus: chaumenias item *D. Hieronymo* usitatum mortificationis

ficationis nomen, hoc est nudo solo cubitationes, longas quoq; orationes, voluntaria in corpus flagella delicatis aut debilibus aut occupatis imponere non possumus, neq; expedire interdum Sacerdotis prudentia judicabit. Aliâ igitur viâ contendendum est ad satisfactionem pœnitenti necessariam & salutarem, quæ facilitate & utilitate commendetur. Atq; hæc est si nimirum per memoriam Crucifixi aut ejus vulnerum quinque satisfactioni efficaciam addemus. Quod quidem ita exequi poterimus. In honorem quinque vulnerum aut psalmos quinque initialibus JESUS literis consecratos assignabimus, aut quinque pauperibus eleemosynam, aut quinquies Orationem Dominicam, aut quinque vulnerum Christi oscula, idque ad reverentiam eorum quæ in suo corpore crudelibus accepit instrumentis. Quod genus satisfactionis nè affectatum videatur in promptu habeo *Gregorium XIII.* qui Urbis Romæ

Utilis hoc delicato seculo.

Suffragatur Pontificum pietas.

Spatio-

Stat ones concessit in partibus Septemtrionalibus Ecclesias ter quaterque visitantibus & sacramenta recipientib9, addita ista conditione: Si oraverint pro exaltatione Ecclesiæ & hæresum extirpatione quinquies Orationem Domini & Angeli salutationem in memoriam quinq; Vulnerum Salvatoris. *Habetur in Comp. Indulg. Regul.* Undè habes quantopere usus pœnæ imponendæ cum memoria Crucifixi eidem placeat qui eam mentem Vicario suo injecerit ad emolliendam hoc seculo delicato pœnitentiæ quondam in Ecclesia acerrimæ severitatem, atq; illam blandiùs efficaciâ non minori promovendam.

Talis Pœnitentiæ Modus, & Praxis.

Porrò autem ut pluribus meritis pœnitens suam hanc satisfactionem locupletet, eamque pœnis temporalibus remittendis utiliorem reddat, nec non auxilia vi sacramenti Pœnitentiæ à Domini liberalitate conferri solita abundantiùs impetret, quibus fretus peccata in suis oc-

casioni;

casionibus occurrentia constantiùs vitet: admonebo pœnitentem hanc licet modicam satisfactionem, tamen in ejus potestate esse ut magnorum meritorum efficiat: Nimirum convenire dicã ut se in aspectu Crucifixi sistat & corde supplicis & corpore in terram abjecto ad pedum vulnera recitatâ oratione petat remissionem peccatorum cum sincero amore illius qui ita suos pedes amore peccatoris vulnerari voluit.

Dolebit quòd toties in pedes Domini sauciatos deliquerit: Nominatim immoderatis choreis & simul inhonestis, visitationibus locorum, personarum, hortorum, palatiorum in quibus se peccâsse recognoscit.

Proponet ad hos pedes pro amore Amoris hujus nunquam se similes aditurum occasiones, aut cautiùs in illis habiturum, O Pedes Domini & genua sanctificate istos pedes nè illis tam amabilem Dominum Crucifixum offendam.

Ad vulnera manuũ peccata manibus

nibus commissa amore vulnerum JEsu detestabitur: nominatim impudicos gestus, tactus, complexus, cædes, injurias, rapinas, amatorias literas & picturas, cæteraque in scandalum vel contemptũ proximi scripta. Tum vanitates manuum per annulorum ostentationem vel ab amasijs donatorum in signum impudici videlicet amoris. Donaria item missa eidem illiciẽdo., eleemosynas negatas passim, pocula ad ebrietatem.

Ad vulnus lateris, præmisso actu amoris erga tantum amorem, dolebit de internis voluntatis in peccatum assensibus: nominatim inordinati & inhonesti erga personas certas amoris, iræ toties circa cor contra inimicos inflammatæ ac diu animo vindicandi modis illicitis servatæ. Dolebit quòd impurum cor suũ vi. & epulis ardens, non sit proportionatum purissimo & exsucco cordi Domini JEsu. Ex suo enim corde prodiêrunt furta, adulteria, impu-

impudicitiæ, oculus malus, iræ, invidiæ, rixæ, fraudes. O qualis officina virtutum Cor JESU! qualis sentina scelerum cor meum!

Proponet hæc rursum vitare, auxilia petet cordi suo. B. Virginem Matrem orabit, ut cor suum quàm simillimum puritati cordis Filij in se vivat. His ita pro tempore ac pœnitentis dispositione vel captu, tum qualitate conscientiæ propositis, mirum in modum Sacerdos illum in satisfactionis negotio juvabit, tum per amorem Crucifixi in vitæ melioris proposito solidabit, ipso Domino curam apud animum pœnitentis promovente. Crux enim est ut ait Incertus apud Gretserum de Cruce tom. 2. *Solutio aut dissolutor peccatorũ.* Et alius ibid. ita Crucem salutavit. *Salve Crux quæ mores pravos corrigis, & ad meliora vivendi consilia auxilium subministras.*

Primam religioni suæ, ajebat ille, judex debet patientiam. Quantò magis Sacerdos, pater idemq; judex? Plin. l. 6. epist. 2.

Omnia deferenda nè pœnitens deſeratur.

Patientiâ hîc opus, ubi multa illam in ſacerdote incauto irritare poſſunt. At tu addes etiam promptitudinẽ, ultrò aderis, vocatus omnia deſeres nè pœnitentem deſeras. Peccatum enim ex illis malis non eſt quæ morâ deficiunt & vaneſcunt, feſtinationẽ poſtulat nè invaleſcat.

Causâ idoneâ.

Contingere poteſt ut moras texente ſacerdote, animũ pœnitens confitendi mutet, deſerat fervorem, in ſocios incurrat qui irridendo avocent. O quantum in mora Sacerdotis periculum! Tu itaque conſtitutâ loco commodo cathedrâ frequẽs diebus feſtis ipſe auditurus ſedebis, etiamſi nulli venerint. Perſeverantia tua aliquos tandem emovebit. A pauperibus operam inchoare expedit & populo qui citiùs cedit monitis Sacerdotum, tum Nobiliores exemplo ducet, ut non erubeſcant & ipſi accedere inductâ per te conſuetudine nè ſit nota ſingularitatis frequentiùs confiteri. Quod efficere poteris hac arte: Si loco pœnitenia

nitentiæ alteram post duas vel tres hebdomadas confessionem injungas, ijs præsertim qui suæ potestatis sunt; à Conjugatis & Nobilibus quærendum, an hoc genus pœnitendi pro animæ suæ salute suscipere velint. Contingetut hoc sedulitatis nomine sacerdos irridearis à cęteris. Diceris alienæ vitæ curiosus, captator conscientiæ, & mulierum, ostentare diligentiam, familiaritatem & colloquia puellarum ita venari. Neglige hæc Crucifixi Sacerdos, conscientiâ in eum erectâ & obfirmatâ patiendi voluntate. Cæterùm nobis ita persuadeamus, eos sacerdotes qui vero animarum zelo ducti istam subeunt Crucem, multùm ad propriam perfectionem causæ habere. Inprimis humilitate proficimus. Quàm parvas sæpe conscientia secularis culpas fatetur! quantas ego? Si autem magnas: an tu non in similes labaris? nisi manus Dei conservet? Puritatem ibi discimus, nè quod remittimus Dei nomine pec-

Ars pœnitentibus deducendis in Pœnitentiæ morem.

Confessarius superior esto convitijs.

Commoda in Confessarium ex Pœnitentibus.

Humilitas.

Puritas. catum ipsi committamus. Ut puros nos præstemus qui alios tales volumus. Prudentiam deinde dum consilia damus ad vitanda peccata ; an non & tibi voles ire consultũ? Perire alterũ non vis, ipse pereas. Sic agendum pœnitenti consulas, ipse sine consilio agas? Sic vincendas animi passiones dicas? ipse vincaris? Experimento tuo profectò disces veram ex hoc officio ritè acto conscientiæ quietem, prudentiam, ac sinceram puritatem promoveri.

Prudentia.

discuntur.

Fiducia in Deum.

Quod si humana infirmitas aliquas tibi imagines ex auditis sceleribus affixerit, scias velim magnorum tibi meritorum datam sementem, dum ita pugnabis, nec minore tamen fiduciâ cum Deo ages. Tuo in nomine tuo jussu hæc audivi, ad salutem aliorum audivi: ergo tu innoxiè conscium Crucifixe juva. Habeo jus auxilij cùm Sacerdotem tui sanguinis ministrum jussisti. Non deseret procul dubio te dubium Crucifixus, ita vove ita roga, ita spera.

Promittam vestrâ Sacerdotes veniâ calamũ & in aliquot conclusiones Confessionibus idoneas explicabo, quas seu Doctorum seu privata observatio mihi collegit, eam ut crucem aliquâ facilitate aspergam. Aphorismi Sacerdotũ de Pœnitentia.

Prima esto D. Bernardi Sylvestris in epistola & habetur in fine operum D. Bern: Claræ vall. *Nemo animam committit nisi diligentibus suam.* Prior tu vive ut decet neq; ut populus sic Sacerdos. Seculares nolunt esse suum Confessarium talem quales ipsi. Nam simile non agit in simile, improbus Sacerdos probum faciet pœnitentem. De cura & regimine Rei familiaris ad militem Raymundum. Primus. Dilige animam tuã.

Jucundum hîc subtexam à gravi Doctore Roberto à Sorbonia lib. de Conscientia. c. 16. in Bibliotheca P. P. tomo 5. Adfert quendam fornicatum *quæsivisse Sacerdotem qui tenebat concubinam suam & ei confitebatur; & quærebat ab eo Sacerdos, si fecerat mulieri illi vim, & dicenti quòd non: Pater noster, Pater noster. Et similiter quando erat ebrius, quærebat Sacerdotem qui libenter* Robertus à Sorbon. Sacerdos concubinarius, & ebriosus qualis Theologus.

Pœnitentia, Pater noster Pater noster.

ibat ad popinam, & qui sæpe ebrius erat, & confitebatur ei, qui quærebat, si bene solvebat: respondenti quia sic: respondebat sacerdos quòd meliùs esset bibere suum quàm alienum: Pater noster, Pater noster. Et dixit peccator omnibus sociis suis, quòd non erat melior Confessor quàm ille, & collaudavit socijs suis ut irent ad illum. Hi stultè animam comisêre qui non dilexerat suam. At sinceri pœnitentes alium quàm ipsi sint quærunt. Te unum ex his compara, indè pœnitentium confidentia indè felix numerus. Magna ordinis Nostri infâmia contingit quæri alienos ad vulnera animi, tanquàm manus nostra medicinæ non sit idonea. Dilige animam tuam committent alij suam.

Secundus, nè solum te reputes.

Conclusio secunda. ex eodem Roberto. c.17. Gratum tibi sit si alios quærant. *Aliqui, inquit, irascuntur de hoc quòd subditi sui aliis confitentur postquàm confeßi sunt eis, cùm tamen ad hoc officiũ vix sufficiat aliquis quantumcunq; sit bonus & sapiens. Et certè*

bonus

bonus & sapiens de hoc rogat discipulos suos quod aliquando audiant ab aliis. Scit enim quòd plùs diligent eum & plus honorabunt eum: præterea & libentiùs audient ab eo, quando videbunt quòd magister eorum, ad hæc diligentiùs & meliùs docet eos quàm alij: & ut referant ei opiniones aliorum. Et sic est de bonis Confessoribus. Et certè confitentes mihi multa me docuerunt quæ ab alijs Confessoribus audièrunt. Et concludit c. 19. *Demens igitur est Prælatus vel Confessor, qui non vult quòd subditi sui meliorem quærant Confessorem quàm ipse, si invenire possint.*

Tertia ejusdem D. c. 20. *In Confessario plus valet zelus & diligentia, mansuetudo & experientia multa quàm librorũ copia vel scholaris scientia maximè in communibus peccatis.* Caspar Sanctius vir notus Commentarijs in Scripturam erat in pœnitentes benignior: hinc religio animum incidit, nè suâ indulgentiâ sanguis CHristi temerè, ut ajebat ipse effunderetur. Cogitanti CHristus D. apparet & firmat,

Tertius nè subtilis & scholasticus.

Favens exemplo Sanctij & Realini.

firmat, sic agendum cum pœnitentibus: addit ancipiti, E numero electorum esse. *Bernardus Realinus è Societate JEsu*, consultò selegerat opiniones Doctorum pœnitentibus favorabiles. *Vir iste innocentiâ vitæ ac singulari circa pœnitentes suos curâ, interdum prodigiis clarus, vixit extremâ penè senectâ Pœnitentiũ Pater.*

Hautinus.

Jac. Hautinus in Sacr. Amoris l.1. dist.2. Non erit ergo Sacerdos in aliena conscientia subtilis & minutus. Libero quodam oculo & dilatato à charitate JEsu corde procedat. Subtiles isti præsertim qui nuper à Scholasticæ Theologiæ scamnis huc venerunt, natant potissimùm rationibus & pugnant, nec quò pes figendus aut dirigendꝰ pœnitens nôrunt. Reflexiones, ut ajunt, faciunt novas novosque fingunt casus, nusquam quieti & pœnitentem ex sua subtilitate metiuntur. Refugium conscientiarum & tutelam, Sacramentum Pœnitentiæ Dominus voluit esse ad quod errantes conscientias deponeremus

Ratio istius bona.

remus & solaremur, non fidiculas aut scholas. Intellectâ specie peccati ac numero, quantùm ordinariam in cæteris actionibus humanis & œconomicis discussionem adhibere solitus est pœnitens, Confessarius contentus esto. *Unde videmus, ait D.Rob: citatus, apertè ubiq; quòd magis proficiunt & profecerunt ab initio Ecclesiæ in conversione peccatorum à paucis literis zelum animarum habentes, peccatoribus compatientes, quàm magni literati de sua scientia gloriantes vel etiam præsumentes.*

& ab Experientia.

Robert.

Quarta. *Monebit pœnitentem non teneri illum luctari secum consenserit nè an non. Quia tales pugnæ augent tentationes præsertim carnis ut docebat S.Philippus Nerius monito 75.* Deinde tempus auferunt bonis cogitationibus, caput fatigant, conscientiam turbant. Quæ incommoda tanti sunt ut pœnitens debeat ab inquisitione tali desistere ac securo animo esse. Signum non dati consensûs *S.Philippus docebat:* Si sentias amo-

IV. In cognoscendis assensibus prudens.

Signum dissensûs ex S.Nerio.

rem erga virtutem quam tentatio
oppugnavit; si jurare non audeat
consensum fuisse. *Monito 74. ex impressis Romæ.*

V. Nè curiosus interrogationibus. Domin. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. Soarez. disp. 32. s. 3. n. 3.

Quinta. *Non esse officium Confessarij per se interrogare* ait Sotus. Et si quis ritè confiteatur ut semper supponendum de ijs qui benè instituti, aut nobiles sunt, item docti & Sacerdotes *omnis interrgatio aut eri curiosa, aut otiosa aut onerosa* dixit Suarez. Quando contingit ut volentem postulantemq; interroges atq; is neget se hujus conscium: addere congruum est: Gratias age Deo qui te ab hoc peccato custodivit. Nam sic pœnitens & peccatum apprehendit, & datâ occasione excitabitur ad illud vitandum, à quo præservatum esse magnam Dei gratiam agnovit.

VI. Relabentiũ tractãdorũ providus.

Sexta. Recidivos qui sui juris sunt & ultrò confitentur, si modò appareat emendatio semper absolvere poterimus. Vix enim credibile humano modo eos carere proposito, cùm solâ conscientiâ, instigante nul-

lo

lo confitentur. Cur enim id faciunt nisi quòd aversentur factũ, & quòd peccati admissi veniam habere volunt? quam sciunt se non posse consequi à Deo nisi hîc & nunc voluntatem habeant non peccandi. Nam quòd deinde proposito excidant, mutabilitati voluntatis dandum, non autem quòd confitentes proposito emendationis caruerint efficaci.

Pro absolvendis causa commoda.

Relapsus non semper ex defectu propositi.

Septima. Cum fœminis simpliciter loquatur, sine aliqua reverentia, etiam principibus: hoc enim videtur ad gravitatem Sacerdotij spectare, & quòd plerumque istæ honorem illo in loco non affectent, ut est devotus fœmineus sexus.

VII. Nè cæremonias verborum misceat.

Dominos & Nobiles in persona tertia: sic enim inutiles cæremonias evitabit. Sacerdotes in plurali persona & prima: obstricti sumus Deo, serviamus illi. Sic enim invidiam monendi, cùm opus, evitabit. Habeat etiam terminos quibus in materia honesta minùs, procedat honestè.

Modus loquendi fœminis, nobilibus, Sacerdotibus.

Honestâ formulâ ita S.Franc. Sal. Instruct. Cōf. c. 1.

nestè. Pollutionem dices, Naturalis humoris resolutionem cum delectatione intra vel extra naturæ locos, & similia. Neque sit hîc exquisitus: tum propter reverentiam sacramenti ac oris sui consecrati, tum nè nimiùm pœnitentes erubescant. Quæ etiam dixerunt pœnitentes involutè ac tectè ob ruborem, dummodò intelligas, nè quæsiéris, nisi dubites. Pœnitenti confitenti mollitiem voluntariam non dicat, *hoc peccatum esse gravius fornicatione vel adulterio*. Nam licet hoc verum sit, tamen cavendum nè illi hâc ratione istorum occasionem vel cogitationem ingeras; quorū fornicatio gravior ratione scandali & complicitatis, adulterium ratione injustitiæ; & præterea quia major ad libidinem voluntatis propēsio agnoscitur quò plures actus ad fornicationem disponentes præcedunt quàm ad mollitiem.

Dissimula, dum intelligas.

Nè gravitate dum terres, in aliud illexeris.

VIII. Avocamēta externa

Octava. Qui mollitie delinquunt voluntariâ suadere expediet ut se exter-

externo aliquo opere distrahant quale est visitatio amicorum, lusus & agitatio corporis. Nam talia phantasiam avocant & quia de se mala non sunt, ea tentatione ingruente suadere ad prudentiam & zelum pertinebit. Similiter, quia hoc in juvenibus & robustioris naturæ frequens accidit, incitabit ad vitandum peccatum facilitate vitandi. Primùm solùm tunc peccari cùm voluntaria & volita omninò est, per tactus & cætera ex intentione delectationis secuturæ media adhibita. Non nocere hîc sensum qui sæpe etiã ex licitis incitatur objectis, nocere consensum, qui in nostra sit potestate. Mora non quæcunque hîc sed quæ cum advertentia rationis plena sit, peccatum est. Effectum hunc secutum ex cogitationibus quibus non consensisti, peccatum non esse. Sic extenuatâ difficultate quâ se plerumque tales excusant ad fortiter pugnandum pro Deo & anima sua firmabis.

utilia tentatis.
Ita S. Frã. Sal. Introd. p.4. c.7.

Extenuanda difficultas non peccandi.

IX. Semel dicta pro Confessione passim non repetenda.

Nona. Peccata semel confessioni subjecta etiam tibi, non facilè suadebis ut iterum confiteantur. Nam licet hoc ad suam verecundiam & victoriã facere possint, quâ planè satisfacere pro peccatis possunt *ut docuit S. Thomas in Supplemento* : tamen timendum est, nè opinione istâ imbuantur, quasi iterum obligentur confiteri, indeq́; eveniat ut aliquando erubescentiâ prohibiti, reticeant per errorem atque ita peccent.

Causa. D. Th. in Suppl. q. 8. a. 5. ad 4.

X. Pœnitenti sit Minister magnorũ meritorum Sacerdos.

Decima. Eos qui tentantur monebit ut has ipsas tentationes Deo in amorem ejus offerant, & in satisfactionem pro peccatis molestiam illam, tum pro virtutibus contrariis impetrandis, denique pro illis qui tentationibus similib9 succumbunt. Ita ad magnum meritorum cumulum tentationes pœnitentium evehet, Deoq́ue Domino gratissimam ex suis pœnitentibus victimam offeret, misericordiãDomini inflectet, & seipsum summo Sacerdoti Christo Domino in gratiam peculiarem insinua-

insinuabit. Tentationes blaſphemæ vincentur meliùs negligendo, quæ fœminis ex inſtabilitate phantaſiæ ac retentione naturalis qui per menſes excernitur humoris provenit, viris ex melancholici mali copia.

Tentationes pleræque negligendæ.

In fœminis & melancholicis.

Pergant in oratione, atque ſi nullas cogitationes adverſas paterentur. Quoniam ſic phantaſiam orationi aſſueſcent, & hoſtis neglectus, ſua retia quaſi aliò deflexâ prædâ deponet.

Tractatio malè-contentorum.

Eis qui ſuo ſtatu contenti non ſunt quem mutare non poſſint, non dicat, malè factam electionem, nè animum in difficultatibus deſpondeant, atque ideo juvari ægrè valeant. Neq; dicet Cur talem ſtatum delegeris? quis te coëgit? hæc enim nil amplius proſunt & tamen paſſim jactantur, animumq́ue remordent. Dices omnia ad leniendum. Deo hãc viam ſalutis placuiſſe. Patrem illum eſſe nos non impellere in jacturam animæ quam ipſe creavit redemit. Patientiam noſtram brevem ſatis requiri, ab eodem poſtulandam.

Non

Non differri auxili neq; patientes deseri. Probari sanctos.

XI. Nè severus in pœnitentijs. Undecima. Jejunia non designet ijs qui non sunt juris sui ut conjugati, filiæ cæterique sub cura. Satis erit Ad Jejunia Ecclesiæ. Ecclesiæ jejunia per hebdomadas occurrentia injungere. Quia extraordinaria suspectos reddunt, aut Ad breve tempus restringet. saltem molestiam pariũt. Optimum Ecclesiæ ut dixi jejunia applicare quæ sæpe sine intentione & ex usu, fructu nullo singulari jejunamus, Non stipendia Missarum. Ad breve tempus pœnitentia sit, nè oblivioni tradatur, satisfactio defraudetur. Non designentur stipendia pro Missis: hoc enim videtur genus avaritiæ, suaque causa agi à Sacerdote, sed potiùs eleemosynæ erogandæ pauperibus imperentur.

Neque item variæ. *Ita S. Franc: Sal: Instruct: c.* 8. XII. Tractatio Rudium fit citra Reservationem. Duodecima est Navarri. *Reservationem peccati non incurrere eos qui ignoraverunt eam, similiter de Excommunicatione tanquã pœna, sensit.* Quæ doctrina circa rudes locum habet præcipuè, quos da-

to casu facilè sine scrupulo absolve, nec ad Superiorem remitte: Non enim adibunt, simplicitate aut verecundiâ suâ. Undè incommoda gravia conscientiæ oriri possunt & tandem salutis ipsius negligentia. Plures ipse sacerdos industrius observabit, mihi animus non erat omnia colligere sed magis obvia, quò gravitatem hujus officij pro Crucifixo lenirem.

Navarr. in Summa. c. 23. n. 47.

Ad Baptismum accingimur. Sanctus Gentium Doctor ad Rom. c. 6. duo hæc connexuit Baptismum & Mortem Christi: *An ignoratis quia quicunq; baptizati sumus in morte ejus baptizati sumus?* Hoc est ut Lyranus explicat: *Per virtutem mortis hujus, à qua baptismus habet efficaciam.* Ipse Dominus sermone in eo quem habuit cum Nicodemo, ubi docuisset baptismum ad salutem esse necessarium, mox exaltati à Moyse serpentis mentionem intulit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis. Joan. 3.* Sermonem

Baptismus Mortis Dominicæ symbolum.

ex D. Paulo.

ex D. Joanne.

Pintus.

nem esse *de Cruce & Morte Domini*
contextus totus edocet ait *Joan. Pintu*
in Christo Crucifixo lib.1. tit. 3. loco 3
Hinc & S.Paulus iterum collisis in-
ter se ac dissidentibus Corinthi
iratior paulò, hæc duo unâ sententi
complexus est 1. Cor.1. *Nunquid Pau*
lus pro vobis crucifixus est aut in nomi
ne Pauli baptizati estis? Quæ S.Pat
Chrysostomus hom.3. in eam episto
lam ita commentatus. *Nec dixit nu*
quid Paulus mundum condidit? nu
quid Paulus vos ex nihilo ut essetis e
cit? sed crucem tantùm meminit &
ptisma, & quæ ex his proveniunt bo
Hæc ideo in istum locum conjeci,
sacerdotes motivum habeant n
insufficiens ad promptè & alacri
Baptismi Sacramentũ parvulis co
ferendum, in quo Passionis Cru
ac mortis Dominus suæ memoria
deponere voluit, tum ejusdem
cerdotibus veluti præsentem
cum liquore affundere. Ita quo
hoc administramus Sacramentu
toties Crucifixum honorare po

Iterum ex D. Paulo.

Interprete Chrysostomo.

Ratio dictorum.

mus & velimus, ejusque ſanctiſſimæ intentioni in hac actione ſerviamus.

Iſtius fontis Miniſtri ordinarij ſumus à Domino conſtituti quando dixit Apoſtolis, *Euntes ergo docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine &c.* Ad illum affundendum miſeris parvulis alioque medio ſalutis carentibus tum illorum ſalus Chriſti ſanguine pridem parta, ſi mediantibus nobis tantummodò applicetur, nos incitabit, tum Crucifixi amor & honor qui medio iſto in omnes propagatur & diffluit, cùm per cætera Sacramenta ad certos ſtatus hominum & conditiones veluti reſtrictus dimanet. In Paſſione ſua Dominus dixit ſe *effuſum ſicut aquam* eſſe: Cujus ratio myſtica eſt: Quòd ſicut aquæ facilis eſt liberalitas ita Chriſtus ſui ſanguinis nullam voluit habere ex difficultate commendationem. Atq; ideo dum Baptiſmi principalis & primi Sacramenti & quo in Chriſtianos initiamur materiam eſſe aquam voluit, commonere viſus

Parvulorũ baptiſmo advolandũ Sacerdotibus.

Ratio huj9.

Nè de pretio quæſtio.

ſus eſt, nè hoc, nè cætera ſacramenta pretio quod abſit licitentur Sacerdotes. *Sacramenta inquit D. Ambroſius aurum non quærunt.* His cauſis tu alacriter ſine mora ſine ſpe lucri advolabis, neque tam arcti temporis remedium præſtolari ad templi fores patiêre.

Ambroſius.

S. Hilarius.

Reperio *in vita S. Hilarij Arrianorum illius Triumphatoris apud Haræum* 13. *Jan.* Baptiſmum vocatum olim Signum Crucis. Pulſus hic Doctor Pictavo Epiſcopatûs ſui ſede ab Arrianis quartum jam annum in Phrygia exulabat cùm Seleuciam Iſauriæ urbem à Conſtantio Imp. Arriano vocatur. Hoc in itinere dies Dominicus in templum Sacerdotem Domini invitaverat; cùm irrumpit illuc vocante Deo gentilis puella Florentia voce magna Dei ſervum veniſſe teſtata. *Non ceſſavit, inquit Fortunatus Scriptor apud Har: puella rogare, niſi ſignum Crucis ab eo ſibi fideliter impetrâſſet.* Quod non intelligendum de materiali aliqua Cruce

Haræus.

Fortun.

Baptiſmus dictus Signum Crucis.

au

aut catechesi & cruce quâ catechumeni initiãtur, sed de baptismo verba sequentia declarant. *Quam pater secutus & cuncta familia meruerunt pariter baptizari.* Erigere te ac firmare Crucis signum intellige, quoties baptismi Sacramentum conferes. Jam de charta manũ, cùm horrendam sanè tragœdiam Sacerdotis unius improvidâ curiositate datam Norimberga seculo Lutheri Anno 1544. subdidit. Eam *Hieremias Drexelius in Salomone suo c.6. §.4. recitavit gestam dicto anno 14. Junij.* Adolescens in Academia illa Veneri unà studebat atque pro sapientia & Pallade viduam quandam obsequijs, amore, usu & usurâ tenebat. Parit hæc amicitia partum utrique mox dolendum, imò plures casu infelici rapturum. Delatus infans ad sacrum fontem; jam fortunatum diceres, nisi in durum ac nimiùm officij sui retinentem Parochum incidisset. Quærit is à nutrice nomẽ patris matrisque inscribendum. Et vi-

debatur ex lege popoſciſſe Eccle-
ſiaſticâ, ſi pertinacia noſcendi de-
fuiſſet. Negat illa ſe poſſe fater
nomen. Et hìc prudens Sacerdo
ſatis habuit ad conjecturam,ſuo mu
nere functurus innocenter. Sed
arcana Numinis judicia ! ô irani fa
torum ! ut nulla contra ultorem
DEum conſilia ! ut ab hoc uno ac
tragœdia cœptata & confecta t
mortibus. Neganti inquam bis ter
Patris nomen, negat Sacerdos in
tior fortè, mulierculæ officium, in
fanti baptiſmum, ac domum inti
ctum rejicit. Mater infamiæ met
perculſa miſerum infantem calent
bus aquis citra Sacramentũ defoca
ſe aëre damnat incluſo ad funer
Juvenis gemini funeris reum ſe ra
tus ac metuens publici in ferrum pe
ctore incubuit. Siſtite jam cœli mi
nas. Heu ! ipſe ille Curio curioſ
& Sacerdos claudit agmen. Co
ſcientiæ furijs actus augere infauſt
manes & infernum decrevit atqu
pœna

pœnas intempestivæ curæ & incuriæ dare. Sacratâ manu quâ in vitam immortalem dare infantem poterat, laqueum induit collo, vitam ah! infamem & Divinæ justitiæ servatam unà & Sacerdotium exuit. Horresco referens sed moneo; non difficiles sint Sacerdotes in baptizandis infantibus, à perdito hoc Parocho discite Parochi nè pereatis.



ETHI-

ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex Moribus Crucifixi & cultu

LIBER II.

Seu

Inter Horas Canonicas.

Actio I.

Primæ Psalmus XXI. additus idemq́; explanatus.

SExtâ Feriâ hoc eſt lugubri ac fatali Crucifixi die Pſalmus 21, additamenti loco ex Rubrica Romani Breviarij adjectus eſt, quò ſacerdotum mentibus atque oculis Amor ille objiceretur. Hunc die iſto Dominus ipſe recitare voluit, veluti ſacerdotibus daturus initium aut lecturis prælibaturus, nè deinceps continuare ſingulari amore ſuo ac dolore tantum amorem doloremq́ue negligerent. Fuiſſe uſum

Recitandus exemplo Domini.

istius psalmi ad memoriam Passionis à Clericis decantati, significare videtur S. Cyrillus Hierosolymitanus qui suos Clericos catechesi 13. publica dilaudavit. *Sciunt hoc studiosi Ecclesiæ Psalmistæ qui Angelicos imitantes exercitus semper Deum laudibus celebrant, qui digni habiti sunt psallere in hoc sancto Golgotha, & dicere; Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Piæ huic consuetudini Græcæ & Latinæ Ecclesiæ tibi deesse non licebit, cui confovendæ Psalmum prædictum tanquam Patientis Domini Canticum dolorumque Compendium ad mysteria & mores Sacerdotum rudi pietate explanandum assumpsi. Usu Clerí Hierosolymitani. Teste D. Cyrillo.

Titulus Psalmi. In finem pro Assumptione matutina D. Hier. explicat, *Victori pro cervo seu cerva matutina.* Ubi symbolicè significatur Christi Humanitas à Verbo Assumpta quæ etiam Cervæ Nomine intelligitur: Quia ab hora matutina Concilij tanquam fera à venatoribus ca- D. Hier.

pta, agitata, fatigata & tandem horâ vespertinâ confecta fuit. Cerva item Humanitas ob illam ad patiendum amore nostri velocitatem ac promptitudinem. Ah! ignaviam meam!

Chald. Recidit in idem Chaldæus paraphrasta, qui titulum ita explicavit: *Ad laudandum super potenti oblatione perpetua*. Ad laudandum scilicet Deum ob infinitam charitatem ex qua hostia factus est in natura nostra mortali, potens hoc est efficacissima ad nostram reconciliationem; perpetua, quia ille *Sacerdos in æternum*. Miserum me! qui quotidie viribus à sacrificio sumptis adhuc levitate mea quotidie in peccata prolabor.

Crucifixus potens oblatio.

Psalmus XXI. Versus 1.

Deus meus. Cur Suum vocat?

Deus Deus meus respice in me. Ut homo loquitur; ideo Deum appellat, repetit ex affectu & dolore. Suum dicit tum quia amabat intensissimè, tum propter unionem hypostaticam. *Respice in me.* Non dicit in mea vulnera, non enim quæ patiebatur

tiebatur

tiebatur improperabat hostibus aut exprobrabat humillimus juxta & amantissimus nostrî. Heu ego quàm disertus in meis malis. *Quare me dereliquisti?* non quærit ut ignarus, nec queritur ut invitus: *Secundùm formam servi, inquit Arnoldus Abbas Bonæ-vallis tr. de verbis Domini septem in Cruce, legationis suæ ministerium non erubescit, non diffitetur carnis naturam paßibilem & mortalem.* Ego ambitiosè patior cùm dico vel cogito illud: egone hoc tolerem qui sum is? Ven: Beda piè interpretatus. *Christus ex vi tormentorum suam mortem accelerari videns, & volens diutiùs ferre tormenta, hanc amore refertam querimoniam proposuit Patri: Pater cur tam citò me mori disposuisti? cur non moras protrahis? ut magis magisq́ pro hominum amore adhuc cruciarer.* O amor iste ô tepor meus! At Bellarminus derelictum se hoc est orbatum veluti paternâ curâ dicit: *Nè impaßibilis virtute aliqua superiore redditus, ac dolores sentire non crederetur.*

Quare me dereliquisti?

Arnoldi.

Bedę mens.

Bellarmini.

retur. Veris doloribus constabat Salus & Redemptio nostrî, nos imaginariè scilicet patiamur & plura fingentes? Ex ijsdem Verbis Domini elicit doctrinam utilem cit. D. Arnoldus. *Sed & nobis quoties derelinquimur, quoties nos tentamina colaphizant, non negligenda quæstio est inquirere cur derelinquimur, & intellectis causis indagare remedia. Deserimur nonnunquam cùm curam hanc (mentis) negligimus & commonent nos contumeliæ propulsantes ut solliciti simus. Castigatur sæpe ex casu superbia & præsumptio ex ruina. Pulsatur sanctitas nè extollatur & ut exerceatur.* Ariditates & derelictiones spiritûs tolerabimus. *Longè à salute mea Verba delictorum meorum.* Non salutem vitamque rogo, inquit, ullis verbis: ideo enim ultro mortem suscepi ut delicta hominum exsolverem tanquam si mea propria fuissent. *Vel.* Absit ut cùm pro salute mea supplico tibi aliquod verbum proferam quod cum minimo delicto

Quærendũ, cur derelinquimur? Arnold.

Deserimur nè tepidi nè superbi simus.

cto & peccato conjunctum sit. En oratio Domini sine peccato. Patiamur ita ut nullum tamen patiamur peccatum.

Patere, ut nullum peccatum patiaris.

Versus II. *Deus meus clamabo per diem & non exaudies & nocte & non ad insipientiam mihi.* Clamavit ab hora Crucifixionis usq; ad nonam, clamavit nocte illa quâ Patrem rogavit ter ut transiret ab eo calix. Deum suum vocat etiam non auditus. Amandus enim Deus est tantò magis quantò minus experimur nobis aliquid rogantibus indulgeri. Cur autem hîc se non exauditum dicat cùm D. Paulus affirmet auditum fuisse pro sua reverentia? & ipse Dominus suscitaturus Lazarum semper auditum se testatur? Respondit D. Th. 3. p. q. 21. a. 4. in C. *Quia scilicet sub conditione voluit & oravit, absoluta verò voluntas mortis fuit. Nam oratio est interpres voluntatis nostræ quæ tunc auditur cùm impletur. Voluntas autem illa propriè nostra est quæ est Rationalis, quæ autem est Sensualis*

DEus amandus etiam cùm videtur nō amare.

Non exauditus Christus in cruce.

Ratio D. Thomæ.

Voluntas nostra Rationalis est, & semper auditur.

sualis & pro sensu vult sub conditione vult cùm ordinatè vult, ut ista Christi erat. Ista erga non est audita neq; adimpleta Christi voluntas, quoniam non fuit absoluta sed subjecta conditioni, si Pater voluerit. *Exaudita est porro altera Rationalis pro sua reverentia hoc est propter suam dignitatem & excellentiam quam à summa Verbi sanctitate, à conformitate cum voluntate Divina, ab amore in Deum ac genus humanum habebat. Et non ad insipientiam mihi.* Sapientiæ enim Divinæ opus mors Domini erat & ista ipsa derelictio, quâ justi omnes erudiuntur ad patientiam. Chaldæus & Hebræus habet. *Nec est silentium mihi.* Nam licet visus sit Dominus derelictus & non exaudiri, orationem tamen non deseruit, in qua & defunctus orando : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Sensualis sub conditione velit.

Chal. Hebr. Cùm deserimur oratio non deserenda.

Versus III. *Tu autem in sancto habitas Laus Israel.* Deus enim in scelere illo sanctè omnia operatus licet ignaris contrarium visum.

Augusti-

Augustinus hîc expositione secunda. In illis habitas quos sanctificâsti, & quos facis intelligere, quia ad utilitatē quosdam non exaudis, & ad damnationem quosdam exaudis. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus. Petijt Job ad tentandum & concessum est. Dæmones petiêrunt se ire in porcos & exauditi sunt. Chaldæus. *Tu autem sanctus.* In omnibus operibus adeoq; in hoc ipso Crucifixorum scelere quo Sanctificationem totius mundi Deus intendebat. *Laus Israel.* Chaldæus. *Qui stabilis orbem propter Israel.* Laus Israel Dominus noster, propter cujus mortem antonomasticè dictam Laus periturus suis sceleribus Mundus conservatur. O in meis moribus laus sit Crucifixo.

Ad utilitatem non audimur exaudimur ad damnationem.

D. August.

Chal.

Chal.

Versus IV. V. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberâsti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt, in te speraverunt & non sunt confusi.* Tam multi invocaverunt & statim ad tempus non in futura vita

sed

Dominus Jobō in oratione postpositus.

ſed continuò liberati ſunt. Ipſe Job diabolo petenti conceſſus eſt, putreſcens vermibus, tamen in hac vita recuperavit ſalutem, dupla accepit quæ perdiderat. Dominus autem flagellabatur & nemo ſubveniebat, ſputis deturpabatur & nemo ſubveniebat, colaphis cædebatur & nemo ſubveniebat, ſpinis coronabatur & nemo ſubveniebat, levabatur in ligno & nemo eruit, clamat: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Non ſubvenitur. *Aug. citato loco.* Pati Domino ſine ſolatio ſolatium erat, Sacerdoti non erit?

Aug.

Verſus VI. *Ego autem ſum Vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Chaldæus. *Vermis debilis, portans vituperia hominum & deſpectio populorum.* Vermis ex ſola Virgine terra ſine ſemine, & ita contemptus ut tanquam non homo ſed pecus ſit tractatus, verberatus, deſputus: neque unius generis ſed varia & multiplicia opprobria, neque ab uno aliquo ſed à populis acceperit.

Chal.

Verſus

Verſus VII. *Omnes videntes me deriſerunt me locuti ſunt labiis & moverunt caput.* Chaldæus. *Proſcindunt labiis.* Adeo illorum irriſio acuta fuit & penetrans ut quaſi cultro ferreo fama & cor Domini proſcinderetur. Et certè nulla fuit pœna gravior in Cruce Domino, præterquàm à linguis inſultantium, ut diſcas pati linguas alienas ſine lingua tua. Chal.

Vers. VIII. *Speravit in Domino eripiat eum, ſalvũ faciat eum quoniã vult eum.* Blaſphemia hæc etiam in Deum jactata, tanquàm iſte ſperantes etiam improbiſſimos homines ſalvare dignetur aut non poſſit. Indè graviſſimæ Domini auribus hæ impiorum voces acciderant. Ita iræ in hominem blaſphemia comes in Deum, quò magis irã frenare debemus. Iræ blaſphemia comes.

Verſus IX. *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus ſum ex utero.* Hebræus. *Tu autem propugnator meus es ex utero.* Quia dubium Joſephum de conceptu Do- Hebr.

mini per angelum Deus instruxit, famam & vitam carissimæ suæ Matris propugnavit. *Ab uberibus matris.* Cujus lac à te de cœlo ministratum suxi & ideo in te sperare didici. *Bellarminus.* In te projectus, tibi unitus in persona Filij à conceptionis initio.

Bellarm.

Vers9 X. *De ventre matris meæ Deus meus es tu, nè discesseris à me.* Adhuc enim in utero cognovit & vidit clara visione Deum. Orat & impetravit nè à se discederet benignissima Dei gratia, quæ illi séper efficax aderat ad summam patiendi perseverantiam. O hæc à me Deus meus non discedat.

Gratia efficax in Christo ad patiendi perseverantiam.

Versus XI. *Quoniam tribulatio proxima est quoniam non est qui adjuvet.* Inter maximas tribulationes loquitur, & tamen dicit, tribulationem adhuc proximam: Sive quòd una recedente accederet altera acerba adeo ut prior respectu sequentis non extremum ac lethalem visa sit afferre dolorem. Sive de mortis ipso articulo loquitur quæ tot doloribus successura erat proximaq;

Tribulatio proxima dicta.

Primâ.

Secundâ.

Sive

Sive quòd intensissimus amor Domini, tanquàm omnium quæ toto vitæ passus tempore oblitus esset, unius agoniæ suæ meminit, & tribulationem solàm vocat discessionem dilectæ animæ suæ à Virgineo ac benedicto Corpore, atque à Matris præsentia. Tertiâ causâ.

Versus XII. *Circumdederunt me vituli multi tauri pingues obsederunt me.* Chaldæus. *Similes tauris cornu petentibus multis. Multitudo luxuriantis plebis.* Aug. Judæi ob carnis petulantiam dicti, incrassati, impinguati, iidem feroces ut solent tauri esse exagitati, obvia carnibus invadentes. Quid tua hîc luxuria in conspectu Crucifixi respondeat? Obsederunt velut hostes civitatem, qui obsessis aquam & commeatum omnem eripiunt, ita isti Christo Crucifixo omnia humana auxilia negaverunt. Chald. Vituli, plebs. Aug.

Versus XIII. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Aperuerunt non de scripturis tuis, sed de cupiditatibus suis. Aug. No-

lentes scilicet scripturas intelligere, ut desiderijs suis & odio satisfacerent: *Sicut Leo rapiens & rugiens.* Cujus rapina est quòd apprehensus, adductus sum, & rugitus: Crucifige, crucifige. *Aug. ibidem.*

Versus XIV. *Sicut aqua effusus sum & dispersa sunt omnia ossa mea.* Non humor non sanguis remansit in me; sed illum nullâ parsimoniâ sicut aquam effuderunt. *Effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes. Aug. exposit. prima hic.* Hebr. *Separata sunt à se invicem.* ex longa & crudeli membrorum succussione.

Effuso Christo abluti sumus.

Versus XV. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Resolutus enim erat omnis vigor cordis ejus præ nimio dolore. Chaldæus. *Cor meum palpitans in medio viscerum meorum.* ob continuam ejus à defluente sanguine oppressionem. Nam licet Ratio dolorem internum intra modum virtutis retineret; tamen sensibilis dolor Christi

Chald.

A ratione.

Domini non est mitigatus hoc moderationis temperamento, quod contingit in hominibus pijs & sanctis dum patiuntur Dei causâ vel virtutis. Sed ille Rationis affluxus in corporis potentias Domini non est delapsus, & unaquæq; potentia & pars animæ agebat quod sibi propriũ & naturale fuit ut docet *S. Damascenus*. At *D. Aug.* hæc mysticè exposuit expositione prima Cor meũ. *Sapientia mea quæ in sanctis libris de me conscripta est, tanquàm dura & clausa non intelligebatur; sed postquàm ignis meæ passionis accessit, tanquàm liquefacta, manifestata & accepta est in memoriam Ecclesiæ meæ.*

Dolor non fuit temperatior fact. in Christo.

Damasc.

Scriptura sacra post Christi passionem clarior. Aug.

Versus XVI. *Aruit tanquàm testa virtus mea & lingua mea adhæsit faucibus meis & in pulverem mortis deduxisti me.* Totus Dominus in Cruce aruerat hinc vox illa: *Sitio.* Adhæsit etiam lingua, quando nè minimo verbo aut se defendit aut hostes offendit. *Nè verbo quidem adversarios aut de ipsorum injustitia conque-*

ri voluerim. Bellarm. Aug. sublimiore sensu exposit: 2da. *Magnificè quòd dixit, firmum factum est nomen meum de tribulatione. Quomodo enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis: sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur.*

Et nomen Domini post Passionem clarius. Aug.

Versus XVII. *Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Hebr. *Venatores.* Respexit ad titulũ psalmi. Quorum clamoribus Dominus ut fera in mortem impulsus. Canes igitur mali Sacerdotes qui in Pastorem irruerunt, honorem ejus lacerant sua ut lucra aut commoda habeant, lupos non abigunt ex ovibus vivunt. Sive Magistratus seculares per canes intelligas Herodem & Pilatum qui blandientes invicem ac amici facti die quo amicum Deum perdiderunt. Per Concilium quod nomen sacrum est, ipsos Pontifices.

Herodes & Pilatus amici canes.

Versus XVIII. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt*

omnia

omnia ossa mea. Hebr. *Fixerunt.* Non contenti perfodisse atrocibus clavis fixêre ut nè ad ullum corporis obsequium moveri possent. Chaldæus. *Mordentes manus & pedes meos.* More rabidorum canum. Ah manus & pedes mei! *Dinumeraverunt.* Hebræus. *Numeravi.* Chaldæus. *Dinumerabo omnes cicatrices membrorum meorum.* Non solùm enim hostes sed ipse Dominus suas cicatrices sine dubio scivit, ut ille qui diligenter suas expensas enumerat & notat. Dinumeraturus etiam dicitur, forsasse quòd illa vulnera nunc etiam in cœlo amore nostri æterno Patri ostentat & Sanctis reliquis enumerat. Tu quas pro Christo cicatrices? saltem voluntarias plagas ostende. *Non potuit meliùs describi extensio corporis in ligno quàm ut diceret, Dinumeraverunt. Aug.*

Hebr.

Chald.

Dominus in Cruce sua vulnera numeravit.

Chald. Hebr.

Versus XIX. *Ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Addit ad supplici-

Nuditas in Cruce ad supplicium Domino. Bellarm.

um Crucis ignominiam nuditatis curiosè etiam inspexerunt totum ejus corpus quoniam nudatum erat omnibus vestibus ait *Bellarminus*. *Diviserunt.* Pudeat sacerdotem mori divitem & in suos dividentem. En isti sibi, sed illo volente qui nihil sibi reservatum esse voluit. Super vestimentum meum. *Erat ibi tunica, dicit Evangelica desuper contexta, Ergo de cœlo, ergo à Patre, ergo à Spiritu Sancto. Quæ est ista tunica nisi charitas quam nemo potest dividere? quæ est ista tunica nisi unitas? in ipsam sors mittitur, nemo illam dividit. Sacramenta sibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviserunt. Vestimenta sua, sacramenta ipsius. Aug.*

Sacramenta etiam hæreticis divisa, non charitas. Aug.

O ingens Domini dolor hæc dixisse: considerasse, inspexisse pendentem & in scelera in avaritiam & cupiditatem processisse. Non avocatos illo spectaculo hîc doluit Dominus. Consideratio Dominicæ Passionis à peccatis deterrere debet unumquemq;. Ah nisi me avocet!

Versus

Versus XX. XXI. *Tu autem Domine nè elongaveris auxilium tuum à me ad defensionem meam conspice. Erue à framea DEus animam meam & de manu canis unicam meam.* Hoc impetravit Dominus triduo enim surrexit. Animam porrò unicam vocat tum propter amorem illum quo eam dilexit, tum quia unicum erat holocaustum orbis universi. *De manu canis.* Qui sunt canes? Qui canino more latrant, nec intelligunt contra quos. Nihil illis fit & latrant. Quid fecit cani transiens viam suam? tamen ille latrat. Qui latrant cæcis oculis non discernentes contra quos aut pro quibus, canes sunt. *Aug.* Latraverunt isti contra Dominum ideo mali canes. Tu pro Domino dic etiam usq; ad opprobrium *Canis.*

Unica anima Christi. Ratio.

Latrantes non discernentes contra quos, Canes.

Aug.

Versus XXII. *Salva me ex ore leonis & à cornibus unicornium humilitatem meam.* De ore regni secularis, & à sublimitatibus superborum se singulariter erigentium, consortesque non ferentium. *Aug. exp. prima.*

Aug.

Humilis Dominus pro motivo exauditionis adducit non merita sua, non innocentiam, non deniq; dignitatem ab unione hypostatica in se & actiones suas & Passionem derivatam, sed humilitatem quâ se usq; ad mortem crucis abjecit. Hâc enim Deus solâ movetur ut ita fatentem juvet. *In carne, inquit Aug. hîc exp. prima, natus sum ut essem in homine ultra homines; ut vel sic dignaretur imitari humana superbia humilitatem meam.* Ego autem & homo & nil ultra homines, tamen efferar supra homines?

Christus in homine ultra homines. Aug.

Versus XXIII. IV. V. VI. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum, universum semen Jacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit neq; despexit orationem pauperis. Nec avertit faciem suam à me, & cùm clamarem ad eum exaudivit me.* Pauperis. *Hieron.* Modesti. Ecce tot nomina Christus sua posuit. Humilis, pauperis, modesti.

Hier.

desti. Ah! me superbum, cupidum & luxu corruptũ Sacerdotem ejus! quibus in titulis oraturus vel celebraturus compareo coram te Deus meus?

Versus XXVII. VIII. IX. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi. Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Apud te laus mea. Ex Deo enim omnis gloria, unde alibi de sanctis dicitur: *Gloria virtutis eorũ tu es.* Apud Deum posuit laudem suã, docuit non præsumi in homine. *Aug.* Ecclesia magna. *Quid est fratres? nũquid exigua pars orbis terrarum, Ecclesia magna est? Ecclesia magna totus orbis est. Aug.* Præclarè hic *Aug.* disputat ostendens fructũ Passionis Dominicæ non unum aliquem orbis angulum, sed latè ejus pretium orbe universo diffusum fuisse. Gratus esto qui legis

Ecclesia magna, totus orbis. Aug.

&

& tu particula redemptionis hujus, & tu aliqua portio Ecclesiæ magnæ. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Quæ sic Augustinus tanquàm cõtra hæreticos nostros pressit cùm contra Donatistas ageret. *Ecce Christus passus est, ecce mercator ostendit mercedem, ecce pretium quod dedit, sanguis ejus fusus est. In sacco ferebat pretium nostrum, percussus est, lanceâ fossus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum. Africa sola redempta est? Quid mihi dicis ô hæretice, non est pretium orbis terrarum. Non audes dicere totus orbis redemptus est sed periit. Quem invasorem passus est Christus ut perderet rem suam? Vota mea.* Eucharistiam ita dicit corporis & sanguinis ex ingenti desiderio ad unionem nobiscum oblatam & relictam. *Reddam*, id est per singulos dies & sacerdotes conficientes in mei memoriam, restaurabo & illud renovabo. Prophetiæ huic implendæ laborant Sacerdotes qui quotidiano sacrificio non laborant.

Non invasorem Christus passus, ut Ecclesiam perderet. Aug.

Reddam.

Prophetia de quotidiano Sacrificio.

Edent

Edent pauperes. Nunquid etiam divites non edunt? Significat Dominus eos qui ad Sacramentum altaris accedunt ita debere esse dispositos animo, ut reputent se nihil habere proprium in hoc mundo, adeoque ut migraturi hoc viatico sumpto in patriam & in sua ubi veri divites & æterni ex Deo. *Universi fines.* Etiam Indi, Japones, Chinæ, America: & ita omninò impletum esse gaudeamus.

Pauperes, qui ad Eucharistiam accedunt nil habent proprium.

Versus XXX. I. II. III. IV. V. *Et adorabunt in conspectu ejus, universæ familiæ gentium. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi. Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Manducaverunt.* Præteritū pro futuro propheticâ phrasi. Hebræus. *Ante faciem ejus curvabūt genu.* Chaldæus. *Comedite & adorate.* Non ut simpli-

Hebr.

Chald.

ſimplicem figuram, nam quod tantum eſſet beneficium, aut quare tanta reverentia pani quem abjicere etiam nulla eſt religio, imperetur ut etiam prædicetur futura? *Anima mea illi vivet.* Hebr. *Animam ſuam non vivificavit.* Hier: ex Hebræo. *Anima ejus non vivet.* Componens ita. Non vivet ampliùs ut mortalis ut iterum ſe vivificare ex ſepulchro debeat vi Divinitatis unitæ, ſed vivet in cœlo immortalis, vivet ſub ſpeciebus Euchariſticis, in uſum alimentumque fidelis populi ex baptiſmo naſcituri, & qui ex Chriſto nova creatura prodibit.

Hæc ita ex *Lyrano* tum ex *Jacobo Fabro Stabulenſi* in Commentario Pſalterij quintuplicis edito Pariſijs anno 1508.

ACTIO II.

Hora nona juvandis agonizantibus.

HAc triſtiſſimâ longè horâ, & quam Sacerdotes non ſine intimo animi ſenſu memorare deceret,

certam illam destinatamq; Christus mortem acceptavit. Ideoque infinitæ hujus charitatis & agoniæ in cruce repræsentandæ horam Nonam recitamus. *Nonâ horâ jure in laudem Dei clamamus, quando clamans Dominus JEsus voce magna emisit spiritum. Rupertus Abbas lib. 1. de Divin. offic. c. 5.* Ad eundem sensum Durandus Episcopus Mimatensis in Rationali Divin. offic. l. 5. c. 8. *In eadem quoq; hora miles latus Christi aperuit, ex quo duo salvationis nostræ sacramenta scilicet aquam baptismi & sanguinem nostræ Redemptionis nobis eduxit.* Huc refertur & illud quòd eadẽ in hora S. Pauli epistolæ 1. Cor. 6. caput legamus, *Empti enim estis pretio magno*, ut ejus pretij adeo magni tunc pro nobis expensi, hoc est vitæ dilectissimæ in Cruce positæ grati recordemur; quocirca etiam oramus: *Redime me Domine*: non ut nos iterum redimat, semel enim opus hoc necessarium executus est; verùm sensus est: *Fac ut effectum Redemptio-*

Hora Nona agonizanti Christo. Rup.

& Duran.

Ecclesiæ usus.

Dur. *demptionis tuæ, quæ facta est in sanguine tuo Redemptor sentiam ait Durandus.*

Ad cæteros agonizantes extendit. At non immeritò pietatem hanc usque ad agonizantes extendes, atque supremo illo merendi tempore mortalitati cum tot angustiis supremum decertanti, mortem & agoniam Domini Patri æterno repræsentabis: quò te hymnus Nonæ invitat.

Hymnus Ecclesiæ.

Largire Lumen vespere,
Quò vita nusquam decidat;
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.

Rogabis hoc versu mortem sanctam per mortem Christi & extrema patientibus felicem à corpore discessionem perennemque gloriam; ut impleatur illud: *Domini Domini exitus mortis.* Hoc est ut ad similitudinem Domini JEsu emortui, in Domini æterni Patris manus à morte sua exeant. Cura moribundorum peculiaris debet esse ac præcipua functio Sacerdotum, ita ut si præsentes

adesse

adesse non possint absentiam serijs ad Dei aures precibus suppleant: quòd si autem præsentes potuerint, nullo etiam vitæ propriæ corporalis periculo nedū metu damni temporalis aut commodi ab isto obsequio se excusatos reputare debeant. Consuluerant aliquando belli Vandalici tempestate Africâ correptâ D. Augustinum cæteri Episcopi, An bonâ fide & conscientiâ liceret illis suas Ecclesias & populos deserere hostili metu licentiam quasi suggerente. Negavit *Augustinus* asserto Domini & Apostolorum exemplo. Dominus enim in Ægyptum fugisse legitur sed tunc quando nullas Ecclesias quas desereret habebat. Apostolos autem ita declinâsse vim & hostes ubi ab illis provisa essent auxilia, quos relinquebant; Paulus demissus per murum sed à fratribus qui Damasco sui loco remanebant. Ab hac Divi Doctoris resolutione optima erit ad casum præsentem consecutio, imò efficacior. Agonizantes

Moribundorū cura peculiaris Sacerdotibus.

Causa ex simili D. Augustini casu.

Aug. ep. 70.

Imò tantò major pro agonizantibus.

zantes enim majorib9 expositi sunt animæ periculis qui se juvare ipsos nequaquam possint à facultatum & potentiarum usu destituti, nisi à proximorum charitate interiusque Dei gratia operante suppetias accesserint: secus ab hoste obsessi quibus integra ratio & vires; & multa invicem solatia vel præsidia. *S. Joannis Patriarchæ Alexandrino* cui nomen insignis Misericordia Eleemosynario fecit, iste inerat ardor (cujus corpus sacrum argenteo loculamento depositum mihi quoque venerari è vicino atque osculari Possonij urbe Hungariæ primaria in fatis erat & fortunæ parte) tot Ecclesiæ suæ ac pauperum negotijs intercipiebatur, tamen huic moribundorum necessitati deesse crimen putabat Sacerdotij. Ipse sæpius hoc agebat, adstabat, assidebat lectulis, erigebat spirituali voce cadentes animas, non quies, non cibus occurrebat, donec suis manibus oculos natantes in morte pressisset. *Haræus in vita 23. Jan.*

Ab exemplis S. Joannis Alexandrini.

Aõ 1657.

Har.

Proxi-

Proximè istius vestigia superiore seculo *D. Carolus Borromæus* cepit. *Cùm de gravissimo Pij IV. Avunculi sui morbo nuntium accepisset, citatis equis magna cum celeritate accurrit. Et Pater sanctissime, inquit, nunc de Patria illa cœlesti cogitandum est. In hoc Crucifixo (cujus imaginem ipsi ostendebat & osculandam tradiderat) spes nostræ collocandæ sunt. Hic Vita nostra, hic Resurrectio nostra. Hic Intercessor, hic Hostia pro peccatis nostris oblata. Hic neminem respuit, in se credentem, illum Deum verum confitentem, & in se suas spes collocantem. Dolore peccatorũ commissorum & verâ pœnitentiâ delectatur. Dominus benignus, patiens, misericors & clemens. Ministravit illi sanctissima Sacramenta, lectionem Evangelicam lectitabat, orare flexis genibus pro moriente Avunculo Pontifice non desinebat. Augustinus Cardinalis Veronæ in vita edita Coloniæ An.* 1587. Quod similiter Joanni Delphino Brixiensi Episcopo, & Francisco

D.Caroli Borromæi. Pium IV. Avunculũ.

Et alios Episcopos.

Novariæ Antiſtiti piè & fraternè præſtitit *eodem teſte*.

Sacerdotũ agonizantium proh! nullus ſacerdos.

Non feſtinabat iſte ad Avunculum Papam ut ægrè retinentis manus exſpoliaret, ſuppellectilem Pontificiam hæredis jure detraheret, beneficia ex voce morientis exprimeret: Epiſcoporum fratrum animas amabat non triſtes teſtamenti reliquias. O dura ſacerdotum fœta! Irrumpuntur morientium cubicula, deſeritur eorum ſalus æterna & proditur, ſervantur quæ morientes & rapientes vel utroſque perdant. Stulti ac cæci cupiditate non intelligunt ſe mox ſimile morientium ah! infelix exemplum futuros. Facinus indignum! moritur Sacerdos & inter tot anhelantium turbas Sacerdotum nemo illi ſacerdos. Præclarè avaritia ulciſceris tuos clientes, quos dum ampliùs concupiſcere non poſſunt, alienâ plectis concupiſcentiâ. Heu unus perit Sacerdos! tot ſuperſtites ſuis ex bonis facturus pares avaritiâ & exitu. Conſulite vobis

Triſtes rapinæ.

Juſto Dei judicio.

vobis proſpicite animabus ſacerdotes, Materiam interitûs veſtri & alienæ libidinis quid tanto ſtudio præparatis? quid pecuniæ obnoxij eam in pericula extrema ſervatis? cur induſtriam alioqui in veſtrã ſalutem ituram ſordido invitamento in perniciem divertitis? O quos Deus, Sacerdotium, æternitas utraque tangit adeſte puri, ſinceri moribundis Sacerdotibus. Ingens lucrum animam eorum lucrari; magna ſucceſsio quam tibi optas & in qua ſola honeſta cupiditas eſt Cœlum & Deus. Faciemus gratiam voci Domini hâc horâ validis clamoribus auditæ. *In manus, inquiebat, tuas commendo ſpiritum meum.* Faciemus autem ſi agonizantes nobis commendatos hâc in oratione intellexerimus, in qua ut notavit eruditus & pius vir Cornelius hîc, *animam ſuam homines vocare dignatus eſt.* Ex quo ſenſu infert, *Quantum ergò animabus lucrãdis & ſalvandis incumbere debemus, ut Christo ſervemus*

In avaritiã verba.

Cura agonizantium ſacerdotũ commendata ſacerdotibus.

Corn.

vemus quasi animam suam & spiritũ.

D. Gregor. monita pro Cura ægri.

Reliquit D. Greg. monita ægro à Sacerdotibus proponẽda quæ breviùs electa in gratiam eorũ qui hoc tam necessario tempore agonizantibus præsidio esse desiderant, aut ex officio debent, exscribam. *Admonendi sunt inquit de Cura pastorali parte 3. c.13., ut eò se filios Dei sentiant quò illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Alterum.* Dicendũ est ægris ut si cœlestem patriam suam esse credunt, necessariò in hac labores velut in aliena patiantur. Hinc est enim quòd lapides extra tusi sunt ut in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur: quatenus quidquid in nobis est superfluum modò percussio resecet, & tunc sola nos in ædificio concordia charitatis liget. *Tertium.* Admonendi sunt ægri ut considerent pro percipiendis terrenis hæreditatibus quomodo dura carnales filios disciplinæ

Secundum.

3. Reg. 6.

Tertium.

plinæ

plinæ flagella castigent. Quæ ergo nobis Divinæ correptionis pœna gravis est? per quam & nunquam amittenda hæreditas percipitur, & semper mansura supplicia vitantur? *Quartum.* Admonendi sunt ægri ut considerent quanta salus sit cordis, molestia corporis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, & quam plerumque salus abjicit, infirmitatis memoria reformat. Quod rectè per Balaam, si tamen vocem DEI subsequi obediendo voluisset in ipsa ejus itineris retardatione signatur. Balaam namque ut provèniret ad propositum tendit, sed ejus votum animal cui præsedit, præpedit. Prohibitione quippe immorata asina Angelum videt, quē humana mens non videt: quia plerumque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat. *Quintum.* Admonendi sunt ægri ut considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa

Quartum.

Num. 22.

Quintum.

admissa peccata diluit & ea quæ admitti poterant, compescit. Unde scriptum est. *Livor vulneris abstergit mala.* Mala enim livor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit. *Hæc Sanctus Pontifex, cui & ista subjicio.*

Alia item practica.

Ergo Sacerdos vocatus ad ægrum sine mora ibit, non tempestas, non iter, non commoditas, non respectus animum à festinatione flectet. Habebis semper imaginem Crucifixi affabrè & decorè factam: procurabis & aquam benedictã in aliquo clauso vasculo, undè ægrum, lectum, cubiculum adspergas. Mira vis contra dæmones elementi illius, quo de loco in locum depellitur, ac physicè cedit. Ecclesiæ sanctæ nomine fusa oratio Sacerdotis ad Deum, de congruo meretur ut ad tale signum Dei Bonitas & Providentia dictum effectum operetur: tum ut impetrentur auxilia de congruo ut dixi ad perturbationes animi sedandas, dolorem

promptè.

piè aderit.

Vis aquæ benedictæ & effectus.

Undè ?

rem

rem de peccatis excitandum, quò sic meliùs ad mortem beatam disponatur æger.

Ingressus locum, adhortetur pro tempore domesticos ut in timore Dei permaneant, & de peccatis contritionem elicere studeant. Nam æger meliùs orationibus eorum purâ conscientiâ oblatis juvabitur. Magno ipse sit animo certaque spe in Deum attollatur: utpote qui op9 Dei operatur ex munere ad quod sacerdotem ille vocavit; nullaque re vel flentium varijs relationibus aut metu aliquo, aut morbi vehementiâ, morib9 item ægri aut squallore se perturbari sinat. In DEum præsentem sibiq; afsistentem fidem, spem, charitatemq; certam teneat.

Tertiò domesticorum pietas procurata.

Constantia Sacerdoti.

Fides excitanda.

Monebit ægrum si nondum testamentum condidit ut domui suæ disponat, verùm id suavibus verbis, ore ad hilaritatem composito, voce benigna, tum deinde perpensis circumstantijs ægri. Nam juvenes conjugati licet majori vitæ desiderio

Jam ægri ipsius tractatio.

Si juvenis.

sint ob vincula quib9 mundo innexi sunt, tamen faciliores ad monita deprehendas quàm senes, qui ut suarum rerum parci ita & vitæ retinendæ appetentiores. Accedit istorum suspicio nè fortè à domesticis Sacerdos existimetur instructus. In hac & simili circumstantia dissimulabis mentionem facere testamenti nè animi curã illis eximas: satiùs enim est etiam non benè rebus domesticis dispositis, benè mori. Jacturam hanc aut ordinem posse ab hæredibus reparari, animæ damna æterna esse. Pleriq; dum testamentum formant, resque ad alios dominos destinant, tempus colligendi sui corrumpunt aut detrahunt, in pericula seipsos arctantes. Ita utilius longè judicavero nihil de testamento Sacerdotem loqui oportere nisi prout ad Restitutionem bonâ fide faciendam necesse erit. Testamenta multos affectus movent, alijs odia vetera alijs amores incendunt, ut præteream dolores, metus, dubia quibus miseri distra-

Si senex.

De testamento cautè.

Nisi dẽ justitiâ agatur.

Testamenta multos affectus movent noxios.

distrahuntur. Venient enim personæ in tabulas illas ingratæ, venient & caræ. Occurrent peccatorum illecebræ olim sepultæ, occurret futurorum anxietas, fortunarum modus & artes improbæ quibus illæ paratæ ad posteros feruntur. Cæterùm materia colloquij ad infirmum ista esse poterit; *Nescire se apertum periculum mortis illius. In manu Dei omnia vitæ tempora & momenta esse deposita. Voluntate ejus nos in mundum oriri, & voluntate ejus excedere. Ad Patrem utiq; amantissimum, qui sanguine dilecti Filij gloriam æternæ felicitatis nobis aperuerit peccatis conclusam. Finem omnia habere. At hominis finem unum & necessarium DEum esse. DEum inquam à quo vita omnis, pulchritudo, honor, fortuna, fecũditas. In illo omnia eminentiùs condi. Quæ videntur temporalia & caduca, quæ non videntur æterna & statura esse. Data hæc pulchra ut illam Pulchritudinem ambiremus, ostensas hominum formas ut Formosissimum illum quæreremus votis & gemitu.*

Ægrotantis allocutio.

Finis Deus.

Humana caduca & futurorum umbras.

gemitu. Amicitias & nexus Amicitiæ Divinæ & nexibus prælusisse. Datas à Deo facultates ad usum & dispensationem. In nostra situm potestate per illas apud DEum æternitatem beatam mereri. Unumquemq; adstringi debita primùm justitiæ tum charitatis persolvere. Amicos, liberos, uxorem Dei itidem munera. Dari, auferri, ut illi summo Domino placet. In cœlum quoq; secuturos. Ibi amorem illorum ordinatum fore ac sincerum, hîc plerumq; infidum aut illegitimum. Ibi præsentiam eorum in æternum servari, si hîc pro Deo & non contra Deum amentur. Nihil esse quòd mors metuatur. Optabilis est facta morte Domini nostri, quæ mox bona æterna sistet. Non posse desperari ubi vulneratum & mortuum in cruce aspicimus. Non gentiles sumus qui bona ventura fide non tangant. Esse aliam patriam, hîc exilium, esse cœleste præmium, hîc meritorum locum per dolores, morbos, tentationes, opera misericordiæ, charitatis, pœnitentiæ. Plures sanctos jam cœlo habitare, ibi nos à charis nostris,

Ferri auferri.

Æterna servari.

Mortem leviorem Christi morte.

Patriam cœlum.

Sanctis & nobis.

nostris, à majoribus expectari. Hæc aut vicina pro commoditate dicentur. Moniti tamen sit memor à D. Philippo Nerio relicti Monito 80. *Cùm Sacerdos invisit ægrum nè agat prophetam, dicendo non convaliturum ex morbo: nam prædictâ morte non secutâ, sentiri potest displicentia.* Celebre & illud Bernardi Sylvestris epist. ad Raymundum. *Disponis legata? Consulo quòd primò servitoribus quàm Sacerdotibus solvi mandes.* Quod te solvet suspicione avaritiæ si eadẽ ægro consulueris. D. Philippi monitum. & Sylvestris.

Quòd si ad testamentum ultrò propendeet æger, Sacerdos omninò ab actu excedat, neque inducat ad hoc illudve legatum Ecclesiæ præsertim suæ. Avaritiæ species ista censetur, Ecclesiæ sub prætextu. Licebit verò suggerere, ut dum vivit adhuc, quantùm potest Xenodochia juvet, ac inprimis debita exsolvat. Partim quòd plus ita executione bonæ voluntatis merebitur, quæ sæpiùs difficultatem majorem habet

ber quàm ſolus actus internus,& il-
lam differri poſt mortem contin-
gat, cum detrimento creditorum
aut moleſtiâ: partim quòd con-
ſcientiam multis diſtractionibus &
ſcrupulis eliberabit.

Diſponat ægrum ad Pœnitentiæ
Sacramentum,& quantum fieri po-
terit curabit ut generalem totius vi-
tæ anteactæ confeſſionem inſtituat.
D. Auguſtinus tantus Doctor ſole-
bat dicere: *Neminem etſi nulli9 ſceleris
ſibi conſcius eſſet, committere debere, ut
ſine pœnitentia migraret è vita. Itaq;
ipſe cùm diſceſſum è vita ſibi inſtare in-
telligeret, Pſalmos David qui ad pœni-
tentiam pertinent in conſpectu poſitos
profuſis lachrymis legebat. In Brev:
Rom:* 28. *Aug:* In hac verò memori-
am illius juvabit pro vitæ conditio-
ne. Viaticum, Extremam Unctio-
nem ſuadebit, utilitate ejus ex Fide
Catholica propoſitâ: confidatque
in DEo ſacerdos omnia iſta ſe pro
animæ ſalute effecturum. Extre-
mam Unctionem non differri in ex-
trema

Omnia Sacramenta ſuadenda.

trema suadebit: plus enim integer & compos merebitur. Pia quædam fœmina ajebat: *Opera nostra in triplici esse differentia, quæ valentes facimus, Aurea, infirmi Argentea, quæ mortui plumbea debere æstimari.* Non deseret ægrum præsertim vicinum morti pro quacunque necessitate aut prætextu etiam pio. Nunc actus cum illo eliciet prout infra legere poterit, nunc leni voce interrogando sitnè in sua conscientia contentus? nunc silebit ut ei spatium det audita recogitandi, tum ut ipse à labore nonnihil quiescat. Nunc domesticos piè consolando & interloquendo utilia, atque agonizantem commẽdando, donec Deo Domino suo spiritum in manus reddat. Ordinem Commendationis Animæ in Rom: Breviario descriptum magna devotione & attentione leget. Est enim plena fidei, spei, charitatis affectibus, ac mirè in cœlestis gloriæ amorem incendit.

Opera bona Aurea, argentea, plumbea.

Ordo commendationis Romanus magni momenti.

Habebit ad manum *Thomam à Kempis de Imit: Christi* ex quo selecta capita

Et Lectio Thomæ à Kempis.

pita ægro insinuabis. *Libri 2. c. 6. De Lætitia bonæ conscietiæ. c. 7. De Amore JEsu super omnia. c. 8. De familiari amicitia JEsu. Ex Lib. 3. c. 3. Oratio ad implorandam devotionis gratiam. c. 5. De mirabili effectu Divini amoris. c. 12. De informatione patientiæ & luctamine adversus concupiscentias. c. 16. Quòd verum solatium in solo Deo est quærendum. c. 17. Quòd omnis solicitudo in Deo statuenda sit. c. 20. De confeßione propriæ infirmitatis & hujus vitæ miseriis. c. 21. Quòd in Deo super omnia bona & dona requiescendum est. c. 22. De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. c. 30. De divino petendo-auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ. c. 34. Quòd amanti sapit DEus super omnia & in omnibus. c. 47. Quòd omnia gravia pro æterna vita sunt toleranda. c. 48. De die æternitatis & hujus vitæ angustiis. c. 49. & 50.*

Sacerdotalis Romani industria.

Sacerdotale Romanum impressum Venetijs anno 1587. pias suggerit industrias in eundem casum ubi c. 14. de Petitionibus Infirmorum.

Si

Si occurrerit tibi diabolus, ei semper op-
pones merita paßionis Christi? Respon- Prima.
det Infirmus, *Opponam.*

Si Dominus Deus voluerit te se- Secunda.
cundum peccata judicare dicas: *Do-*
mine Deus ego pono mortem D. mei Jesu
Christi inter me & judicium tuum: &
quamvis meruerim æternam mortem
propter peccata mea, interpono tamen
meritum paßionis ejusdem loco meriti
quod ego miser deberem habere & non
habeo. Item: *Domine pono eandem pas-*
sionem & mortem D. mei JEsu Christi
inter me & iram tuam; & in manus
tuas commendo spiritum meum. Re-
spondet infirmus. *Dicam.*

Infra c.15. (quâ formulâ usus est
D. Carolus Borromæus cùm in extre-
mis esset) ubi tria rogat misericor-
diter sibi impertiri ex testamento
Salvatoris infirmus. *Primò.* Unum Tertia.
lachrymosum intuitum & doloro-
sum suspirium ex innumeris, quos
in Cruce pendens tribus horis habuit
vivus, ad meos gemitus & dolores
tolerandos. *Secundò.* Ut ipsa Mater

gratiæ, mecum condividere velit unicum cordis sui Virginei gemitum doloro sumq; suspirium ac lachrymosum intuitum, ex iñumeris quos sub Cruce stando suspirijs & lachrymis habuit, Filium ut Redemptorem generis humani intuendo. Ut eo suspirio merear connumerari inter illos peccatores, qui merito Passionis Domini & intercessione ejus Matris salutem consecuti sunt. *Tertiò.* Postulo ut quando miserum cor meum scindetur & anima à corpore separabitur, tunc inveniã misericordiam mei Judicis, intuitu illius Dominicæ charitatis, in qua amorosum cor suum scindebatur in Cruce pro salute mundi, & sua Divinissima Anima à Corpore suo Divinissimo separabatur.

Quinta constãt orationibꝰ.

Infrà ibidem ponuntur Orationes sequentes. Prima. *Domine JEsu Christe, per agoniam & orationẽ tuam sanctissimam quâ orâsti pro nobis in monte oliveti, quandò factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in*

in terram: obsecro te ut multitudinem sudoris sanguinei tui offerre digneris Deo Patri contra multitudinem peccatorum hujus famuli & libera eum ab omnibus angustiis.

Secunda. *D. JESU Christe qui pro nobis mori dignatus es in Cruce: obsecro te ut omnes amaritudines tuas, maximè in illa hora quâ Anima tua egrediebatur à Corpore, offerre Deo Patri digneris pro anima hujus morientis, & libera eam à passionibus suorum peccatorum.* & cap. 19.

Tertia. *O suavissime D. JEsu Christe qui in nocte diræ passionis tuæ orâsti: Pater si possibile est transeat à me calix iste: precamur te ut in hac hora tremenda in occursu adversarij non paveat.*

Quarta. *O dulcissime Rex Pie qui in tuæ passionis horrenda nocte à discipulis tuis destitutus, inter adversarios tuos solus stetisti: tuæ pietati supplicamus, ut animam servuli tui in obitu suo solam non relinquas.*

Quinta. *O Domine JEsu Christe qui*

pro diris Crucifixoribus orâsti: precamur ut in mente hujus orationis tuæ effectum renovare digneris.

Sexta. *O Clementissime Domine JEsu qui solitudini maternæ compatiens ei dilectum discipulum in Filium adoptâsti: oramus per merita tua Passionis & ejusdem Matris & dilecti discipuli; ut istum committas in Filium clementissimæ Matri tuæ; ut Virgineis manibus præsentata anima à te suscipiatur.*

Causæ tõt industriarũ graves.

Tales aut certè affines actus per intervalla agonizanti instillabis trãquillè ac suaviter, non sine grandibus meritis ejus supremo vitæ spatio, ac mox claudẽdâ in perpetuum benè merendi januâ. O quantũ tibi tales totâ æternitate obligati erunt, quantùm etiam pro tua agonia Cœlites jam isti soliciti apud aures Divinas stabunt? quantùm ipse Crucifixus de tuo labore ac in moribundis procurãda mortis suæ efficacia gaudebit? Alberto Wisnensi Presbytero Societatis JEsu Polono viro pio & in moribundis juvandis multùm in-

Adde exemplum.

dustrio

dustrio quidam, ut accepi, à morte conspicuus factus, *Gratiam, inquit, habeo tibi tuoq; labori quo morienti mihi auxiliatus es; illis profectò bonæ devotæq; voluntatis actibus quos in me excitaveras, longè plus meritorum collegi, quàm totâ vitâ segniter peractâ.*

Post obitum adstantes domesticosque moneat. *Jam istum æternitatis viam ingressum, suum tempus exegisse. Nobis eâdem currendum viâ. Sic amorem, gloriam, honores, desideria mundi transire. Felicem qui sibi quotidiè moritur. Qui vivit ut moriturus. Lachrymas naturæ deberi sed moderatas, & quales beatam spem expectantium esse debent. Vitam hanc brevissimam, mox in societate hujus defuncti fore. Nunc animæ ejus suffragia ferẽda.*

Post obitũ ægri, domesticorũ tractatio.

Dicto domum relinquat, sacrum pro anima defuncti statim si tempus patitur absolvat. Executioni se non implicet neq; tutelæ. Nullum præmium ab hæredibus speret neq; admittat. Ex suo munere omnia se fecisse excusabit.

ACTIO III.

Hora Completorij pro sua agonia.

Completorij religio ex agonia Christi.

INitium istius religionis desumo ex Ruperto citato. c.7. *Hora Completorij nobis illud commendat de Passione, quòd egresso jam Juda pavere cœpit & tædere factus in agonia:* ubi autem feliciùs extremum animæ suæ cum corpore certamen Sacerdos commendet, quàm ubi Dominus tot inter angustias, tædia, sudores usque ad sanguinem, usque ad mortem dimicavit victorque dolorum eluctatus, sequenti vesperâ illatus sepulchro Redemptionis opus exegit. Quamobrem Ecclesia psalmum in Completorio recitat illum cujus in versu sexto Dominus exspiraverit, cùm dixisset: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ubi Corn. superiꝰ allatus interpretatur: *Per Spiritum suum intelligi omnes homines commendatos.* Quam sententiam mutuatus est ex D. Athanasio lib. de Humana Christi natura contra Apollinarem: *Cùm in cruce*

Corn.

Cũ se moriẽtẽ & nos Patri commendavit, ex D. Athanasio.

cruce dicit, Pater in manus tuas depono spiritum meum: in eo omnes homines apud Patrem deponit, per ipsum & in ipso vivificandos; membra enim sumus, & membra ista unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat. Eum versum & psalmum quotidie recitamus ut meminerimus Sacerdotes Deo Sacerdotalem spiritum deberi. Et prӕterea ut ait cit: Corn: *Quia noctu ex catarrho, suffocatione, apoplexia, multa mortis subitaneӕ occurrunt pericula.* Nè subitum ergo fatum incumbat nobis nostram animam cum CHristi anima jam tanquàm morituri commendemus. Atque hoc tum in dicto versu psalmi tum in Responsorio: quod genu nixos orare decet quando privati oramus. Ostendit bonus JEsus quӕ nostra ultima oratio esse debet, quis finis? Manus videlicet illӕ seu potentia quâ conditi gubernatique sumus, ut sicut nobis vitӕ exordium dedêre omnisque actionis & motûs, ita finem imponant.

Idem versꝰ recitatur ex causa duplici.

Corn. Prima.

Altera.

Versûs non nulla expositio.

A DEo ad DEum. *Spiritum meum.* Meum ſed uſu duntaxat, proprietate & dominio DEi eſt & ſit precemur. *Redemiſti me Domine Deus veritatis.* Hæc verba gratiſſimo animo dicamus: Infinitum beneficium tua eſt Redemptio. Deum veritatis dicimus quia verax in promiſſis, neminem unquam fallit, ſoli infallibilis, inconcuſſa fides danda, in ſolo ſpes & fiducia. O veritas tua DEus ô vanitas mea! quam veritati tuæ ſubjicio. Alij hæc verba Domini inclinato profundè capite ad exemplum moribundi Domini JEſu orát, Tunc facto de peccatis intimo intenſoque dolore, plenè integrèque quoad mortem hâc nocte & mortis circumſtantias & quæ illam ubicunque ſequentur ſeſe reſignant.

& religio.

B. Nicolai exemplo.

S. Nicolaus Myrrhenſis Antiſtes eum pſalmi verſum familiarem habebat, ideoque *inſtante obitu, cùm aſpecto cœlo Angelos occurrentes intueretur, pſalmum, In te Domine ſperavi pronuntians, usq; in eum locum, In ma-*

pus tuas commendo spiritum meum; in cælestem patriam migravit. Franc: Haræus 6. Decembris. In Ecclesia Cathedrali Jaurinensium vidi observari morem laudatissimum. Duo Clerici superpelliceis induti in medium chori progrediuntur, Descendunt interim Prælati & Canonici in genua. Responsorium illud Completorij voce ad luctum & devotionem apta decantatur, sic horæ exeunt. Eximi nulla Cathedralis Ecclesia velit hoc Crucifixi cultu, imò deberet sequi ut ab illa, *quæ gravitatis ac constantiæ in tota diœcesi debet exemplar ac speculũ esse, ut ait Nicolaus de Clamengiis tom: 8. Bibliotheca PP.* eam venerationem minores discant Ecclesiæ. Si in Ecclesiæ consuetudinem inducere non poteris, in teipsum potes.

& Jaurinensis Ecclesiæ.

Commendatur Cathedralibus Ecclesijs.

Et meritò.

ACTIO IV.

Sparsa per Officium Crucifixi mentio non sine aliquo officio.

Ad mentionẽ Crucis caput inclinatũ.

PAſſim in officio Horarum Mortis ac Crucis Domini mentio intervenit, quæ nobis immeditatis ac inattentis nè ſine merito dilabatur operam dabimus. Aut itaque caput inclinabimus ad verba quibus hæc dulciſſima continebitur memoria; aut percuſſo nonnihil admota manu pectore dolorem JEſu dolentiſſimo conſociabimus. Imitabimur illos qui Domini morientis tragœdiæ interfuêre, quos inter non dubita Sacerdotes fuiſſe: Viſis tot prodigijs morti Dominicæ famulantibus, revertebantur percutientes pectora ſua, immanitatem illius diei ac ſui furoris opus deteſtati. Ibo ego tecum tædioſâ equidem viâ ſed non amantibus, & colligam pretioſa hęc margarita à Domini plagis liventia & alto pectore condam, nunc doloris, amoris, gaudij, ſpei, humilitatis, timoris cæteriſq; pijs affectionibus inter verba conſertis. Afferet occaſionem Matutinum, Prima, Completorium, in Symbolo Apoſtolico

Pectus percuſſum.

&

& D. Athanasij. *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus & mortuus.* Ah! ego non patior, non crucifigor, non morior mundo & mihi amore tui! Occasiones hujus in officio.

Officium Paschale in verbis. *Qui pro nobis pependit in ligno.* Paschatis & Dominicis post pascha.

Hymno.

Nobis diu qui debitæ
Redemptor affixus Cruci
Nostræ dedisti prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Pro nobis Domine & nobis, quorum ego primus. Capitulo Nonæ. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Cap. Vesperarum. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Quoties ego mortuus DEo? Detestor peccata mortis tuæ dolore.

Dom. III. post pascha Feria 4. verbis. *Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus, quoniam occisus es & redemisti nos DEo in sanguine tuo ex omni tribu.* Gaudeo de tua gloria. Agnoscaris diligaris ab omnibus redemptis gentibus.

Bene-

Benedico te pro mysterijs omnibus Fidei revelatis, institutis Sacramẽtis.

Dominicæ I. post pascha Feria 3. verbis: *Cognosce loca clavorũ*. Feria 5. verbis: *Misi digitum meum in fixuras clavorum & manum meã in latus ejus*. Quales manus meæ! O delicatum corpus! quâ cicatrice notaris amore Crucifixi.

Dominicæ II. post pascha. Vesperæ & Laudes verbis: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Ah pro Nobis & Vobis! Quàm malè mihi cùm nil mali pati volo!

Officium Ascensionis. Hymno.

Ascensionis.

Quâ victus es clementiâ
Ut nostra ferres crimina
Mortem subires innocens
A morte nos ut tolleres?

Quantis sceleribus O JEsu innocentiam tuam in mortem impuli! Feria 6. post Octavam Ascens. Verbis D. Aug. *Ipso redempti sanguine quem fuderunt, Christi enim sanguis quem fuderunt sic in remißionem peccatorum fusus est, ut ipsum etiam peccatum*

tum

tum posset delere quo fusus est. Quàm copiosa usque ad hostes redemptio! Non possum desperare pro quo crucifixus es Domine JEsu, quando non debuit desperare ille qui crucifixit.

Dominica IV. post Pent: Matutini verbis ex D. Aug: *Nec tamen vincere posset nisi verus David CHristus cum baculo id est cum Crucis mysterio descendisset. Contra diabolum pugnaturus Crucem suã ipse portavit.* Ad Crucem perge quoties crux tua instat. Crux tua mi JEsu sit victoria crucis meæ.

Dominica II. Quadr: Feria 6. verbis ex D. Ambrosio. *In his, psalmis pro torcularibus inscriptis, mysteria Dominicæ passionis modo musti ferventis sancto Spiritu redundantiùs æstuaverunt.* Dominica passio mustum fervens, facit calescere si sumatur, inducit oblivionẽ sui, curarũ, mundi. O ita in me æstuet, redundet. Indeq; Calix dicitur ut bibatur & solvat. Mustum clausum rumpit moras. Et qui amore in Crucifixum pleni, pa- Quadragesima.

cent,

tent, loquuntur, prædicant, vivunt palàm Crucifixum.

Officium in Adventu. Hymno.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Ego quàm sordida ad altare victima! Ex utero Virginis ad Crucem Domine mi! non hæc via, non exitus, ad gloriam, ad cœlum esse debuerat Virginis Filio. Ego peccatorum tot reus æstimari inter peccatores nolim? A peccatis ad crucem. A malis ad malum Dominus.

Adventûs. Dominicæ II. Adventûs verbis D. Gregorij. *Gentibus stultitiam. Stultum quippe hominibus visum est, ut pro hominibus Auctor vitæ moreretur. & indè contra eum homo scandalū sumpsit, undè ei ampliùs debitor fieri debuit. Nam tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò & indigna pro hominibus suscepit. Quid ergo est dicere? Beatus qui non fuerit scandalizatus in me; nisi aperta voce abjectionem*

nem mortis suæ humilitatemq́; signare? Acsi patenter dicat: Mira quidem facio, sed abjecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te subsequor, cavendum valdè est hominibus, nè in me mortem despiciant, signa qui venerantur. Honorandi Domini motivum ipse inhonoratus Dominus. Heu quòd multa indigna committo, & adhuc dignitates ambio!

Oratione ad verba. *Per passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur.* O per illam ad hanc Domine.

Officium de Sanctis. Dies S. Andreæ Apostoli ex verbis. *Suscipe me discipulum ejus qui pro me pependit in Cruce Magister meus.* Ego erubesco ad doctrinam vivere Crucifixi? De Sanctis.

S. Joan. Evangelistæ ex verbis. *In Cruce deniq́; moriturus Matrem Virginem Virgini commendavit.* Egonè Virgo Sacerdos ut Matri Virgini meritò commendari possim? Ah saltem Domine peccatorem commenda, Domina accipe. De Machabæis. Augusti. 1. Lect. 9. ex S. Greg. Nazianzeno.

S. Bri-

S. Brigittæ. verbis: *Nocte recenti sanguine JEsum in cruce cruentum vidit.* Per somnum ita Crucifixus movit, me Fide cognitus non stringit, Ah dura pectora & amori non cedentia!

S. Lucæ Evangelistæ. verbis D. Gregorij. *Iter facite ei qui ascendit super occasum. Super occasum namq; Dominus ascendit: quia unde in passione occubuit, indè majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, quia mortem quam pertulit, resurgẽdo calcavit.* Gaudeo de gloria tua Domine.

S. Dionysij Areopagitæ. verbis: *Aut Deus naturæ patitur.* Ac in me natura pro te ô Deus meus patiatur.

D. Francisci Stigmata. verbis: *Quod festum Paulus V. ut corda Fidelium in Christi Crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit.* Quæ in tuo corpore stigmata. Obliviscaris tu illius qui per aliena etiam vulnera cui non obliviscitur, postquã amavit te per sua. Plura

non excutio ; cùm sicut in cæteris, ita in pietate suæ inventioni quisque faveat.

Solennis particula est illa. *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Inter illos Divinæ gloriæ triumphos toto cœlo acclamari solitos, persolutum pro nobis pretium læti & grati proclamamus. Dejiciam me de genibus, corpusque submittam, offeram ad curandas animas tam gravi pretio emptas, protestabor me isto sanguine nunquam in offensam sanguinis JEsu usurum. Religiosis qui ad hæc verba genua flexerint Sumi Pontifices indulgentias insuper concessêre.

Extremum caput hujus materiæ Commemoratio de Cruce. Paschali tempore singularis est & pro ratione mysterij. Laudes & Vesperas illâ ornamus & recreamus. Jam toto anno altera. Itaque auctor fuerim ut Patroni nomine Crucifixum tunc exores. Patronos miseri apud Deum

Commemoratio de Cruce.

Patroni nomine.

quærimus; ijsque prout necessitas aut privatum nomen movit, indulgemus. Ego ante cæteros & omnes Patronos semper in Officio Crucifixum ponam & præponam: tunc etiam cùm in Semiduplicibus prætermittere licebit, licere non putabo. *Per signum Crucis.* O dulce lignum & signum amoris Divini! consigna me ut totus tui juris, dominij sim. *De inimicis nostris.* Qui plurimi nobis domi forisque incubant. *Libera nos Deus noster.* Cujus servi sumus & Sacerdotes, qui præmium nostrum es. *Omnis terra adoret te & psallat tibi.* Sicut omnes redemisti ita omnes ament, laudent, serviant, cum lætitia. *Perpetua nos quæsumus pace custodi.* Nos Sacerdotes & præsertim Diœcesis istius inter tot bella Carnis & Mundi castos & tibi similes. *Quos per lignum Sanctæ crucis redimere dignatus es.* O copiosa redemptio! ô benedicta quæ nos à Carne & Mundo abstractos ejusdem Redemptionis ministros esse voluit.

Stanis-

Stanislaus Hosius Cardinalis *quoties B. Andreæ Ecclesiæ Varmiensis Patroni in horis Canonicis Commemorationem faceret, orabat eum eam illi ut constantiam animiq; fortitudinem largiretur, quò pro sancta Fide extrema quæq; pati, quin Crucem ipsam perferre illi concederet. Rescius in orat. funebri Romæ habita.* Efficere poterat tantum ignis in animo Cardinalis & Episcopi S. Andreas ille Crucis discipulus, non efficiet ipse Dominus? Excitabit te igitur hæc Commemoratio ad extrema quæque ad exemplum Crucifixi fortiter ferenda: ad promovendam salutem omnium istâ cruce emptorum: ad dejiciendas vanitates & fallacias Mundi, rejiciendas Carnis oblectatiunculas, ad viam & vitā Crucifixi strenuè agendam & peragendam. Quod ipse dilectus noster Crucifixus mihi tibiq; benignissimè largiri dignetur.

Hosius Cardinalis in D. Andream piè affectus.

ACTIO V.

Conclusio Officij ad Vulnera Crucifixi delata.

CUm Horæ Canonicæ nihil aliud sint quàm ærumnarum atq; dolorum quoddam horologium & libellus complectens epigraphas & inscriptiones lugubres; eas à Crucis signo Ecclesia inchoari voluit, ut Sacerdotes animum in Crucifixum reflectant, cujus sanguine illâ horâ maduit, vel certè opprobrijs consignata est. Faciunt plerique Sacerdotes ut finitâ horâ (horæ autem sumuntur hîc non comunes sed veteri Judæorum usu quarum unaquæque continebat horas tres communes dicebaturque Prima, Tertia à fine scilicet præcedentis, Sexta itidem & Nona) mysterium patientis Domini illâ horâ gestum, breviter secum peragant. *Hæc hora, inquiunt, sit benedicta quâ Dominus meus capi voluit, judicari à concilio, & damnari, tum populo ostendi, postremò à judicio damnari, Crucifigi hâc & mori. O hora quæ mihi æternitatem doloribus Domini mei meruisti beatam! Quomodo te amavi hâc horâ bone JEsu qui sic me dilexisti!*

Horæ Judæorũ, tres continebãt comunes.

lexisti! Sint horæ meæ acceptæ Patri æterno in unione tuarum & propter tuas ô Crucifixe! ô passe! ô mortue JEsu. Aliqua ex his horis ô JEsu sit mihi felix mortis hora, ac felicitatis æternæ initiũ.

Jam verò consentaneum est ut totum officium, veluti funebre pro defuncti JEsu honore officium, ejusdem in vulnera reducamus, ut à Crucifixo & in Crucifixum principia & finis exeāt. Fortasse ambigas quodnam ex vulneribus tanquàm stationis tutissimæ portum, cum diei totius Sacerdotalis meritis petas? Vir ille nunquã satis memorandus Thomas Oborski *desideria sua non alibi quàm in Latere CHRISTI deponebat.* *In Vita.* Quænam putas illa fuerint desideria, tam fortia, quàm sincera, ut non erubescerent Latus Domini tangere, ibi se sistere, ibi inter cordis JESU arcana misceri? Erant procul dubio casta & ab omni fastu & luxuria pura. Non infulas, non honores, non reditus secum trahebant. Ibant ultro citroq; redibant onusta Ani-

Thomæ Oborscij ad Latus Christi pietas & Vota.

marum mercibus ; atque hæc ibi locabantur. Quis noſtrûm tam audax, ut illo Amoris hiatu ambitiones ſuas, vanas ſpes, ſitibundas ſemper cupiditates, tot ſcilicet monſtra coram deponat! Ideo Cor ſuum Dominus aperiri dignatus, ut noſtrum mundi deſiderijs clauderetur. Ego tuque latus Domini non pœnitendâ ambitione quæramus, deligamus, amemus. Electioni noſtræ antiqua Salomonici templi ſtructura favet, in quo diſtributas ſedes varij hominũ ſtatus tenebant. Erat primò atrium Gentium, quo Proſelyti, hoc eſt Legis Moſaicæ accedanei, diverſari, & ex gentibus inſtitui ſolebant. Alterùm atrium populi, quò populus orationis & doctrinæ causâ accedebat. Indè atrium Sacerdotũ adibatur, ubi ſoli Sacerdotes & Levitæ ſacrificia & thymiamata incendebant, Lucernas & Propoſitionis panes inſtruebant, dicebaturque Sanctum. Claudebat porrò templum Pars dicta Sancta ſanctorum, ſolis ſum-

Et noſtra in illius exemplum.

Allegoriâ templi Salomonis ita ducimur.

summis Sacerdotibus accessa, ubi arca & Cherubini & Propitiatorium. Quæ templi dispositio Imaginem Crucifixi corporis retulit ex Ruperto l.3. in c.6. Regum. *Templum illud manufactum sine dubio templi Sancti, templi Dominici corporis typus fuit.* Verùm & ipse Dominus *templũ dixit Corpus suum solvendum* ab hostibus, à se ædificandũ. Sint ergo Manuum vulnera & Pedum, Atria Gentium & Populi: hoc est, in illis varios hominum status cogitabis, At latus Crucifixi, tanquàm sanctum imo sanctum sanctorum peculiare Sacerdotibus domicilium, ipse quoque unà intrabis. Huc tibi non majori tantùm Sacerdotio fas irrumpere; irrumpere ergo? Patet nullo janitore, nullâ virgâ munitum latus. Certum jus habes adeundi, Sacerdos es, hoc est thesauri indè profusi Curator, Divisor. Extra conditionem nostram, quia Viraginis actũ laudabo. Eleonora illustrissimo apud Hispanos Inechosarum genere orta, spre-

Ex Ruperto.

& Viraginis exemplo.

to Avorum nomine, se dixit Eleonoram à Latere JEsu. Refert *Ludov. Granaten: in vita M. Avilæ c.* 4. Hæc illi patria, indè genus & honor, ubi erat Amor & suus Dolor. Non formidet Sacerdos ita dici. Ambitionis alicujus est Nuntius à latere. Amoris erit Sacerdos à latere JEsu, A latere ejus profectò missi sumus, eo vocante, deligente, instituente. Atq; ut Nuntius à latere intimum significat, & notũ probè Pontifici ac probatum, ita istud nobis Deo conscio impositum cognomen multa dabit. Monebit privilegia ut Sacerdotis à latere JEsu tueamur. *Hæc sunt vitæ sanctitas, Animarum zelus, contemptus mundi, carnis victoria.* Incitabit ad has quæstiones: Hoc actionis genus deceatnè Sacerdotem à latere JEsu cruento scilicet? hoc faciet, non faciet Sacerdos à latere JESU? hoc dicat, cogitet? videat, omittat committatque? Hæc intimus illius? ubi dignitas illius Domini? ubi Fides Sacerdotis? *O JEsu Redemptor idem*

Sacerdos à latere JEsu.

Privilegia illius.

Sacerdos, à latere tuo ego ad labores progredior, & ad latus tuum. Hoc habito hoc amo.

Deſcendit à JEſu latere ſanctiſſimus Sacerdos ille usq; in pedes Crucifixi de quo Barry in ſua Hagiophila. *Anno 1648. circiter mortuus Romæ Sacerdos quidam, magna ſanctitatis fama præceſſerat, magna ſecuta eſt. Aliquo caſu ſepulchrum ejus aperiebatur corpus luſtratur. Res nova cor ſuo corpore aberat. An homo ſine corde vivat? vixit hic Sacerdos excordiatus. Dum iſti mirantur & eunt per membra incidunt viſu in Crucifixi imaginem vicinò locatam, & ô Sacerdotalis cordis centrum! Cor Sacerdotis ad pedes Crucifixi ut recens ut vivum hæret pendetque. Ibi erat Sacerdotis theſaurus, ubi & Cor.* Illa Cantic: 4. verba Vulneraſti cor meum S. Ambr. in pſal. 16. apud Ghislerium hîc Expoſitione II. ex 70. verſione legit. *Cepiſti cor meũ.* Quæ de cordis iſtius mira cum Crucifixo amicitia & ſympathia uſurpes. Verè enim cepit D. JEſus cor boni

A pedibus JEſu Sacerdos.

D. Ambr. Ghislerius.

boni Sacerdotis hamatis pedum ſuorum clavis. O felicem capturam, quæ mihi utinam tibiq́ue magis autem viventi eveniat. Humile illud Cor ſuam invenit ſedem, & pectus illi pedes erant Salvatoris. Didicerat à vivente Domino jacere non ſecuriùs quàm in pedibus.

Leo X. huc nos promovit.

Leo X. eruditorum quàm eruditionis ſtudioſior & ſub quo, ut Paulus Jovius in vita refert, ſua tempora Pallas habuit, in eas etiam vices pietatis deflexit illa ſolenni formulâ. *Sacroſanctæ, inquit, & Individuæ Trinitati, Crucifixi D. N. JEſu Chriſti humanitati & quæ ſubſequimur.* Hâc ad Crucifixum glorioſâ concluſione, Apoſtolicâ poteſtate culpas in officio indulſit, docuitq́ue nunquam molliùs preces Sacerdotumq́; orationes quieſcere quàm in vulneribus Crucifixi. Propter hanc orationem Leonis ſemper ſubjice. Patres Eremitæ D. Auguſtini hæc inſuper addunt. *Adoramus te Chriſte & bene-*

Auguſtiniani Eremitæ.

benedicimus tibi, quia per tuam Sanctam Crucem redemisti mundum. Hâc ratione totius diei Canonicum officium tanquàm ad *Cameram Proventuum* in plagas Domini infundes, laborem feliciter coronaturus, quem aulæ plerumque fastidiunt aut fœdis causis intercidunt. At tu nec ignavus decurres unquam, neque in favorem negotiorum secularium diminues.



ETHICÆ

ETHICÆ SACERDOTALIS
Ex Moribus Crucifixi & cultu.

LIBER III.
Seu
Vita Privata.

ACTIO I.
S. Ivoni Crucifixus semper in Cubiculo præsens.

Causæ Actionis.



Ultæ causæ Crucifixum in cubiculo Sacerdotis inter intima & arcana deponunt. Primò non infrequentia tentamenta ex vita communi & tot vitiorum attactu, inter quæ degere & quibuscum versari nostræ vocationis est. Accedit Dæmon languidior in Christianis cæteris acerrimus in Sacerdotibus oppugnandis, *qui insidiatur*

sidiatur sicut leo in cubili suo & de ruina servorum Dei exultat ut loquitur Concil. Turon. I. c. 3. Postremò dubia quæ ad illorum judicium tanquàm ad privatum Senatum deferuntur. Habebit ergo Sacerdos privato ac separato cubiculo erectum vel depictum Crucifixum. Hic in animi sui æstibus requiescet: huc post diuturnam cum negotijs sæcularibus litem locuturus accedet. Hunc inter hostiles insultus respiciet appellabitque. B. Ivo Officialis ante Trecorensis in Minore Britannia, abdicato rarâ in ordine Nostro submissione, Magistratu, Advocati pauperum, viduarum & pupillorum munus sponte suscepit. Deus bone! Quanta sedulitas illi in evolvendis pauperum libellis! quantus in agendis causis labor ac æstus! Circumsistebant premebantque clientum turbæ, unus sufficiebat Ivo. Unus? in quo tot virtutes cum Ivone laborabant. Putares hac reorum affectantium multitudine Ivoni opes affluere?

Concil. Tur. I.

Ivo Advocatus pauperum.

Summâ hic sedulitate.

affluere? Cùm nullo de præmio verbum; hîc ille dives cùm nihil postularet nihil etiam optaret. Tot chartas tot epistolas portabat ipse. Per tribunalia audiebatur eloquentia, non illa venalis & quæ iras & verba locat. Gratissima justitiæ & cœlo: quia gratis & tantò pretiosior quòd sine pretio. Egit causas pauperum, non minùs suam apud DEum, meruitque Legista Sanctus esse. Inter sanctos publicis relatus ceremonijs à Clemente VI. undecimo Kalendas Junij An. 1347. bullâ editâ. Pontificatûs Anno VI. Habetur in Bullario c. 1. Repono iterum nomen sancti Sacerdotis. *Beatus, inquam, Ivo semper in cubiculo suo Crucifixum habebat. Indè tantus Pauperum amor: indè advocationis cura intendebatur: ex aspectu ejus ut erat insignis concionator, uberrima seges dicendi ad populũ Ivoni parabatur referente Surio 19. Maij.* Habes quid in cubiculum Crucifixus acceptus efficiat, quid Sacerdotis animo privatus Magister insonet?

Pari abstinentiâ.

Ex Crucifixo Ivonis profectus.

Docuit

Docuit Ivonem curias & forum, loca publicis destinata vitijs, solâ miserorum causâ premere, expedire vocem, afflictos levare eâ diligentiâ quâ suos, eâ religione quâ CHristum, eâ abstinentiâ tanquàm vel infamiam vel judicium formidaret, cùm despiceret omnia, censum putaret paupertatem. Tenemus libros varios frontibusq́ue ac titulis placemus. Ille Codices & Decreta, hic Commentarios Leguleiorum comparat, & domi vel in studium vel apparatum ostentat. Ex his sæpe vanæ gloriæ, sæpiùs curiositati, & lucro discitur. Jus emitur ut vendatur, Justitiæq́ue libris studetur contra Justitiam. Sunt qui celeberrimos Concionum magistros magno & ex peregrinis acquirant, quas auditori imponant atque ex alieno ingenio desides ipsi in famam suam vertant. Tuum Sacerdos volumen quod comedas domi, ut scripturæ loquuntur, Christus esto & hic Crucifixus. *Hæc mea sublimior Philosophia*

Major quā ex Legib9.

Hinc & noster eris

scire

ſcire JEſum & hunc Crucifixũ ait Bern: ſerm: 43. in Cant: Tua lucerna quam oratio, quam concio, quam ſcriptio tua oleat, Crucifixus. Hanc lucernam Pauli epiſtolæ & conciones olebant. *Monſtrabat, inquit Bern: Serm 15. in Cant: Lucernam ſuper candelabrum, annuntians omni loco JEſum & hunc Crucifixum.* Meritò vir doctus, Comentarijs in Scripturam ſacram laudatus Nicolaus Serarius in c. 8. Judith ex occaſione conclavis in quod ſe Juditha orationis causâ recipiebat, Sacerdotes acutiùs aſpexit. *Dolendum, inquit citato loco quæſt: 4. hæc cõclavia pietatis eſſe rariora: & quidem ita ut in Eccleſiaſticorum etiam quorundam domibus, gladios potiùs, haſtas & bombardas quàm oratoria aut Crucifixos videre liceat.* Aſpice Sacerdotum palatia, ſi de ſacris aut ſanctis videas aliquid, ſi non aliquam Erotium imagines habent, ſi non Metamorphoſis pro cultu cubiculi, & damnatus Naſo ubique ab exilio revocatus, ſi non per omnes parietes

Crucifixus Lucerna ſuper candelabrum. Bernardo.

Cubicula Eccleſiaſticorum notata Serario.

libido,

libido. *Pij V. cubicula, ait Auctor vitæ l. 6. c. 11. vel nuda vel aulæis minùs exquisitis ornata: in iisq; non profanæ tabulæ non inania signa conspiciebantur, sed his remotis de Cruce Christi pendentis imaginem habere delectabat.* Rudis videlicet Pontifex artem picturamque nesciebat. Verùm interest Sacerdotij verecundiæ, rudem potiùs operum intellectũ habere, quàm ea in tantùm intelligi.

Aliter Pius pius.

Dicerem adhuc quid cum Crucifixo domestico amore tuo ac inquilino agas, nisi plura de tuo sentirem affectu. Ecce autẽ tibi in istud exemplum venit Sadivogius Gnesnensis Canonicus & Rector Academ: Crac: cladem eo tempore à Crucigeris acceperat Casimirus Rex, Magnus ab insigni virtute, nec vitijs minor. Variæ in publicum jactatæ causæ, malè rei ad Choinecum gestæ. *Adussit pia curiositas Sadivogium, scrutari Superos per supplicia corporis & supplicationes privatas non destitit; noctes aliquot ad Crucifixum orat cilicio in-*

Privatæ in Crucifixũ actiones.

Exemplo Sadivogij Canonici Gnesnens.

Vigiliæ ad Crucifixũ.

dutus, donec veram causam cœlo accepi ex Regis sceleribus. Ex fastis Academicis. Ita ergo tua privata ita publica tractabis. Alijs oscula suo huic familiari affigere placet, quoties ingredi cubiculové egredi contingit, seu cura animarum vocat, seu negotia seculi domo eliciunt. Alij genu submisso breviter agenda committunt Crucifixo, & pro fortuna eorum quanta illi ipsi allibuerit, orant. Addunt: nullam se offensam voluntariam plenè, & gravem aliquam domum & in conspectum Domini vulnerati relaturos. Purè inter mundana ituros & redituros.

Et aliorum Sacerdotū.

ACTIO II.

Alexandri Cardinalis Vrsini. Crucem clavis armatam nudo pectore gestavit.

IN eminentissimam purpurati Antistitis virtutem Romani Laudatoris stylo intrabo. *Audi vivi mortalitas, audi victura posteritas novum florem elaborantis admirabile inventum*

Elogium Ursini Card. ex Ferrario.

ventum charitatis. Æneam amoris sui Crucifixi effigiem ut altiùs & humaniùs infigeret cordi, aßiduò de collo suspensam, nudoq; pectori exstantibus clavorum cuspidibus hærentem, manu sæpiùs admotâ non sine vulnere apprimebat. Decora scilicet inter amoris aculeos Rosa Cor est. Neq; cor amoris Rosam ros gratior quàm corde ab ipso stillatus cruor exornet. Ita pridem mortuus amor inter spinas, appositè tumulabatur in Rosa. Et verò debuit suos per clavos sagittarius amor cordi propiùs admoveri, ut Divinas idem sagittas ad optatißimum scopum faciliùs collinearet. Quis jam miretur in extincto corde nè guttam quidem sanguinis fuisse inventam, quem tam propinquus amor vel hauserat vel arefecerat? Quid ultra quæris ardentißimæ febris causam solicita consultatio medicorum? ignem Alexander gerebat in sinu & ardorem non haberet in venis? Joan. Bapt. Ferrarius in Rosa sepulchrali, quæ est oratio 35. At etiam gloriosæ laudationi ancillata est Philosophia in viro illo erudito Item ex Pallavicino.

Sfortia Pallavicino l. 1. Ethicorum de bono. c. 6. *Versabatur inter aulæ negotia frequentissimus Alexander Cardinalis Ursinus, (inquit Pallavicinus, postea & ipse in purpuram ex atrata veste motus) sed contraria miro consensu & rara miscuit, in aulâ non cum aulâ Singulare illud quod jam in titulo præfiximus. Æreum Crucifixi simulachrum præsto semper ad collum habebat, æreum, inquam, nè quòd aulici solent; in ipsa devotione vanus aut superbus esset. Illi nudum pectus sedes erat, ita gestabat ita etiam vulnerabatur. Obversa facies & clavorum capita sæpe in pectus intectum intrabant. Ac tùm maximè dissimulante manu, & tanquàm in aliud occuparetur, dolorem faciebat, cùm aulæ vanitas & adulationes æstuarent.* Quid tunc Alexander senserit dubito, multa enim occurrunt mihi. Gratus esse voluit, & velut altè figeret mortem illam inter beneficia? An exprobravit suos mundo aculeos, suos aulæ lethales; qui propter Crucifixum, esse salutares?

Vulnerabatur Crucifixi clavis,

Causis pijs.

res? An fidelitatem testabatur suam usque ad manticam, usque ad nuditatem Crucifixi? Dixerat in Salomone Dominus Crucifixus. *Pone me ut signaculum, super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ubi desiderium expressit suum, quo ardet ut perpetuam illius Crucis demus memoriam. Justus Episcopus Orgelitanus Bibliothecæ Patrum tomo 6. dicto Cantico istam lucem adfert. *Primitùs super cor indè super brachium signaculum superponendum intellige, id est ut tam in cogitatione quàm in opere ad meum signum recurras ac te per hoc non alterius sed mei esse demonstres, meq; contutante integra perseveres.* Implevit iste Cardinalis, & tu Sacerdos votum imple, Crucifixi signum collo indue, ad quod cogitationes nostræ actusq́ue propellantur. Nil isto more aliud impones tibi, quàm tesseram, te non alicujus delicati aut voluptuarij Dei Sacerdotem, alicujus Honoris aut Fortunæ; esse despecti, inopis, inter tor-

Tum ex Scriptura sacra.

Justo Episcopo interprete.

Indè in nostros mores.

menta guttam poſcentis, ſitim levantis felle. Hoc ſigno contutante inter inſidias & bella inter aulę blandimenta & ſevera integrum Crucifixi amorem ſervabis. *Quoniã quæcunq; ſignata ſunt, facilè temerari non poſſunt ait idem Orgelit.* Accedet deinde confidentia de gratiæ Divinæ perſeverantia, quam ex hac cæremonia D. Orgelitanus aſſeruit. *Ut quem per Crucis ſignaculum accepiſti theſaurum juſtitiæ, quem in te contulit, à nullo fore contingendum ullo modo pertimeſcas.* Erudito nil addam Patri, ſatis ille ad mores & titulum noſtrum.

Orgelitanus.

Cæterùm ſimilitudo religionis, à quopiam Sacerdote piè uſitatæ in Crucifixum, me in aliquot adhuc lineas defert. Ingenioſè iſte devotus, Crucifixi imaginem ſolam, nulli affixam cruci, nudum ad pectus geſtabat, cauſam rogatus acutè reſpondebat. *Dare ſe amplam offenſarum Domino JEſu occaſionem, meritò crucem ejus haberi, & eſſe.* Humilitati

Alius etiam Sacerdos ingenioſè devotus.

P. Julius Mancinellus.

Sacer-

Sacerdos iste litabat qui se Crucem Domino diceret. Eam cogitationem hausisse bonum virum existimo ex D. Bernardi sermone 4. in Vigilia Domini Nativitatis. *Crux ipsa, nos sumus cui CHristus memoratur infixus. Homo enim formam Crucis habet, quam si manus extendet, exprimet maiestiùs.* Quænam verò putas rumpebant voces, quæ flammæ incendebant Sacerdotem sui adeo despicientem? *Ego, inquiebat Crux tua sum Crucifixe. Oculis meis affligo tuos, quoties curiosè & in vana feror. Manus meæ tuis cruciamentum, vel in pauperes astrictæ, vel in cognatos effusæ, vel tangendi libidine infames & profanæ. Lingua mea Crux tuæ, quam detractationibus, convitiis, vanis laudibus & colloquiis, incautis & periculosis verbis vulnero; ut intemperantiam ejus deliciasq; omittam. Caput meum Crux capitis tui, quod vanitatum, ambitionum, inhonestorum phantasmatum voluntariè admissa examina discruciant. Aures meæ Crux aurium tuarum, quæ*

Ex D. Bernardo motus.

Crux Christi nos ipsi.

Et quomodo?

Sensus nostri, Cruces Christi.

jocis ac verbosâ peccatorum multitudine feriuntur, nec ad pœnitentium voces, nec ad pauperum gemitus patent. E meis pedibus tui tanquàm è Cruce pendent, qui levitate circumcursandi, adeundi salutis meæ pericula, tua vestigia proculcavêre. O cor meum atrox Crux Domini mei cordis! in quo amor inordinatus, odia, iræ, doli & artes mundanæ, ut in spelunca stabulantur, tuumq; cor quiescere non sinunt. O meum vile ac fœdum corpus! quàm indigna tui corporis Crux! nulla vena, musculus nullus, nullus nervus est mi JESU in isto corpore, qui tuos non ruperit, non distraxerit, non aliquo scelere violaverit; nulla sanguinis & alimenti humorumque particula, quæ sanguinem non tetigerit tuum peccando. Et tamen ut illam crucem complexus amavisti, ita me crucem alteram, tantò graviorem quòd liberam & voluntate suâ cruciantem, diligis. Ideo amem te, sim tua Crux, sed illa amabilis & innocens, illa omnibus salutaris. Hæc diserta ejus humilitas cùm loqueretur, nobis equidem

dem veritatem parabat. *Nos tua Crux ô Crucifixe, quem quotidie ad torturas tenemus, clavis adstringimus; extendimus. Abfuerit illa trabs, ecce peccator grandis Crux sum.*

ACTIO III.

Thoma Oborscki. Quotidianum Sacrificium ad altare Crucis.

LEx Ecclesiæ: nè sacrum sine Cruce medio altari locatâ celebretur. Ad illam cùm semper aspiciam, tum aliud hoc loco actionis genus in Crucifixum aggrediar: *Ex peculiari propensione ad altare Crucifixi cum sacrificio adesse.* At quonam id Auctore? Pio & quod mireris recenti omninò: venerabilis memoriæ Thoma Oborskio Episcopo Laodiceæ, Canonico & Suffraganeo Cracoviensi. Tanquàm Censura Cleri quam in moribus suis ferebat, sanctitate & innocentiâ singulari vixit obiitque. Eo nomine mihi etiam observandus, cui puero Sacramentum Confirmationis impresserit.

Addo memor & beneficium, cum aliqua prodigii ſpecie. Febri diutinâ laboraveram, ut tetigit Sacramento, languore & ardore exſolvit. Iſte inquam, *cùm domi ageret ordinariè ſacrum faciebat in Eccleſia Cathedrali ad effigiem ſculptam Salvatoris Crucifixi alloquio Beatæ Hedwigis aliisque miraculis celebrem, referente Stanislao Kuklinskio S. J. Libro de ejus vita impreſſo Cracoviæ c. 2.*

Crucifixus in Cracovien. Cathedrali.

Et quoniam huc calamo delapſus ſum atq; hæc Varſaviæ ſcribo: viſum mihi nonnulla de imagine Crucifixi pervetuſta, ac miræ ad permovendos ſpectatores efficaciæ diſſerere. *Illam Varſavienſis Collegiata magnis prodigiis inclytam non immeritò venerationi habet. Eſt enim dulce ſpolium translatæ evictæq; in Germania Religionis, ac reliquiæ Eccleſia ex ardente relictæ, primùm in Poloniam, tum Varſaviam ante centum & quadraginta ferè annos delatæ. Noribergam, peregrinatione genti huic uſitatâ, inciderat Georgius Baryczka Proconſul poſtea*

Et Collegiata Varſavienſi.

Delatore Georgio Baryczkâ.

postea Varsaviensis : cùm ejectis omnibus sacris inimici Cruces in Crucifixi imaginem sacrilegiis luderent. Vindicavit eam occultis artibus Vir Catholicus, non sine vitæ discrimine, prout testantur tabulæ publicæ, apud Stanislaum Baryczkam Subdapiferum Czerniechoviensem ad annum 1636, à me inspectæ consultæq́; Regio thesauro Crux sæpe expetebatur inter gazas antiquitatis, verùm altari defigi fundatisq́; honoribus palàm exponi Georgio non sine numine placuit.

Hæres ejus pietatis Stanislaus Baryczka.

Jam corpus statuæ ad humanam justamq́; magnitudinem exactum erectumq́; est. Caput reliquo corpori æquissimâ mensurâ correspondet, ipsum spissis cumulatisq́; undiq́; sentibus grave, hinc indè modico capillorũ defluxu umbratum. Faciei quantùm decori tantùm mœstitiæ ars dedit, imò plurimùm isti indulsit : quam testis seculorum fuligo ac sacer quidam horror intendit. In doloribus tamen adhuc amabilis facies, lenè oculis submissis, atq́; sicut morientium solent paululùm apertis, tanquàm lucem aliquam requirant.

Illius imaginis descriptio sincera.

rant. In corpus medium levi cervicis flexu inclinata, ut cruentum latus & reliqua vulnera, aut suos supplices lustrare, videri possit. Labra sublivida & nonnihil panda, dentibus aliquantùm ex albedine subfuscâ lucentibus. Brachiis, humeris, cruribus, genibus apta distantia, accessio & modus, nisi ubi hæc imitatione Morientis & Crucifixi perturbari necesse fuit. Pectus ossibus & costis subinde eminentibus elevatum, & à mole pẽdentis corporis modicè fractum, tanquàm intùs prematur & doleat.

Religio quoq; Sacerdotum.

Huc tanquàm ad propitiæ fortunæ benignum sinum, ad Redemptionis publicæ aram, ad mortuorum libertatem, viventium tutelam, plurimos Sacrificii causâ videbis affluere. Ibi gestias animo, ita frequentatis victimis Sacramentum Dominicæ Mortis reviviscere. Habe itaq; fructum industriæ tuæ immortalem Georgi,

Elogium Georgii.

Carpe gloriam illius fiduciæ quâ te propiorem publicæ religioni quàm privatæ incolumitati exhibuisti: tantò sanctior superstitiosâ humanitate illius qui

qui profugæ Vestæ sacra Urbe à Gallis capta, acceperat plaustro, quantò magis constat illa errore non veritate honorata fuisse. Vulgare illud & viatorium plaustrum quo signum hoc victoriæ intulisti Varsaviam, perpetuæ capax gloriæ, fulgentissimos quoslibet triumphales currus non æquaverit modò sed antecesserit. Auxit postea cultum sui Crucifixus ipse manifesto prodigio. Nam cùm turris antiquissima templi quadrato grandiq; opere constructa in fundamentis dubitâsset nutavitq;, in societatem ruinæ fornicem templi quo imago claudebatur impulerat tam pertinaci casu ut sepulchra infima pervaserit, lignea imago inter infinitam vimruderū salvo incolumiq; corpore elevata est. Credo Crucifixum sibi nè sæpiùs obiret vel in ligno rudi, ita indulsisse pro salute publica: tum in imaginis suæ vita, ejus famam qui se vitæ periculo servaverat, voluisse superstitem esse. At vos ô pii Sacerdotes quos seu Varsavia mecum seu aliæ habent Ecclesiæ, vestris hanc Crucifixi observantiam exemplis,

Allocutio Sacerdotū pro Sacrificiis ad Crucifixum frequentādis.

plis, castè & sanctè vivendo sacrificandoq́;, firmate, quam non levis ratio affirmat. Nam cùm tot miraculis ad aspectum Crucifixi patratis suum ipse honorem asserat: nil aliud vis cœlestis agere videtur, quàm Sacrificia nostra huc, procul pretio stipendioq́ue nimirum advocare; ubi umbra illius cruenti & tenues admonendis duntaxat sentibus lineæ, in ligno mortui panduntur. Sicut deinde, cùm fœdâ trabe illâ medius cœli ac terræ spiraret, inauditos effectus omnibus impressit elementis; à Romanorum verò animis fidem & miserationem, à Judæis scelerum pœnitentiam expressit: ita speremus, pares in nobis animorum motus suscitaturum, quotquot corpus & sanguinem, sub ejus aspectu Crucis, inempti litabimus. Juvabit & illa pendentis in Cruce species & situs; qui potentiam imaginativam ut ad dolorem amoremq́; firmat; ita sacrificantis, quantùm ex ipsius actione est, uberius utiliusq́; Sacrificium

Causis piis. Unâ. Alterâ. Tertiâ.

cium; ad veniam & gratiam accipiendam facit.

Ecce ego tuam hîc ad Crucem consisto, tibi tuæq; morti sacrificaturus, Sacerdos tuus & idem sacrificium, ô tu sacrificium meum & idem Sacerdos. Sacrificaturus teipsum ac unà meipsum. Heu quòd non minùs intractabilis ut illæ rupes! Sed scindat oro tuus dolor cor meum, & sanguis tuus adamantem hunc evincat. Obscuretur in me mundus, & ad spectaculum Mortis tuæ moriatur. Verè filius DEI es in Cruce, & ego filius hominis Crucem erubesco. Adoro omnes illos actus, quos in Cruce erga istam peccatricem animam meam elicuisti. Adsint sacrificaturo Mater tua, & Joannes dilectissimi amores. Omnium sensuum membrorumq; officia mihi in Cruce servierunt, omnia mea tibi in hoc famulentur. Tuis halitibus & suspiriis, orationibus & intentioni, omnia mea nunc conjuncta esse volo & decerno. Extremum hoc fuit tuum sacrificium. Si ô Domine meum tale hoc sit eritq;, fiat non mea voluntas

Votum ad Crucifixũ sacrificaturi.

sed

ſed tua. Et jam in tuas, in Patris manus commendo Spiritum meum. Supremo halitu, ac uſu aëris, omniumq́; interiorum meorum, te amo, & deſidero tuus Sacerdos in æternum. Hæc frigida mea & inania ſpiritûs verba ardore tuo fovebis. At tu Crucifixe utriq́; orationem & affectum ſuggeres & amplificabis.

ACTIO IV.

S. Philippi Nerii & Egberti Canonici, Tentatis & afflictis Crucifixum propoſuêre.

NOn ignoro plura media Sacerdotibus inveniri frenandis naturæ corruptæ appetitionibus vel immiſſis aliundè tentationibus frangendis non invalida. Mihi tibiq́; inter prima victoriæ utriusq́; inſtrumenta, Crucifixus aut recogitandus, aut in imagine reſpectandus. Hoc ex aureo ore primùm Chryſoſtomi excerptum ad plures pietas in Crucifixum dedit. *Crux ante oculos viſa, omnem ſtatim abigit malam voluptatem. Homilia de Joſeph.* Nam quæ ex

Auctor tituli D. Chryſoſtomus.

volupta-

voluptatibus tandem voluptas, hoc dolore conſpecto? Quid tu concupiſcentia dicis in conſpectu Vulnerati Amoris mei? Dominus meus omnibus modis miſer, ego ambitioni, ego voluptati operam dabo? D. Philippo Nerio Sacerdotum Magiſtro, celebre ad tentatos inter monita libello Documentorum Romæ impreſſo Anno 1650. n. 56. *In tentationibus quas libido ſuggerit confeſtim recurrat tentatus ad Crucifixum, ſignumq́; Crucis ter imprimat pectori & dicat: Chriſte Fili DEI vivi miſerere mei.* Efficax remedium iſtud ex aliqua ratione phyſicâ primò videtur. *Quòd concupiſcentiæ motûs contrario maximè lædantur: quale eſt vulnerati ac morientis corporis contemplatio. Langueſcit enim dum infinita alioqui cupiditas ad finem vitæ alienæ conſiſtit qui ſuum illi fatum exprobret.* Altera ſed myſtica juſtæ tamen congruentiæ. Quod videantur non poſſe eſſe non defenſi illi Domino Crucifixo, qui ejus cruciatuum ac ærumnarum

Tum inſtauravit D. Nerius.

Cauſa prior & quaſi phyſica.

Altera myſtica.

exemplo & causâ suas perferre fortiter statuerunt. Pronum enim nobis est eos amare & teneri potissimùm qui in nostri gratiam doloris dolent. Post D. Philippum S. Franc. Salesius tentatos ad eadem exercitia deduxit. *Si tentationem, inquit, adeò non recedere videas ut etiam increscat: in spiritu magno cum ardore sanctam Domini Crucem amplectere, tanquàm si Redemptorem nostrum JEsum Christum Crucifixum ante oculos tuos cerneres; & protestare te tentationi nunquam assensurum, ejusq; opem contra eandem invoca & protestari semper perge.* Introductionis p.4.c.7. Considerent igitur tales iterumq; iterũq; oculis resumant Crucifixum amplissimum luctûs Volumen, eoque contrario voluptatem cæterasque animi pestes aliò sanctâ violentiâ devertant. Cornelius comm. in Lucam suasit *tentatis agonizantem in horto Christum orare.* Huic consilio non defuit *Thomas Oborski.* Erga Christum in horto pridie passionis oran-

Ex S. Fran. Salesio probata.

Ad Agonizantem Dominum recurrit Cornelius & Thomas Oborscius.

orantem peculiari ac pertenero pietatis ferebatur affectu. Ad ejus imaginem venerabundum procumbere, eam quoties eundo, redeundo inambulabat, in quolibet accessu piis osculis premere, ait *Scriptor vitæ.* Nam quis Sacerdotum sua tædia, pavores, tristitias toleret ignavè & timidè gemente malis nostris Domino? quis vilium homulorum se Divinæ voluntati subtrahat fingendũ refingendumq; ut collibet, cùm animo obiêrit Unigenitũ in natura nostra Dei Filium id unicũ exoravisse. Quod eò promptiùs faciet quem tentatio apprehenderit aliqua; si ex tua Sacerdos institutione ille intelligat, se patientiâ istius tentationis Christi Domini patientiæ in aliqua suorum sensuum parte conformem reddi. Sensit idem Vir sanctus & doctus Idiota ex ordine Carmelitano apud Eusebium Nerembergium in Asceticis l. 4. doctrinâ 10. c. 63. *Quoties resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis: cogita, cuinam*

Idiota in Crucifixũ singularis. Neremb. Ex quo Vitiorum remedia dedit & sensus reformat in Crucis formam.

cuinam parti Crucis Christi conformis reddaris; ut quando gulæ resistens gustum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicujus rei quæ tibi placet, cogita, manus illius pro te ligno Crucis affixas. Et si resistis superbiæ, recordare illum, qui cùm in forma DEI esset, pro te formam servi accepisse, & humiliatum usq; ad mortem Crucis. Et cùm irâ tentaris, recordare illum qui DEUS erat & omnium hominum justissimus, quum se tamen videret quasi latronem & illudi, & conspui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen unquam aut iræ aut indignationis signum ostendit, sed patientissimè omnia ferens omnibus mansuetissimè respondebat. Et sic discurrendo per singula, invenies nullam passionem quæ te Christo aliqua ex parte conformem non efficiat. D. Paulus ad Hebr. c. 2. eodem ex capite fiduciam tentatorum erigit. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari.*

Fiduciam tentationibus pulsatorum major ex Crucifixo, D. Paulo docente.

Quam

Quam Doctoris gentium sententiam Theophylactus interlocutus. *Non enim solùm ut DEUS, sed quia ut homo cuncta expertus, intelligit: siquidem multa perpessa est Christi hæc caro, calletq́ quid pressura, quid tentatio sit. Unde & auxiliari potest, id est, promptior esse, manus ut porrigat, & tanquàm misericors opituletur oppressis.*

Theophylacto interprete.

Tu quoq; Egberte vices tuas hic accipies. Edidit in publicum Canonicus Antverpiensis & Theologus iste orationi cum primis deditus, familiari Soliloquiis stylo, Meditationes in Passionem JESU CHRISTI: quarum in limine ita Episcopum suum Joannem Malderum alloquitur. *In sanctissimis Domini vulneribus Tuam Reverentiam commendatam cupio, ut hîc cum omnibus electis, qui sunt in cælo & in terra, unum efficiatur: & in tempore angustiarum, tribulationum & miseriarum, ad hæc sacrosancta vulnera, quasi columba ad fenestram, dum accipiter appropinquat,*

Egbertus Canonicus paria docuit.

refugium habeat. Hîc enim solummodò pax & tranquillitas vera invenitur, hîc tantummodò quies post laborem nobis datur, hîc cuncta mala superantur, hîc cum DEO habitare possumus. Tam exactæ de vulneribus Domini orationi addam nihil præter laudem illius & meam imitationem.

Secularium variæ voluptates contra dolorem.

Habent filii ac nepotes sui seculi inter adversa suas perlecebras, quibus mœrorem si non temperant, saltem decipiunt. Hinc horti, hinc convivia, hinc symphoniaci, hinc fabulæ in actus effictæ, indè gestationes, indè lecticæ, indè immania opera, cæteraq; nullo impendiorum dolore contra dolorem comparata: frustra, siquidem, ut ait ille, post dominum sedet atra cura. Sacerdos extra hæc securo positus loco, infra se videt mundum.

Sacerdotalis solitudo.

Verùm quandoq; tristitia jus naturæ mortalis repetit apud Sacerdotes. Ab excelso illo statu in plana humanæ sortis deducit. Ipsa sacerdotalis vita solitudinis nomine horrido illo ac inhumano se exprobrat.

Castitas.

Unus Sacerdos sine patre, sine matre, sine genealo-

nealogia vivis? Sola cum castitate domi aut DEUS aut pecus agis? Accendunt improba exempla, proh dolor! ab ipsis Sacerdotibus impulsa. Nutare tu primò ac decedere de gradu uno, mox progredi. Dandum aliquid humanitati ac lætitiæ, unum passum non esse iter, indulgendum nonnihil severitate temperatâ dices, remissionem esse non præcipitium. Inter hæc animi dissidia ardet dolore corpus Sacerdotis, sed hoc non peccat, ardet qui solus peccat animus, & unam mali in communi voluptate medicinam consulit. Quid contra mentem eventa? quid vota aliorum cupiditate tibi excussa & occupata? quid ex adversis privatim & publicè ærumnæ? quorum omnium pulsatione moveri aut stringi necesse est animum dubium & sui ancipitem. Quò Sacerdos quàm in vulnera Crucifixi descendas? *Crux Gaudium Sacerdotum inquit D. Ephrem de Cruce.* Uberius id tractavit B. Petrus Damiani consideratione cæremoniæ illius adhi-

Exemplis pulsata & non nulla causâ.

Dolorum solatium.

Crucifixus D. Ephremo.

bitæ à Moyſe juſſu DEI circa ordinationem ſummi Sacerdotis ut qui tangeret ſangvine arietis immolati *extremum auriculæ Aaron & pollicem manûs ejus dexteræ, ſimiliter & pedis Levit. c. 8.* Ubi ſic B. Cardinalis opuſculo de dignit. Sacerdotii ad quendam Archiepiſcopum c. 2. *In auricula Sacerdos arietis immolati ſanguinem portat, cùm eum Paſsionis Chriſti myſterium inhianter audire delectat--- dexter etiam pes eodem cruore ſignatur cùm vita Sacerdotis adverſus tentamenta diaboli paſsionis Chriſti recordatione munitur; ut ſicut poteſtatem accepit ſuper ſerpentes & ſcorpiones incedat, morſus tamen eorum & invalidi furoris venena non ſentiat.* Et paulò poſt. *Notandum quòd dextera tantùm auricula, manus & pes Sacerdotis illo ſanguine liniri præcipitur--- Certè ſic ſemper Dominicæ paſsionis Sacramentum pro dextero teneat, ut tanquã ſiniſtra prorſus ac vilia cuncta mundi hujus blandimenta contemnat.* Enimverò quia Sacerdos dux & anteſignanus

Et B. Damiani cui

Tentatis Sacerdotibus à Cruce munimentum.

Ejus memoriâ mundus vilis.

nus est Exercitûs Domini, his titulorum insignibus jubetur adornatus incedere, seseq́ sequentibus Ecclesiasticæ militiæ cuneis sanguinis & Crucis Christi debeat vexilla præferre. Subjungit adhuc, Sacerdoti cogitatione Crucifixi voluptatem carnis frenandam esse adducto Zachariâ. *Hoc figurabat Zacharias Propheta cùm diceret, In die illa erit quod supra frenum equi est, Sanctum Domino. Porro autem ante Salvatoris adventum, quid genus humanum nisi velut infrenis equus erat? quod ubiq́ per voluptatum suarum campos libertas infrunita raptabat. Sed ori ejus frenum Redemptor noster adhibuit cùm sanctum Evangelium, quo videlicet omnia petulantis lasciviæ vitia compescuntur, objecit. Super hoc autem frenum, Sanctum Domini, hoc est Crux ponitur, quia cuncta sancti Evangelii præcepta Crucem spirant: & ut Crux post Christum portetur invitant.* Huc quoq́ue deducit & illud ornamenti genus, cùm laminâ aureâ cui erat nomen DEI tetragrammaton in-

Aptatâ huc scripturâ.

Zachariæ 14.

Et frenum voluptatis atq; licentiæ Crux.

sculptum, ornabatur Sacerdotis caput. *Sicut enim, inquit ibidem cap. 3, quatuor illic erant literæ, ita nihilominùs quatuor sunt crucis cornua quadrifidi orbis partes amplectentia---. Portet ergo laminam auream Sacerdos in capite, ut crucem Christi jugiter verset in mente. Sanctum quoque Domini, freno equi sui adhibeat ut carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigat. Tunc enim Sacerdos & laminam auream capiti, & Sanctum Domini freno adhibet equi, cùm & ad Crucem Christi mentis intuitum dirigit, & corpus suum veluti ferocem equum ab omni lascivientium vitiorum libertate compescit.*

Exodi 28. accommodatum.

Quare non desines tibi Sacerdos afferre sæpiùs Crucifixum. *In hoc uno tibi satis præsidii satis solatii erit. Attolle cor & quoties dolor oboritur & fluit in oculos, toties illos in Crucifixum dirige. Siccabuntur in tanti fervoris contuitu, neque fas tibi erit aut jus illo Crucifixo de ulla fortuna conqueri. In hoc mihi afflicto sunt omnia, ille pro omnibus est. Hic mihi cogitandus, ab*

Crucem contemplare & Crucifixum.

eo nunquam recordatio dejicienda, hic contra meipsum mihi advocandus est. Nec dubito in illa clementia, quin me Sacerdotem sit indulgentiùs habiturus, & vulnera intus solatiis majoribus obducturus. Adversus amorem tuum parum gratus essem, si mihi quidquam te vulnerato flere permitterem, præter me tuorum vulnerum causam. Quamdiu te dolentem meditor, nullum ad me tristitia & tædium inveniet iter. In me omnia Crucifixe tenebis: si à te, quod absit, discessero, insidiabitur meæ solitudini ac mœrori dolor.

Adde Sacerdos & voces quas cruento ore Crucifixi inter suspiria morientis ad te venire puta. *Quid tu solus in patientiæ exemplum desumptus es? An ego primas hîc non occupavi? Nullum in toto corpore membrum est sine suo dolore, imò funere. Vides hos artus omnes, qui latè crucem totam occupavêre, ut nullus horum non aliquo cruciatu insignis est? Si me transire audes? abi ad meos tuosq́. Petrum, Andream, Philippum inspice non uno genere*

Et tecum ista loqui.

re crucifixos. Respice proximioribus seculis XII. millia in Arari, quorum corporibus cruces defuêre, mons crucibus, ipsi omnibus crucibus cùm superfuissent. Tu exemptus Sacerdos præclaris Sacerdotibus esse velis? Tu expers certaminum, mollis & invulneratus? Non solus hoc mari veheris & jactaris. Tot tuæ consecrationis socii fluctuant, & nauseam usq; ad portum ferunt. Honore aliquo excidisti? famâ exspoliatus, spes intercepta in vicino, convitium in te projectum est, dubitare potes, meritò an immeritò? Hoc solatii genus innocentia mea non acceptavit. Scivi ego innocentiam, & de merito dubitare non potui. At te voluptas aggressa est? atqui me Dolor. Fraudas te illâ, quæ te aliquando usurâ sui fraudaret. Dimittis alioqui facilè dilapsuram, sed adhuc in spem vitæ æternæ. Multa te movere possunt nè voluptatem ames, aut erubescendam, aut abituram. Me dolor ussit in remedia ipsa contumax. Dolui propter te, in quo nihil erat quod sperarem, quod amarem præter mea.

Doloris

Doloris causa idem eras & incrementum. Ergo me tædeat Domine gaudere sine te, delectet contristari pro te. Non levitate sanctus ille Episcopus *ridebat cùm crucem pio conspiceret oculo, recolens beneficia quæ per eam provenerant toti mundo. Belluacensis Episcopus Vincentius in Speculo l.31. c.76.* O sincerum Sacerdotis solatium! ô tutelam in adversis!

Gregorius Magnus, quo nomine exitum capitis coronabo, ab illa operum magnitudine sciebat se in nostram Actionem dare, & Crucem Regibus pro solatio dare. Visigothorum Regi Rechardedo ipse l. 7. epistolarum Registri epist. 127. *Crucem dedi latori præsentium Vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ Crucis inest, ex quâ semper solatium nostri Salvatoris habeatis.* Quondam liberalitas Sacerdotum à piis solicitabitur, requirentibus munuscula. Nil promptiùs dabis quàm in aliquâ materiâ Crucifixi memoriam relictam. Magnus indè utriusq; profectus.

D.Gregorius Regibus ita scripsit & misit.

fectus. Quid enim tu per simulachrum Crucifixi ages, quod sit contra ejus amorem? Pudebit ad Vulnera illa creaturæ alicujus venari affectum. Pudebit inspectâ nuditate Virginei corporis aliquid licere, ubi libertatem tuam olim fixam percipies. Hâc Pontificis Magni actione disces materiam liberalitatis tuæ; non quæ muliebri mundo faveat, non ex qua apud oculos forma promoveatur, vestiatur vanitas, luceat superbia, superbiat libido. Isto te isto afflictos tuos solabere; hinc & amicos duces. *Crux castimoniæ sigillum, & eadem amicitias conjungit ait citatus Andreas Cretensis.*

Decoat imitari.

ACTIO V.

S. Caroli Borromæi. In Passionem Domini cogitandam dies locavit.

TUrbâ cogitationum omnes discerpimur. Nunc has nunc illas ponimus æquè ac sumimus, admittimus has, illis inhibemus limen. Hic tumultus dies, menses, annos exagi-

exagitat. Doctos Schola & pulpitum, steriles Oeconomia, erectos Respublica, omnes ambitio quotidiana exercet. Hi prô dolor! dies Attici & noctes sunt Sacerdotum. *Quanti dolent dies se eò quòd non perdiderint perdidisse ut ait Plin. l. 1. ep. 4.* Quanti artium & ut dicunt scientiarum inania misero præli negotio tendunt. Vitium hoc multitudinis in septa compositæ & faciliùs alieno vel precario curiosæ. Sic apud suos auctoritas, & vacuum apud ignaros nomen paratur. Meliùs utiliusq; faciat Sacerdos si horâ per ejus tot ærumnas meditatus incedat, & solidæ diei particulâ, Amorem illud cogitet. Non placet ignaviæ nostræ sedulitas ista? placuit sancto illi Episcopo. *Habuit pro consuetudine qualibet die vel nocte Dominicæ passionis insignia meditando recolere, & in eis suavissimè delectando, illis medulliùs inhærere. Quâdam itaq; festivâ die multis occupationibus & curis fatigatus, cùm prævidere non posset lectionem*

Meditatio aliqua Crucifixi Sanctis usitata.

nem craſtinam, ſequentem noctem in vigiliis expendit ferè totam. Unde circa auroram irrumpente ſomno, ejus occurrit memoriæ, quòd nullâ ejus diei horâ meditatus fuiſſet, juxta morem de Dominica paſſione. Vincent. loco ſupra relato. Quotidie nos Crucifixum noſtrum in altari portamus, levamus, bibimus etiam & comedimus, quidni uno momento quotidie meditemur? Placuit ſancto Philippo Nerio, Senex, in cæteris alioqui geſtire ſolitus, adeo ut Cardinalis Veronen. illo adhuc vivente, librum ediderit hoc titulo: Philippus ſeu de vera & Chriſtiana lætitia: tamen hic vultum & ſtylum mutabat. *In ipſa Dominicæ paſſionis memoria atq; iniquorum hominum ingratitudine, gemitus fundebat uberrimos. In bulla Canoniz. Urbani VIII. §. 73. edita an. 1622.* Placuit & illis Sacerdotibus Oratorii. Collectis ad Eccleſiam clauſis feneſtris ad imaginem Crucifixi ita prælegitur. *Paſſio D. N. J. C. ſit ſemper in cordibus noſtris. Amen. Recordemini fratres*

Philippo Nerio.

Sacerdotibus Oratorii.

fratres Charissimi quòd D. N. J. C. fuit pro nobis venditus, osculo traditus, ad Annam primùm, deinde ad Caipham Pontificem ductus & postremò in prætorium ad Pilatum; ubi fuit ad columnam ligatus & flagellatus, spineâ coronâ coronatus ac veste purpurea circumdatus, alapis percussus atq; consputus & Judæis traditus ut crucifigerent. Ad Calvariæ locum deductus & crucifixus, & cum eo crucifixi sunt latrones duo unus à dextris & alter à sinistris, & cùm dixisset Sitio, porrexerunt ei acetum, quod cùm accepisset dixit, Consummatum est. Et inclinato capite emisit Spiritum. (Hîc singuli sibi pectus tundunt.) *Deinde unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, & de Cruce depositus fuit, in monumento novo sepultus, tertiâ autem die resurrexit à mortuis. ℟. Deo gratias.* Horum Sacerdotum Oratorium instituit Paulus V. Bulla incip. Sacrosancta Ecclesia. Anno 1615. 24. Feb. Pontificatûs sui an. VII. ubi c. 12. plurimas hujus oratorii constitutiones

insertas leges. Modus hic brevissi-
mus occupatis potissimùm Sacer-
dotibus congruit, quòd adstricti
verbis omnia sistat mysteria, &
quem privatim à te facilè impetrare
possis.

D. Borromæo solennis.

Hæc ubi dedi, monet me D. Ca-
rolus Borromæus de titulo suo,
quem eidem inscripsi. Quanquam
erat illi quotidiana hæc Domini Pa-
tientis meditatio, secreverat tamen
plures unà dies quibus animo à cæ-
teris recepto pietatibus, huic uni va-
cabat integer & plenus. Varallium
mons est ferè sub Alpium jugo inter
Helveticos Pedemontanosq; fines
Urbe Mediolano LV. millia passuum
abest. Ante annos centum Sepul-
chrum Domini imitatione Hierolo-
lymitani ibidem colitur, ducta reli-
gio ex imaginibus Passionis Domi-
nicæ exactè sculptis. Isthic Carolus

Modus peculiaris ejus.

*primùm animo studiosissimè expurgan-
do operam dedit, & certi temporis gene-
ralem confessionem peccatorum pro sua
consuetudine habuit, quam non longè
inter-*

intervallis repetere solebat. Venit deinde ad sanctissimæ Passionis meditationes, in quibus eos quoque quos ex familia secum habebat exerceri voluit. Diei & noctis etiam certa tempora distributa erant, quibus quemlibet ad meditandum & orandum in sacellis esse oportebat. Cardinalis tamen qui communi tempore contentus non erat, proprium sibi sacellum nullo comite deposcebat. Jucundissimum erat pietatis spectaculum, quod suavem conscientiæ aculeum admovebat, videre tantum virum, nocte præsertim, solum parvulâ laternâ sub pallio receptâ, per ea loca ire quò spiritualis affectus acriùs incitabat. Ibi dies XV. interpolatim propter intercurrentia proximorum salutis negotia egit. Carolus Presbyter Mediolan. in epistola ad Ludovicum Granaten. de obitu ejus hæc omnia. Eat nunc aliquis Sacerdotum, ac se negotiorum incursu à religione ista religiosissima excusatum velit. Episcopatûs, Reipublicæ, & si quæ altiùs stant, causas objiciat, si Carolus Car-

Se & domesticos ita exercuit.

XV. diebus.

Nobis vana excusatio.

dinalis & Archiepiſcopus XV. dies habere potuit. Sed hoc eſt quòd alius in alium conſumimur, nemo in eum qui totus amorem in noſtrum conſumptus eſt. Hic illius cultor eſt ille illius, nemo ut huc Romanum Stoicum deducam, Crucifixi imò nemo ſuus. S. Ivo nuper laudatus aliquando ita in ſe receſſerat, ut dies ſeptem continuos egreſſum incluſerit limine, viſus nulli, nulliq; locutus, ut ſe ſibi, inprimisq; Domino à negotiis advocationis vindicaret. *Pauperibus, inquiebat, Domini tantùm dabo, Domino pauperum nil tribuam? Alternæ vices debent eſſe in pietatem, quà cæteris, quæ mihi proſit. Chriſti bonus odor ſumus. Atqui iſte vim clauſus ſervat, libertate auræ languescit. Fluvios publico utiles, arena ſenſim alveo demutat, & latisſimos ante, ſtringit. Purganda mens eſt, ſi non vitiis certè ſuſpicione vitiorum. Paulatim hæc ingrediuntur exploratorum more, quos à tergo exercitus & caſtra inſequuntur.* Dierum plurium ſi

& cauſa non cauſa.

S. Ivonis dies ſeptem ſeceſſus.

Juſtæ Receſsûs cauſæ.

fortè fastidium vereare, octo continuos elocabis in Patientis acerbissimam recordationem. Hanc tibi dic legem ipse, ut nullus annus exeat, hâc Commentatione non illustris. Ad illam Patientiam, Castitatem, Innocentiam, Paupertatem tua adesse jubebis & vitia & bona. Illo igne incendes vel extingues amores tuos, armabis contra adversa & prospera. In nudo omnia invenies Crucifixo, Reformabis Status tui Rationes deformitate Crucifixi inspectatâ. Videbis cui sacrificio Sacerdos sis.

ACTIO VI.

Synodi Salisburgensis. Frugalitatem Sacerdotum honori Crucifixi reddit.

TAnquàm nulli non notum hîc relinquo, Sacerdotio juxta Canones mensarum luxuriem, & secularis gulæ pompam, inter crimina esse. Non equidem initiati sumus sacris Deorum patellariorum, ut Comicus dixit, ut cœnas cereales demus, men- Plaut.

ſas extruamus, ſtruicesq́; concinnemus patinarias. Nefas domum Sacerdotis eſſe officinam Sympoſiorum. Sit illa *Chriſti crucifixi & pauperis, qui cibo quoq́ veſcebatur alieno ait Hier.* in quo neceſſitatem non delicias ſecutus eſt.

Hier.

Syn. Salisb.

Peculiaris verò eſt in hoc Synodus Salisburgenſis an. 1568. edita conſtitut. 27. c. 15. de Clericis. Dictam legem vitio fortè nonnullorum lapſam ubi reſtituiſſet decreto, Rationem quæ titulo inſcripto multùm favet, ſubjecit. *Inter conviuandum modeſtiam & mediocritatem adhibentes, omnem luxum fugiant, nè de Patrimonio Crucifixi ſe inimicos faciant Crucis, ſicut faciunt illi quorum DEUS venter eſt.* Ita hæc apud Gobat relata Theologiæ Juridico-Moralis cap. 76. Sect. 3. n. 42. Optimi Patres illi, cùm multas ad frugalitatem cauſas haberent, Crucifixi unius ſolenni formulâ meminère. Nimirum iſte niſi Sacerdotibus temperantiã ſuadeat, infirma cætera eſſe, aut vix valitura

Frugalitatis motiva, cauſa Crucifixus.

litura

litura contra consuetudinem luxûs. Adsum vobis idem probaturus sub Episcopo Laodicæensi Thoma Oborscio. Eam in frugalitate constantiam induerat, à qua nè Canonicorum quidem familiares, ac urbaniùs in senem jactati sales, dimoverint. Ex Apostoli verbis *Episcopos hospitales* esse jubentis, interdum adhibebat mensæ Cracovienses, ut dixi Canonicos. Sed lex sumptuaria in promptu erat, & calices ad numerū, cuiq; separatim certa mensura vini, neque ultra certabatur aut prandebatur. Quanquam parcitatis nomine à liberioribus carpebatur, gravi risu & silentio censores refellebat. Itaq; iste vir, maluit à novitate perstringi, quàm priscam & in Crucifixo continentiam fundatam relinquere. Quantùm enim plenior ista liberiorque convivandi assuetudo in Sacerdotis primùm limen, in animum deinde vitiorum importabit? Erunt importuni solâque invitati offâ plurium aditus

In Oborscio laudata.

Assertaque etiam contra irrisiones.

Luxûs incommoda Sacerdotalis.

Productæ sessitationes. erunt diu noctuque inter ebriorum voces ac jocos productæ sessitationes. Aderunt fortè in humanitatem publicam mulieres, aliæ sanguine, aliæ viciniâ adjunctæ. Hîc

Libertas. libertas, & in hospitalitatis gratiam, ingrata Sacerdotio remissio gravitatis; postremò, ut ait ille, extremæ

Cic. Mur. lætitiæ comes saltatio. Tempora

Jactura temporis orationum. interim Ecclesiæ orationisque eludentur, Vicariis circa altaria, cum plebe cantorum, Divina omnia abscissè dejicientibus: dum hi vel in

In Vicarios pessimum exemplum. Prælati domum, pars luxuriæ futura, vel in ejus exemplum, aliò festinant.

Proh dolor! Huc videlicet Crucifixus sanguinem effuderat ut ejus merita inter mensas Sacerdos propinaret; sitivit ut amystide certaret, nudus æstuavit ut mundi amoribus incenderetur? Manus pedesq; ad clavos movit, ut nostra seculo daremus? Non est hæc mihi credite humanitas ubi pauci se homines meminêre, neque in Sacerdotii honorem aut Ecclesiæ dignitatem, ubi multa contra

Sacer-

Sacerdotium & templum indigna. Nolite religiosissimi honoris majestatem tam tetris facinoribus inquinare. Indignum pensi ducite, eisdem mensis & Res Crucifixi & vestram sanctitatem absumi.

An & tibi frugalitatis sobriæ laudem Valentine Trestka subtraham, qui nostrum ordinem exemplo immortali sobrietatis tuæ noluisti defraudare? Imò succedes Antistiti Sacerdos, Canonico Commendæ nomine sed maximè commendatus. Oppidũ est in Sandomiriensi Palatinatu Gnesnensi Archidiœcesi Drzevicium, potu grati gustûs, usitatâ genti ebrietatis materiâ infame, dicunt celebre isti. Arx ibi olim hæredum domicilium, nunc fœda solitudo & subeuntium terror. Unum insigne loci & Ecclesiæ D. Joannis Chrysostomi caput, Româ quondam ab Drzevicio Archiepiscopo Gnesnensi impetratum, & in ara inter templi gazam relictum. Multos religio huc ab itinere flectit, tanti

Alius in hoc genere Valentinus Trestka.

est sapientiæ illa sedes caput. Hoc dictus Valentinus in oppido, ebriorum tumultibus ac saltationibus inquieto, ac semper turbido, suique compote nunquam, Commendarii officio tenebatur. Ita solus sobrius ad curam animarum, ut nè leviter caluisse aliquando observatus fuerit. Atq; ut securiori à gula omni vivere liceret, alto sepimento domunculam occultavit. Nullo item famulo domûs arbitroq; usus, limine ad omnem fæminæ ingressum pertinaci, se in altam cum DEO quietem immiserat. Hinc nunquam in publicum prodire, nisi cùm officium suum requirebat. Illud profectò instar prodigii. Ad occursum ejus subitò ebrii conticescere, ad reverentiam Sacerdotis, mutuò, amentes ac de sede jam rationis motos, commonefacere. Videbant istum non ut populum sic Sacerdotem. Jam in domestico illo otio, rerum Divinarum studio ac præcipuè amori Divino expendendo totum se dabat.

Commendarius Drevicensis Ecclesiæ.

Ejus solitudo.

Contemplationis studium.

dabat. Argumento ſunt ejus ad populum conciones ardore magno dictæ, Tum Sacrificium ſingulari ſemper fervore peractum. Cùm Præfationem cantaret aut recitaret ubi mentio eſt Angelorum & Gloriæ DEI, intendebat quantum poterat vocem, adeò ut omnes parum cætera in ſacris cogitantes hìc permoverentur. Ardere vidiſſes tunc Valentinum & per ora flammas Divini amoris fluere, quas è privata comtemplatione ad altare attulerat. In quodam neceſſario itinere mortuus extra oppidum uno circiter milliari. Oppidani ſuum Sacerdotem alibi ſepeliri non paſſi, funus rapuerunt magnâ populi frequentiâ in Eccleſiam propriam illatum. Voces diu auditæ requirentium talem alterum Sacerdotem, laudes poſthumæ tanquàm de ſancto. Hæc ſcripſi ſalvo Eccleſiæ Catholicæ judicio, ex fama quam liber ei fecit, Auctore quopiam ex Ordine Divi Franciſci de obſervantia. Is comes pueri-

Conciones.

Amor in DEUM ardens.

Funus cum ſanctitatis opinione.

Auctor vitæ.

pueritiæ & ſtudiorum Valentino erat, tanquàm meliùs cognita deſcripſit. Librum catenulâ ferreâ ad ſepulchrum Valentini pendentem vidi, legi, editum Anno 1618. niſi me fallit diligentia anni.

ACTIO VII.

B. Simonis Præbendarii. In pauperes propter Crucifixum liberalis.

SOlennis Patrum Sanctorum phraſis eſt, quâ tanquàm religiosâ & conſecratâ Reditus & *Beneficia Eccleſiaſtica Patrimonium Crucifixi* dixêre. Ejus cauſam appellationis uberiore aliquantulùm calamo diſſeram, ut intelligamus quibus quantisq́; cauſis liberalitas noſtra in egenos evocetur.

Clerici ex Beneficiis neceſſarios duntaxat fructus ſuos faciunt.

In duplici ordine bona Eccleſiaſtica conſtitui ſolent, vel prout honeſtæ Clericorum ſuſtentationi ſunt neceſſaria, vel prout huic ſuperfluunt ac redundant. Et quanquam Clerici ſeculares, quoad partem fructuum ſibi neceſſitate addictorum, fiant

fiant domini, indulgente clementer Theologiâ ex Trid. verbis illis: *Fructus faciunt suos*; tamen quoad superfluos & redundantes nullum dominium sibi competere, atq; se dispensatorio jure, ac officio custodum fungi, ex Patrum & Theologorum sententiâ, fateri cogentur. Eam severissimè docuit meus in Theologia Magister Hermannus Horst S. T. Doctor Conclusionibus de Jure & Justitia impressis Viennæ Ao. 1656. Quæ eò processit ut repetundarum reos agant qui notabilem horum fructuum partem in profanos usus expendunt. *Quæ restitutio pauperibus quorum usui addicta fuit, facienda foret : idq; ex bonis inquit ille Doctor, quorum sunt absoluti Domini ; quæ si absint, tenebuntur parciùs vivendo tantum reliquare quantum in dictos usus expenderant.* Indè inferebat. *Eos omnes qui à beneficiariis notabilem talium fructuum accipiunt partem, præter pauperes, peccare contra justitiam & teneri ad restitutionem in defectu donatoris, allato Canone Pastor. 1. q. 2.*

Superfluorū dispensatores.

Herm. Horst.

Repetundarum rei Horstio qui à Clericis superflua accipiunt.

Mitior

Mitior Theologia præcepto uno Ecclesiæ ita docet Clericos obligari: & quanquam extra injuriam pauperum ac onus restituendi, tamen intra mortale crimen si secus fecerint. Lessius de Jure & Just. l. 2. c. 4. dubit. 6. n. 43. Hi lenius conscientiæ vinculum admovent: & post divisa ac unicuiq; Ecclesiæ designata beneficia, hæc opinio robur accepit. Cæterùm admissâ hâc quoq; distinctione generaliter existimo: *Nullos fructus beneficiorum tam superfluos quàm suos, hoc est ad necessariam sustentationem debitos, expendi posse, aut saltem ex condecentia illorum conditioni congruente debere, in alias quàm pietatis vel honestatis causas, etiam stante in istos fructus Clerici dominio.* Fortius quidem ista dicimus quàm ut plerisque persuadeamus, verùm in gratiam Crucifixi invidiam feremus ex his rationibus. *Prima.* Quòd non sine ingenti scandalo quisq; fidelium judicet esse, bonorum Ecclesiastico-rum fructus in profana consumi, quales

Lessio aliter visum, & communiùs.

Necessaria etiam non nisi honestè expendenda sua demus de Pecul. Cler. c. 31. Vid. l. 2.

Primùm à scandalo.

quales communiter censentur; alea lucri cupiditate vel otio frequentata, famulitium, vestes, equi ad pompam affectati, canum turbæ ad venationes, xenia mulieribus captandæ vanitatis data, ut graviora mittam. Neq; enim curiosè fideles scholastica ista distinguunt, an ex suis an ex superfluis luxui materia veniat? Ad quam justam profectò offensionem avertendam, dicite an saltem ex charitate & officio suo sint obligati Sacerdotes? *Altera.* Quòd more secularium vitam instituere Sacerdotibus etiam ex suis fructibus non liceat. Nam professioni ad quam DEO, ut par est sentire, ducente è mundo selecti & in ministerium sanctitatis segregati, tale institutum vivendi dicite an repugnet? an à cura Animarum & suæ perfectiùs habendæ quàm apud seculares, non retardet? dicite. D. Paulus hanc frugalitatem ingessit enarrante Theophylacto illa. *Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? 1.Cor.9. Neq; totum*

Non subtiliter pensantur Fidelib. Scholastica.

Deinde à decoro.

Idem D. Paulus suadet Theophylacto enarrante.

fructum

fructum, inquit, comedit sed de fructu. Nec præterea quò quis ex eo fructu ditescat, sed quis non edit, dixit: ubiq; commonefaciens ad necessitatem non ad luxum cuncta requiri, nihilq; quòd modum excedat, deposci. Postremò. Seculares cùm propriis abutuntur luxûs & prodigalitatis peccato damnamus: Sacerdotes sua fœdè ac ignavè perdentes quis ferat? Aut quid opus disciplinâ Ecclesiasticâ si volentibus *rerum suarum* damno perire Sacerdotibus, adhuc liceat?

Postremò à contrario.

Verùm nè, ut dicitur, tanquàm Græculo otioso quæstionem ponamus, illam quæ Actioni huic præest Rationem gravem & piam vibro. Beneficia Ecclesiæ esse patrimonium Crucifixi, hoc est data in Christi gloriam & nomen, & ex illis fructus & stipendia deducta eandem sortiri conditionem, postquàm etiam inter propria & sua Sacerdoti beneficiato devenère. Data inquam ut per officia & actiones beneficio innexas Redemptis Christi sanguine animabus provi-

Ratio IV. à religione in Crucifixum Pia.

providentes commoditatem vivendi haberemus. Certum enim est prudenti judicio id unicuiq; aliquo jure & titulo deberi, quod iste magnis laboribus ac gestis in gratiam alterius elaboravit. Quòd si numerata pecunia ex contractu jus facit ut domus in emptoris legem transeat: quantò magis sanguinis vitæq; jactura jus in rem aliquam dabunt? Christus porrò Dominus non solùm in Cruce pretium peccatorum solvit: sed etiam auxilia supernaturalia promeruit, suo tempore conferenda hominibus, quibus isti in salutis suæ curam per opera misericordiæ exhibita permoverentur. Quare meriti illius sunt piæ donationes, eò quòd gratias efficaces liberalitati excitandæ, & in effectum deducendæ suo sanguine Dominus impetrârit.

Cui debentur suo merito.

Qui auxilia efficacia donantibus impetravit ut dare vellent.

Crucifixi partus sunt & meritum sicut donatorũ piæ voluntates ita & de his pronata Beneficia, & ex his vel in his ipsa illa fundata, quæ per antonomasiam *Sui fructus* appellantur,

lantur, ſtipendia beneficiatorum. Quæ procul dubio nunquam adeò profuſâ munificentiâ ſecularium cæterorumq; pro rebus ſuis attentâ in Eccleſiaſticos fuiſſent collata, niſi copioſa Redemptio in animis Regum, Principum, donatorum eam impreſſiſſet. Conficies indè, ſapienter Patribus vocata fuiſſe Patrimonium Crucifixi, & deduces validâ ad veritatẽ conſecutione, omnes fructus illos quocunq; jure cenſeantur & in ſua trahantur, juris eſſe Crucifixi meritis illius prout convenit ita æſtimatis. An & aulæ feliciores hic erunt? ubi & dantis beneficium & impetrantis agnoſcimus, Chriſti meritis tot dona fidelium non referemus? Poſtremò concludes in uſus non niſi honeſtos vel pauperes danda.

Aliàs non daturis, ſaltem ita effusè,

In aula beneficium impetranti referimus.

Requirit hoc gratitudo veſtra, ut quo ex fonte divitiæ vobis ſumptusq; affluxerunt, eò refluant. Ingrati, ſi Crucifixo per vulnera aperto & pauperes acclamante, vota ejus meri-

Quare & Chriſto; ſi grati ſumus.

meritaque aliò destinantes eluditis. *Crucifixus in meam salutem, loquor D. Hieronymi ad Damasum verbo*, tibi causa & auctor erit, ut paupertas, vel sola honestas in partem tuorum, nedum superfluorum, hæres & possessor admittatur. Isto sensu fidenter eloquor verba SS. Patrum quibus Crucem *Causam eleemosynæ vocant.* Incertus apud Gretserum tomo 2. de Cruce. S. Andreas Cretensis ibid. *Crux esurientium alimentum, pauperibus prospicit, viduas protegit, orphanorum auxilium & nutrix est.* D. Chrysost. itidem. *Crux est nudorum protectio, crux sustentatio inopum, Crux pater orphanorum, Crux defensor viduarum.* Quæ omnia ut de causa motiva & morali meritorum Crucis Christi intelligere commodum est.

Hic sensus Patrum.

Andreæ.

Chrysostomi.

Quare non miror Bernardum Epistolâ 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum tam acri oratione usum. *Hoc me tacente etsi non curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama sed non fames. Famæ*

Bernardi isthîc diserti.

quidem silet quia non potest mundus odisse vos. Nam quomodo mundus arguet peccatum, à quo potiùs laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur? Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Dicite Pontifices in freno quid facit aurum? Nunquid aurum à freno repellit frigus sive esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos DEI plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Non adducam ejusdem mentis & spiritûs plura quæ eloquentiùs iste Pater in Clerum torsit ex abdito. *Inferes* meritò Aulicas residentias inter profana esse, atque criminis eos esse reos, qui huc sumptus ab Ecclesiasticis beneficiis curatis præsertim insumunt, nullis Ecclesiæ rationibus adducti, nullâ Reip. vel Principis utilitate, tantùm sanguinis privilegio commendati, pro-

Residentiæ Aulicæ, profana inter.

priæ

priæ familiæ vel suis captandis ambitionibus insidiantur. Ratio est. Quòd tales Residentiæ sint contra intentionem Regum, Nobilium, Prælatorum, qui ea beneficia fundârunt gloriæ DEI per aliquas actiones huic fini idoneas promovendæ. An verò intentio fundatorum erat, ut vanitatibus suis provehendis nervum in aula Clerici haberent? dicite, An istæ actiones pro DEO?

Ratio ab intentione Fundatorum.

Excipio indè utiles Principi ac Reip. Clericos ad aulam bonis Ecclesiasticis viventes. Tales enim cùm Principem ac Reip. partes bonâ intentione juvent, misericordiæ opus agunt. Illorum obsequia in Ecclesiam quoq; redundant; cujus interest sancta & salubria ac pacata esse Principum consilia. Interest causas pauperum viduarum, militum, oppressorum feliciter expediri quæ secularium avaritiâ vel ambitione sæpiùs interverti dolemus. Sed istos Ecclesiis suis tuendis ornandisque tum pauperum ac animarum saluti

Excipies Clericos Principum consiliis adjutores.

ſufficienter per idoneos providere ſatis intelligimus.

Juniores item Clericos in Aula Polona.

Eximo iterum juniores poſt datam egregiè literis operam Clericos, ſi prava intentio abſit, ad aulam Polonam ex Beneficiis Reſidentiam ſuſtentantes. Ratio mihi non infirma. Quòd Rationes Statûs regni hujus, & interregna ipſa more majorum, Senatus Eccleſiaſticus potisſimùm gubernet, primoq́; ſententiam dicat; Regni item officia, Cancellariorum, Referendariorum, Legatorum, extra vel intra regnum, ad ordinem equeſtrem, Regentium deniq́; obeat.

Cauſa ex Rationibus Statûs hujus Regni ſpecialibus.

Ideoq́ue teneri videtur ad hoc unusquisq́; talium, ut ſe idoneum futùris oneribus Reip. pro Eccleſiæ dignitate, ac ſalute pauperum paret: Regum, legum, morum, aulæ notitiam ediſcat, cùm ut dicitur, ad dandum conſilium caput ſit noſſe Remp.

Sed iſtâ cautelâ.

Jam diligenter iſti viderint, ut caſtè ſobrieq́; in aula vivant, unà ſpiritualium rerum ſcientiam ediſcant, atq́ue meminerint ſe

non

non minùs Regni ac ejus libertatis, quàm Ecclesiæ fore ministros. Non reducant monstrum illud in seculo D.Bernardi natum. *Cùm honores non paucos, sed quantos nec Canones nisi inviti patiuntur, teneat in Ecclesia, unius tamen quem & in palatio assecutus est, magis, ut ajunt, gloriatur ex nomine, quàm cæterorum quolibet appellari. Cumq; sit Archidiaconus, Decanus, Præpositusq; in diversis Ecclesiis, nihil horum tamen, tam eum quàm Regis delectat vocitari Dapiferum. O nova & exosa perversitas! Itanè plus decet hominis, quàm DEI famulum nominari? ac terreni quàm cœlestis regis dici Officialem, altioris ducitur dignitatis? Qui Clero militiam, forum anteponit Ecclesiæ, Divinis profectò humana, cœlestibus præferre terrena convincitur. Ergo pulchrius est vocari Dapiferum quàm Decanum? quàm Archidiaconum? & quidem: sed laico non Clerico, militi non Diacono. D.Bern. epistolâ* 48. *ad Sugerium Abb.* Scio quondam *ad Episcopatus non per aulica obsequia vel ambitus*

Quâ perstrinxit Bernardus.

tus sed Canonicorum electione iter fuisse. Primus Regum Casimirus III. jura Ecclesiarum invito Pontifice sumpsit. Joanne Gruscinio auctoritate sua ad Archiepiscopatũ Gnesnensem translato, Sienienio Pontificis frustra gratiam implorante proscripto. Stanisl. Lubinscius l. de gerendo Episcop. Verùm ista in historiam referamus. Nunc moribus seculi utendum, ex eoq́; quod optimum est sumendum. Erit virtuti utriq́; campus Aula quæ Civem & Episcopum format prudentiam acriùs & robur animi quàm in umbra exercet.

Olim Canonica electio.

Nunc ab aula.

Aureum pro hac disciplinæ parte sensum D. Chrysostomi interseram, quo ille Episcopum & Sacerdotes curam animarum habentes Monachorum conditioni antè locat. *Neq; solùm inquit L. de Sacerdotio 6. c.4, purum mundumq́; Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam inprimis prudentẽ atq; adeo multarum rerum experientiâ instructum ornatumq́; in tantum ut qua*

Neque id contra rationem Statûs Cleri Poloni.

quæ ad victum cultumq́ pertinent, ea nihilominus omnia noſcat, quàm nôrunt ii qui in media hominum turba verſantur: rurſus rerum omnium mundanarum ſecurior vivat quàm Monachi, qui montes ipſos habitandos occupârunt. Nam quum illum neceſſe ſit eorum hominum conſuetudine ac colloquio uti, qui & uxores habent & liberos alunt, & ſervos posſident, quiq́ & divites admodùm ſunt & publicè negotiantur, & potentiâ pollent: eundem certè varium eſſe convenit. Varium autem dico non ſubdolum, non adulatorem, non disſimulatorem, ſed magna tum libertate tum fiducia plenum: ac qui ex re ſeſe ſubmittere atque obſecundare ſciat, quoties negotiorum uſus poſtulat---. Quæ omnia vel inter ſe pugnantia ad unum hunc finem ſpectant nimirum ad DEI optimi laudem atq́ Eccleſiæ ædificationem. Monachorum certamen ingens ac labor multus eſt. Verùm ſi conferre quis volet inſtituti illius ſudores cum rectè adminiſtrato Sacerdotio certè tantùm eſſe inter illa

D. Chryſoſtomo fa- vente.

Hâc conditione notâda Aulico Clero.

Ideo monachis utilior.

O 5 *duo*

duo discrimen comperiet, quantum est inter privatum & Regem intervallum. Post multa subjicit. *Quòd si quis admiretur laudetq́; Sacerdotem eum qui sibi ipse vivens domi se contineat, ac multorum consuetudinem usumq́; aversetur: equidem hoc patientiæ specimen aliquod esse dixerim: non tamen idoneum id argumentum virtutis omnis ejus quæ illius animo inesse debet, affirmaverim.* Hinc datur intelligi non esse contra rem Cleri & institutionis bonæ leges, illum in aulæ luce & oculis habitare, utpote qui non solitudini sed publico destinetur, dummodò hæc ad DEI laudem & Ecclesiæ ædificationem disponat. Concludit præclarè vix aptos Sacerdotio Monachos. *Quam ob rem pauci admodùm existunt qui ex palæstra illa in hæc certamina descendant: quotquot autem descendunt, ex iis plures sese quales sint produnt, tum verò animis concidunt.*

Et privatis Sacerdotibus.

Jam verò c. 5. Basilio objicienti. *Quid igitur? eosnè qui in media hominum*

minum turba versantur, ac vitæ hujus cultum, negotia, curas sequuntur, quiq́ iidem ad rixas, pugnas, ad maledicendum occaluêre, sexcentis ingenii facultatibus artibusq́ instructi, deliciisq́ affluentes, Ecclesiæ regimini præficiemus? Respondet non hanc mentem fuisse. *At verò si quis existet qui vel multorum hominum usum convictumq́ ferens; possit item animi puritatem, constantiam, sanctimoniam, tolerantiam, sobrietatem, cæterasq́ virtutes quæ monachis insunt, magis etiam incorruptas atq́ inconcussas servare, quàm ipsi etiam monachi servent, hic tibi sane deligendus erit.* Et infrà docet Clericis publicum colentibus hoc ipso minùs licere quod plus licere videatur, ac in potestate peccandi obvia peccandi potestatem sibi ademptam vel metu publicæ censuræ. *Quemadmodum fit ut metallicas materias ignis probet, ita & Clerì exacta probatio mortalium animos, secernit atq́ internoscit. Ac si quis est vel iracundus vel pusillanimis vel gloriæ appetens vel arrogans, vel alio*

Adhuc notent Clerici aulæ virtutes & conditionem à D. Chrysostomo datam.

Quibus minùs licet dum licere videtur.

alio quovis animi morbo obsessus, id omne detegit, ac latentes statim morbos denudat: neq; verò denudat solùm sed etiam tum asperiores tum impotentiores reddit. Sed postremùm audiamus, pro quo Clerus desudet ut satisfaciat. *Si quis optionem mihi proponeret, utrum ego institutum sequi in eoq; clarescere mallem, in Ecclesiænè alicujus præfectura, an in monachali solitudine? me prius illud vitæ genus mille calculis antepositurum.* Et anteposuit non ambitione honorum sed laborum & virtutum splendore quibus monasteria suprà ivit.

Hæc ideo ex D. Antistite Doctore deduxi ut nôrint Clerici ad aulam residentes plus se obligari ad omnia virtutum officia dum hîc ex beneficiis vivunt quàm si privati Capitula incolerent. Minùs enim efficiunt si bonos tantùm se Ecclesiasticos non etiam Reipubl. idoneos parare studeant. Miscebunt utrumq; magnâ quâ in isto lubrico opus animâ. Grande istius exemplum Goslicius Came-

Goslicius prudentiæ exemplum.

Camenecensis Episcopus interregno post Stephanum. Religionibus novis parabatur securitas per leges tunc vi Dissidentium constitutas. Metuere cæteri & comitia deserere Episcopi. Goslicius solus subscribit adjectâ conditione: Pro pacis bono. Consilium prudens & necessarium laudavit Piasecius in Chronico. Nè soli seculares leges dicerent, nè in Ecclesiasticos invidia disturbati Comitii recideret. Jactavit variè factum Roma & in assequenda majori infula negotium traxit. Goslicius tamen securus gloriæ legetur. Polonorum libertas molliter habenda. Contra vim pervicax obnititur, faciliùsq; ducas quàm trahas. Alibi hæreses sumpsêre animum ab ipso ferro, in Polonia otio & permissa tranquillitate elanguêre. Itaq; Clerici videant quales se hoc loco probent. Nam ignavi, nullius frugi, nullius ingenii & quorum omne ad fabulas & languorem ingenium, procul hinc procul este.

Hactenus molesto digressu traxi causam pauperum, quos in Patrimonium Crucifixi admitti suo jure postulavi. Justissimæ petitioni addat onus Beatus Patriarcha Venetiarum Justinianus. *Oravit aliquando Laurentium consanguineus, ut eum in dote filiæ levaret. Cui; si parum dedero, opus non habes; si multum, multos defraudabo, ut uni satisfaciam. Et potiùs ad cibos pauperum, quàm intortos crines, & gemmas conferam. Apud Bollandum in vita c.* 5. Conferam dixit, & contulit. Brevissima laus & longè copiosa in fastis Academicis Joannem Olgotam excepit. Qui Officialis Cracoviensis & Rector Academiæ *omnium pauperum & viduarum thesaurus* scriptus est. Fare age Charybdes illas & Syrtes patrimoniorum Crucifixi, atq; sacris initiatos Lucullos. *Sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant & profligant in acquisitionem*

Laur. Justinianus negat consanguineis petentibus dotes.

Divinâ causâ.

Bollan.

Joan. Olgota pauperum thesaurus.

In avaros Bernardi querela.

tionem turpis quæstûs, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant---. Animarum nec reputatur casus nec salus. Non sunt profectò matres qui cùm sint de Crucifixi patrimonio nimiùm incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. Bernardus Ser. X. in Cantica. Sensus mellifluæ allegoriæ iste. Beneficia acerbissimis Domini instrumentis apud suos fundatores empta seu emerita, ac in manus Sacerdotum delata esse. Ista dum intra marsupia nostra avaritiæ studio claudimus, aut in fœda projicimus, negotiationes, beneficiorum nundinas, Aulicas Residentias; & ambitiones: nil agimus aliud, quàm illa ipsa Instrumenta conflamus aliam in formam, ut ex eis infulas, annulos, pastoralia, fortunas fabrorum more cudamus & poliamus. Abi in malam perniciem infamiæ malumque cruciatum, quem extinguat S. Pamphilus Presbyter & Martyr non minùs sanguinis quàm argenti prodigus.

Et sensus.

B. Pamphilus Presbyter in Pauperes munificus.

gus. *Cæsareæ in Palestina B. Pamphili Presbyteri & Martyris viri admirandæ sanctitatis & doctrinæ, atq; in pauperes munifici, qui ob Christi fidem in persecutione Galerii Maximiani, primò sub Urbano Præside cruciatus & in carcerem trusus, deinde sub Firmiliano iterum revocatus ad pœnas, unà cùm aliis consummavit martyrium. Martyrol. Romanum 1. Junii.* Quot in uno corpore virtutes? Sanctitas & Doctrina, Liberalitas, Patientia & Fortitudo. Sui nominis mensuram implevit verè Pamphilus hoc est omnibus amatus, amans omnes qui vitam suæ in pauperes liberalitatis, amoris in Crucifixum additamentum fecit.

Martyr. Rom.

Procede jam palàm mundo digna legi virtus, B. Simon, tituli nostri honor. Tuæ liberalitati Divinis firmatæ prodigiis jam pridem dignos aditus quæsivi, & longo in materiam circuitu dilapsus, tibi Sacerdos prooemia parabam. *B. Simon Hispanus Ecclesiæ S. Andreæ Madriti Præbendarius septimo Kalendas Maij*

B. Simonis Sacerdotis peculiaris liberalitas.

ipso

ipso D. Marci Evangelistæ die mortuus Anno 1612. A morte mille quingentis miraculis accuratè exploratis triduo inquam à morte clarissimus. Jacobus Hautinus in Sacramento Amoris Eucharistici l. 1. art. 6. dist. 1. Juxta nomen Præbendarius qui præbere tam copiosè nôsset. A Cruce liberalitatem mutuatus quam Patrono Ecclesiæ pro primis amoribus fuisse scivit. Ita non egenum aliquem Sacerdotem sed propitiæ fortunæ penum diceres. Assurrexêre voces & inter scriptorum calamos direpta est liberalitas D. Caroli Borromæi. *Hujus Viri Charitas præcipuè enituit, cùm Uritano Principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia unâ die in pauperes erogavit. Breviar. Rom. IV. Nov.* Insignis erat, sed habebat materiam quâ aleretur. Dare cùm nil habeas, Divinum est, cui ex nihilo divitiæ funduntur. *Erant Simoni Ecclesiastici redditus, si ad calculos cogas, angusti: si erogantis omnia voluntate censeantur, pecuniâ*

Jac. Haut.

Præbendarii ad S. And.

Comparata ad D. Carolum Divina est.

omni majores. Sed quantùm animo, tantùm & divitiis locuples erat, domumq́; pro officina dandi habebat. Illinc alimenta inopes, puellæ nuptias & dotes, vestem egestas sumebat. Culcitram aliquis poposcerat de duabus; dedit, tantumne vulgari officio? humeris suis domum in pauperis detulit. Potiùs se largientem notâ inopiæ quàm accipientem erubescere maluit. Hæc rudimenta erant; virile istud & magnificum. Mulier vidua filiam habebat desponsam centum aureorum nummûm dote; non habebat autem unde fidem sponsalium firmaret. Ad Simonem evulgatâ jam charitate nobilem confugit, centum aureis certâ spe præoccupatis apud eum qui facilè pauper erat. Nullos ille habebat, neq́; si habuisset tam longam hospitalitatem auro domi suæ indulsisset. Quid agat, inopiâ & liberalitate in uno animo Sacerdotis confligentibus? Dat chartæ particulam, certo perferendam civi opulento in hæc verba inscriptam. Domine quæso per viscera misericordiæ Divinæ, huic mœsta

Prodigio confirmata.

Chartulæ centum aureis fecundæ.

mœstæ mulieri tantum auri uti des, quantum charta valebit. Illudi aliquis pauperi putaret atq; diviti. Ipse ille blando risu jacturam auri levissimam accepturus, statim unum ducatum non dat sed projicit. Ecce autem prodigium! chartam uni aureo, nec alteri cedere: alteri inquam? etiam quinquaginta aureis pondere restitisse, ac nisi centum enumeratis, æquatâ bilance assurrexisse. Ab ærario Divinæ misericordiæ pecuniam viduæ designatam Religiosus dives retinere, sacrilegium ratus, libenter tradit, chartam manumq; adeo prodigiosi censûs imperatricem solam retinuit. Sacerdotis preces munificæ gravidam aureis centum chartam fecêre, sed viscera Christi crucifixi dotem pepererunt virgini. Itaq; duo exsoluta sunt ibi pugnantia, summa Sacerdotis inopia, summum elargiendi votum. Veritas cum D. Augustino locuta est. *Semper habet unde det cui plenum pectus est charitatis.* Crucifixus ipse faciat ut similis notæ virtutes afferre possim plures.

Sæpiùs mihi incidit publica querela Sacerdotum in Regno nostro. Militari licentia bona Ecclesiæ diripi, villas in solitudinem, agricolas in egestatem, templa ipsa in sacrilegium redacta. Dolui mecum tacitus atq́; causam meditatus, reperio pauperum negligi curam. Hinc militi in Sacerdotes audacia. Objectantur deliciæ, sumptus, palatia, ambitiones; templorum interea sordes, xenodochiorum squalor, neglectū altare & sacra. Indè illis ira & tanquàm justa quòd pro pauperibus & templis digniùs sibi venire pretia & redditus putant, saltem aliquando Ecclesiam defensuris, quàm semper malè perdituris Sacerdotibus. Pauca apud nos Regno tam vasto alendis senibus, infirmis, xenodochia, cætera neglecta. Sumptus alicubi liberaliùs fundati, in Sacerdotis unius commoda diversi, uno alteroq́ue egeno vestis aut stipis particulâ eluso. Idoneum verò hujus opinionis auctorem habeo D. Joannem Pa-

Beneficia Poloniæ vastata.

Propter neglectos Pauperes ut videtur.

triar-

triarcham ab Eleemosynis dictum, qui liberalitate solâ visus vivere: omnia sic habebat ut omnium essent: illud se possidere putabat quod pauperes à se accepissent. *Accidit ut cuidam petenti, auri libras quindecim dari imperaret. Oeconomus inspecto indice tanquàm providus futuri, quinque dedit. Vix hæc: cùm vidua dives quingentas auri libras Ecclesiæ offert. Vocato œconomo Patriarcha: quàm grande Ecclesiæ damnum intulisti, inquit, Hæc vidua mille quingentas libras scripserat, sed quia tu decem pauperi illi subtraxisti, hæc mille delevit. Ita fecisse vidua confessa.* Verùm ego multa fortasse de causa, nihil tamen extra causam Crucifixi.

Ea quoquè mens D. Joanni Patriarchæ.

ACTIO VIII.

Cardinalis de Mendoza Titulo sanctæ Crucis addictior.

NOndum ab Hispania excedo. Retinet Petrus Gonzalez de Menzoza, qui eminentissimi hominis

exemplo in Titulum noſtrum venit, quem in purpura non erubuit. Dicebatur Cardinalis Sanctæ Crucis. Non erat vanum nomen cui ſingularem venerationem dabat. Sed hæc facilè impetratur. Etiam nihil committere Cardinalis, quod titulo S. Crucis non reſponderet. *Erat hic ſanctisſimæ Crucis præcipuus cultor, ſalutiferum hoc ſignum ubicunq; offendebat, ſupplex adorabat ait Euſebius Nerembergius infra.* Delicata genua Sacerdotes trahimus, & aliò certè quàm ad Crucis reverentiam, ambitiosè proniora. Iſte purpuram, & magnos gentis ſpiritus ad Crucis opprobrium abjiciebat. Neq; hanc voluntatem ejus Divini favores deſeruére. Adduco eruditum Virum. *Annotatione admirationeq; dignisſimum eſt in omnibus ædificiis, quæ juſſu & ſumptibus celeberrimi viri D. Petri Gonzalez de Mendoza Cardinalis Sanctæ Crucis, in Hiſpania conſtructæ ſunt, ſponte enaſci herbulam, quæ Crucem perfectè formet in medio atriorum. Res*

Herba S. Crucis in atrio Cardinalis.

digna visu & miraculo habita. Euseb. Neremb. de miraculosis naturis in Europa l.1.c.34. Quid ego putem illud Palatiorum solum, quàm fecundum Crucifixi agrum, in quo iste veneratione Cardinalis irrigatus, revirescit. Amor Crucifixi sementem jecit, DEUS incrementum facit. An ex Cardinalatu suo nullum proventum quàm Crucem nasci optavit? An purpuram sibi Crucem fuisse?

At tu Sacerdos extra purpuræ ambitionem sume tibi nomen à S. Cruce: Crea teipsum Sacerdotem tituli S. Crucis, cui ubiq; satisfacias. Quid enim facies aut quid non facies tanto erectus cognomine? Vidi apud nonnullos in hortuli domestici aprico, Crucem grandi trabe erectam. Ibi cœlo aperto solitudinem suam temperant & solantur. Ibi de statu animi senatum suum convocant & deliberant. Ibi tristitiam & tædia in horto Gethsemano Domini suscipere gaudent. O non titulares tantùm Sacerdotes sanctæ Crucis, vivunt, agunt!

Sacerdos tituli S. Crucis.

agunt! Neq; novum adfero nomen, Sacerdotes nos tituli sanctæ Crucis esse omnes. Varios Ecclesiarum titulos aut rapimus aut accipimus, hic noster & hereditarius est. In gratiam Cardinalis dabo alterum Cardinalem ex Prædicatorum ordine primum, Hugonem à S. Caro, huc consultò adscriptum. In c. 2. Lucæ ita ille disserit. *Bona temporalia sunt Patrimonium Crucifixi; dicentes se igitur heredes esse, debent ei attinere ex parte Crucifixionis, alioquin non sunt heredes. Unde Mater Zebedæi filiorum audivit; Potestis bibere calicem? quasi diceret: nisi attineatis mihi ex parte Crucis non potestis habere hereditatem meam quam in Cruce acquisivi.* Sententia Cardinalis est: Sicut hereditatem vindicat sibi sangvinis conjunctio; ita beneficiorum Ecclesiasticorum jus, illos tantùm respicit, qui sanctæ Crucis in societatem se insinuant, eiq; cognati sunt. Delicatis, ignavis, comptis, non est pars in patrimonio Crucifixi. Invadunt

Hugo Caren.

Sub hoc titulo beneficia capienda.

Ex mente Hugonis.

non

non inducuntur in possessionem. Hoc sub titulo beneficia intrabis & sumes, quæ alio nomine capta in sacrilegium reputentur. Non mutabis hoc tuum nomen, sed digna nomine geres. *Grata sunt omninò nomina quæ designant protinùs actiones, quando tota ambiguitas judicandi tollitur, ubi in vocabulo concluditur, quid agatur. Cassiodorus l. 6. Variar. ep. 7.* Digna, inquam, nomine quæcunq; indigna toleres. Nunquam erubesces ignominiam, nunquam rependes.

Ideo caput radimur.

Eundem Crucis sanctæ titulum firmat ritus, quo caput rasum servamus. Pudet plerosq; rasi verticis, occultatur luxurie capillorum, vel coarctatur in modicum, sanctæ Crucis decus. Jucunda sed non ex vano observatio: *Sacerdotes beneficiis auctiores minimùm verticis eradere, pauperis Cleri capita liberali rasurâ aperiri. Quò major reditus, minor Prælati corona.* Ita isti. Enitemur nos, nè secularis curiositas habeat in

Malè occultamus ad risum, vulgi.

nobis suæ materiam, in qua ludat, levitatis. Non onerabimus invidiâ ordinem nostrum, tanquàm qui putemus, Sacerdotium fortunæ genus esse non disciplinæ & sanctitatis. Feramus palàm Sacerdotium titulo sanctæ Crucis. Neq; enim alia rasuræ istius causa quàm Crucifixi consecratio. Rupertus Abbas Tuitiensis l. 2. c. 25. de Ritibus Eccles. quærit, cur Sacerdotes novæ legis non promittant capillos, cùm lex Nazaræorum fuerit religiosa, nè caput novacula ascendat. *Gestamus, inquit, coronas raso capite contrario Nazaræorum more, quia Nazaræorum Princeps Dominus Christus decalvatus id est in loco Calvariæ, ubi damnatorum capita abscindebantur, crucifixus est.* O si crebrò manum, aut mentem ad coronam referremus! Reges nil indignum coronâ suâ fieri à se patiuntur, ab aliis tentata ulciscuntur. Nos Regale Sacerdotium, coronam capitis nostri, Regem Crucifixum morum improbitate incestabimus?

Contra memoriam Crucifixi ex Ruperto.

Multa monemur Rasurâ.

Cani-

Canities facit venerandos: Calviti-
es hæc nostra veneranda, quo non
Crucis opprobrio inter choros &
choreas decurrat? Quonam modo
conveniunt ac in uno capite mora-
buntur Crucifixus vulso turbatoq;
capillo, fœdus & incomptus, ac no-
stra illa capillaturæ dedicatio? Ibit
Sacerdos in præstigias efformatus?
de uno capillo ut ait ille in consili-
um ibit? Ad titulum sanctæ Crucis
rasi & ordinati sumus, nil contra ti-
tulum delinquamus. Pergit D. Ab- Ad Coronã & victoriam Rupertus.
bas. *Hoc autem humilitatis insigne,*
vocamus coronam, id est victoriam,
quia fidelis illa Domini decalvatio, cu-
jus hæc rasura signum est, procul dubio
victoria est. Ex quibus intelligimus
primò. Rasuram humilitatis ac ser-
vitutis tesseram esse quâ DEO Domi-
no nostro subjecti sumus. Servi
enim olim radebantur. Ad hoc spe-
culum affectus arrogantiæ pona-
mus tum externam vestium cultu-
ram deponemus. Deinde victoriam
dici à parta victoria Domini, hosti-
bus

bus nostri generis debellatis. Hic discimus rebelles appetitiones nostras in obsequium DEI trahere & ad Crucem tanquàm sub curru triumphali sensus devictos deducere. En titulum sanctæ Crucis sub quo mereris.

Ad patientiam opprobriorũ Beda.

Aliam adhuc causam rasi verticis Venerabilis Beda descripsit, ad propositum tituli respicientem. *Ut se irrisiones & opprobria pro Christo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant. l. 1. de Gestis Anglorum c. 22.* Tangemur interdum malignis sermonibus. Audiemus vulgare convitium illud: Aliter loqueris, aliter vivis, alia tibi in calamo, alia in usu. Malignitate aliorum quasi judicio opprimeris. Velut rebus gerendis ineptum, à gradu, à fama, dejicient linguæ. Urbanitatis ignarus, expers calliditatis, tanquã simplex agitaberis. Jam cultu vulgaris, affectatæ in sacris modestiæ, in confessionibus accipiendis curiositatem, in reddendis crebriùs gloriam,

riam, in consuetudine pauperum, ignaviam alere vel tegere. Siste pedem, oculos in titulum Crucis perfer. Hoc sub nomine nihil tibi novum quod audiêris, quod egeris, quod patiâre. Antè per secula longè acta, sors eadem omnes tui ordinis viros complexa est, quotquot sub Crucis signa caput misêre. Cùm Sacerdotio dedimus sacramentum, jus vindicandi injurias perdidimus. Quam delegisti conditio in rasura servili, omnium te ad licentiam exposuit. Sigillum sanctæ Crucis est, quod capite induisti, per hanc decalvationem ad omnes contemptus patemus. Oportet ostendamus opprobria omnia viliora esse, quàm ut nos à titulo sanctæ Crucis, ab humilitate, à victoria dimoveant. *Ista quæ disseruimus Cardinalis tituli sanctæ Crucis adtulit.*

ACTIO IX.

D. Petri Chrysologi. Formam Crucis edocebat.

Majo-

MAjoribus Prælatis omninò desitum, vereor nè tenuitate suâ apud cæteros Sacerdotes vilius officium persequar. Rudes ad formandum Crucis signum instituere, eorum manus per frontem, pectus, brachia deducere. Minùs id speciosum, ac simplicioris disciplinæ actus est. Ille tamen magnis Præsulibus ac ingentium operum laboribus delassatis res non parva fuit. Antequã titulum præfixum suo reddam Doctori, duos Antistites sanctos priore loco repræsentabo, uti Chrysologo priores. Hierosolymorum Patriarcha D. Cyrillus de hoc argumento ita suos Catechesi 13. allocutus. *Cùm de Domino Cruceq́ contra infideles tibi quæstio erit, priùs statue manu tuâ signum, & obmutescet contradicens. Non pudeat Christi Crucem confiteri. Angeli enim gloriantur dicentes : JESUM Crucifixum quæritis. Non potuisti dicere ô Angele, quem quæritis, Dominum meum, sed confidenter dicit quòd Crucifixum.* Tale in Asia Cyrillus, tale

JESUM qui Crucifixus est quæritis: Explicatur à D. Cyrillo.

tale in Africa Augustinus magisterium fecit, qui Sacerdotibus Ecclesiæ suæ usitatum morem docendi Crucis formam, illis verbis ad posteritatem devexit. *Hujus Crucis mysterio rudes catechisantur Ser. 15. de Sanctis.* Illorum secula ut suscitemus, subjiciat aculeum amor Crucifixi cui inter rudes & pueros indulgere ac magistros sedere, fas erit.

Et jam ad Ravennatum Archipræsulem D. Chrysologum. Quis putaret erectum illud ingenium ad formam Crucis à suis auditoribus exigendam declinaturum? Declinavit aureum elocutionis genus. Pretiosum sermonem sine parsimonia pro gloria Crucis prodigebat. Ita Sermone 56. adhibuit illam formulam: *Signate vos.* Repetere non fuit fastidientis Serm. 57. in Symbolum Apostolorum ubi verba Symboli Qui sub Pontio Pilato Crucifixus est & sepultus explicat. *Audis Judicis nomen ut tempus etiam passionis agnoscas: audis Crucifixum, ut nobis*

Chrysologus.

Passus sub Pontio Pilato: explicatur.

nobis salutem perditam per quod perie-rat, reparatam esse agnoscas: & ibi videas pendere credentium vitam, ubi mors pependerat perfidorum: audis sepultum, nè mors putetur illusa. Hoc est Divinæ virtutis insigne, cùm mors morte moritur, auctor mortis proprio mucrone truncatur, prædo capitur suâ prædâ, infernus vitâ dirumpitur deglutitâ. Ad finem sermonis. *Signate vos.* Rursum Serm. 59. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est. Nomen judicis dicimus, ut passionis tempus, ut rei gestæ veritas sic patescat. Crucifixus est, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum. Et sepultus est, ut officia tota mortis impleret, ut mors morte moreretur, & ex illius semine corporis, omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret & levaretur in messem.* Ad exitum sermonis. *Signate vos. Hoc spei pactum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conservet memoria; nè Divinitatis pretiosum munus depretiet charta vilis, nè myste-*

Sepultus.

Causa sepulturæ.

Memoria signi Crucis.

Ejus inducti causa.

mysterium lucis atrum tenebret atramentum, nè secretum DEI habeat indignus & profanus auditor. Sermone 60. bis repetere & docere non erubuit: *Signate vos. Et infra. Qui sub Pontio Pilato Crucifixus est & sepultus. Nomen judicis audis ut tempus Passionis agnoscas: audis Crucifixum ut ex mortis ignominia, magnitudinem sentias charitatis: mortemq́ quæ per lignum venit, mortificatam scias esse per lignũ, & credas majora tibi esse reddita per crucis arborem, quàm perdidisse te per paradisi arborem suspirabas. Sepultum dicis, ut veram carnem Christi mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ.* Ad finem sermonis iterum *Signate vos. Fidem quam credimus & docemus, non atramento sed spiritu committamus pectori, non chartæ demus, memoriæ non libro nè divinum munus violent res humanæ.* Adeste huc Sacerdotes qui eruditionis confidentiâ turgidi, hæc ad nutrices & anus rejicitis: qui genus, doctrinam, honores Ecclesiasticos in consilium

Cur Crucem formamus?

admittitis superbiæ, indignum ac vile rati, tali notitiâ Crucifixi innotescere apud Crucifixum. Mulctam dicunt tanti Doctores nostræ arrogantiæ & Cleri doctioris lumina. A sapientissimis lucubrationibus erat otium ita rudes docere, nobis otiosis nullum erit? Archiepiscopi docuerunt, nec inter reliquias temporis hæc habuerunt, reliquias dico? Prima officia ordinis nostri censuerunt, Symbolum, Crucem docere. Nos argumentum Sacerdotii putamus excelsa & vana disputare. Da cathedram, vocem, villam, clericum, quibus in aliqua cura sit ita rudibus loqui. At Sermone 62. ut se in nutricis formam & mores induat! ut aurũ illud in lactis illecebras solvitur! Audite audite EcclesiæPrincipem, verba cum rudibus suis frangẽtem. *Nutritor pius nisi totus fuerit redactus in parvulũ, nunquam parvulũ, perfectũ perducit in virum. Deniq; tunc vocẽ tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus seponit, infirmat viscera, abjicit vires.*

Chrysologi cum rudibus tractatio.

vires membra dissolvit, gressum tardat, gestit non ambulare sed repere, ridere simulat, timere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc reor B. Paulum fecisse cùm dicit: Factus sum parvulus in medio vestri, tanquàm si nutrix foveat filios suos. Sed fortè aliquis stupeat cùm videat nutriculum ista facientem: non irridet si est parens, si pater est non miratur, hoc stultitiam dicere non potest, qui scit amare. Unde vos jam patres, jam fortes, jam prudentes deprecor, ut me patiamini parvulis domini mei, dependere debitæ nutritionis obsequia, & blandimentis hodie magis congrua, quàm peritiæ verba depromere: non quadrare sed liquare sermones, & eos adhuc teneris faucibus in modum lactis effundere, docente Apostolo: Lac vobis potum dedi non escam. Mutare voces, amare varios affectus, & quid plura? mente, corde, corpore, imbecillis parvulorum mentibus occupari ---. Signate vos ---. Qui sub Pontio Pilato Crucifixus

fixus est & sepultus. Quare, homo, qui in se æqualis est Patri, hoc solùm quòd in te minor esse voluit accusas? quem audis sedente Pilato adstare, cognoscente Pilato judicari, quare hoc solùm accipis, addici accusantibus criminosis, reo pronũtiante damnari? Sed ille de carne tua nasci voluit, tuis voluit uberibus occupari, jacere in tuo pectore, tuis voluit humeris bajulari, qui semper à te amari voluit non timeri. Require quid in lege mandaverit primùm, & quid in gratiâ quæsiêrit tunc videbis. Interrogatus Dominus sicut Evangelista dixit, quod esset mandatum in lege primum, ait, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua. Hinc est quòd ad cor tuum venit & ad mentem tuam, quia animo, corde, corpore à te ab initio diligi perquisivit. Pluribus Divi Petri orationem excerpsi, ut intelligamus frivolas causas verecundiæ esse, quæ ab ista actione deterreant. Patres sumus & dicimur. Ad elementa fidei balbutire nemo istos contemnet.

Ex toto corde diliges: explicatur.

Sed

Sed commemoratione rudium in exemplum cœlo ſumptum devenio. Ejus gravitas infiget nobis acumen ad inſtituendam amore Crucifixi ſimplicitatem. Quidam in Peru Inſula ægritudine laborabat, unicum mali remedium à Virgine Matre reperit, cujus templo ſe inferri poſtulabat enixè. Manifeſta illa infirmo viſa erat, & magiſterii officio perfuncta de Crucifixo edocuit. Subtexo rem anapæſtis comprehenſam, prout in homiliis viri docti Cartagenæ legi lib. ultimo de mirandis B. V. § 106.

Pater en noſter genitor noſter
Rigidis clavis in cruce fixus,
Cor transfixum cuſpide amoris,
Cruore toto corpore manans,
Omnes circùm polluit artus:
Cerniſnè caput decline caput?
Caput hoc flavæ ſimile ariſtæ
Viden, ut cingant ſpinea ſerta?
Usq; ad tenerum fixa cerebrum:
Patris heu! noſtri cerne capillum
Sparſum, incomptum, ſanguine fœdum,

Oculi triſtes, lumina mœſta
Roſeas lachrymas largè effundunt,
Fluxiſſe putes molle corallium.
Etiamnè manus? illænè manus
Ferro affixæ ſanguine rorant?
Os mellifluum Patris noſtri
Pro me miſero jam conticuit,
Extra Solymæ mœnia terræ
Crucis exivit mole gravatus,
Et pro ſcelerum mole meorum
Extra Solymam Crucifixus obit.

Intelligo iſtud tanquàm extra numeros illatum à me videri poſſe alicui, nimiùm titulum requirenti. Sed qui tractatiunculam hanc indulgentiùs habere velit, ſciet magnum hinc argumentũ pro inſtituendis rudioribus ad Sacerdotes emiſſum. Tantus animis cœleſtibus ardor Dominæ noſtræ, Crucifixi per mentes rudium propagandi? Nos Sacerdotes lutati, ac terrea nomina hîc frigebimus? Pleriq; Sacerdotes aut negotiis includimur, aut per ingenium publica de Crucifixo dicere non poſſumus. En inculta plebs, tua domi

domi familia, tuæ pueritia Ecclesiæ adest. Hac cum aliquid pro Crucifixo agere nil intercedet, nisi si ad vulgi judicia & rationes superbiæ cervicem flectamus. *Vilior Domine mi fiam dummodo tu Crucifixe erigaris. Non faciam honoris mei pretium, ubi te honorari oportet. Imò tunc accedet honori meo, cùm nil ad meum, ad tuum omnia cedent.* Non pro isto seculo inquiunt dicis. In alia incidisti tempora. Excussa illa vetus Sacerdotum simplicitas. Incunabula Ecclesiæ frustra requiris, ad maturitatem & summos honores perducto Sacerdotio. *Fateor ego inquam non pro seculo isto scribere: Scribo tamen pro Sacerdotibus quibus nihil ad istud seculum. Est nobis nostrum, nostra vetustas recens est, sunt alii fasti, alii actus, quorum in jus & tabulas inducti sumus. Incendantur, effervescant, parent etiam deridere, Patrum nomina appellabimus, testabimur nos ita heredes.*

Speciosa causa ignaviæ rejicitur.

ACTIO X.

Divi Joannis Chrysostomi. Crucem in remedium Iræ format.

NOn ad postrema virtutum studia Sacerdotes rejiciemus, ut animo nostro iræ impetus dimoveamus, apud quos amor Crucifixus quotidiano sacrificio haustus domicilium fixit. Non in rixam colluctationemque veniet Sacerdos, quem vox illa pervasit: *Sacrificabo.* Tale fecit se nobis exemplum D. Joannes Cantius in Cracoviensi Academia Theologiæ Doctor & Sacerdos, qui ex proposito nostro hunc locum accipit, sanè concursu magni Joannis & Doctoris Ecclesiæ opportunum.

Vitia Scholastica. Nemo est qui nesciat acre ingeniorum certamen esse. Pugnatur sine vulnere, sine ferro, nisi quod ira facit vel habet. Sæpè ibi contumelias in rationibus esse, ac victoriam ignominiis confici videas. Videas in illa sapientiæ velitatione minimum de sapientia. Ita ardent invicem rapiunturq; in victoriam, & pro triumphi

umphi aura & plausu, usq; ad verba probrosa, usq; ad sordida dehonestamenta.

Alius in hoc campo emicuit B. Joannes Cantius. Profitebatur sacras literas in istis Poloniæ ingeniorum Olympiis. Frequens ex more Academiæ inter eruditos disputabat. Calorem ministrare poterat ambitio, cui ex quâcunq; generis fortunâ, ad summa eluctari per eruditionis gloriam fas erat illo seculo: adhuc priùs æstimatis sanguine ingeniis, adhuc Regibus Poloniæ sub libertate, ac nondum intemperantiâ privilegiorum invalidis. Disputabat, inquam, ut Academicè! ut modestè! Audiebatur cæteris doctior, nulli contumeliosus. Aliena scientia procul à risu & contemptu, sua procul à pompa & quæstu. Talis Professor tuus Cracoviensis Academia erat. Et tu tales magistros educis, sine supercilio, sine ira, sine cupiditate. Refer enim te ad Cantium Theologum quidem tuum, at nostrum Sacerdo-

B. Joan. Cantius fugiebat.

tem, quantum ex illo non solùm Gymnasia vestra, sed & nostrum proficit Sacerdotium! Iturus ad sacrificium à disputationibus præcipuis in moribus servabat: Singulorum Professorum obire cubicula, ubi supplex veniam precaretur. *Parcite, inquiebat, jam sacrificaturo. Vereor, nè verbo fortè aliquo ultra modũ, formamq́; extra progressus fuerim. Et isto ore Sacra illa cœlo deducere ausim? Absit iram vestram aut meam pro altari sistam, quo amor immolatur in nostrum amorem.*

Et iram potissimùm sacrificaturus.

Oratio ista modestiæ fuit non conscientiæ. An iste irasceretur, qui nè iratus fuerit, adeo formidabat? O Sacerdotem Theologum, qui nec ipse irasci nosset, nec alios iratos facere posset! Hoc est disputare contra vitia: disputare non pro moribus tantùm, sed etiam moribus, scire non tantùm quid scias, sed etiam quid rectè agas? hoc est concludere mansuetudine contra iram. Hæc erat Cantii demonstratio. Quæ lux illa Collegio inambulabat majori! Adesse

esse tacitum ad fores, operiri janitoris manum, liminibus Doctoris caput submittere, Collegarum genua tangere, vim innocentiæ suæ facere, rei habitu stare, quo apud omnes absolvebatur. Est in porta majoris Collegii, quâ ad Divæ Annæ proximum exit atrium, imago patientis Domini religiosa vel ab ejus religione. Hîc Cantius pronus in terram abjiciebatur, hîc noctes precibus exigebat: ex illo Doloris exemplo tantùm contra iram Doctor discebat & Academicus Sacerdos. Discamus & nos iram premere vel opprimere. DEUM inter & homines altare nos collocat, ibi ergo hominum alicui indignabimur?

Eamq; ex contemplatione Domini Patientis.

Istius vitii rationes aut continendi intra rationem, aut extinguendi tractare non est nostri consilii. Præclaram negotio Magistri Ethicæ operam condixêre. Interim præcipitis impotentiæ remedium D. Joannes Chrysostomus à Crucifixo petit feliciter. Verba S. Patris ex Hu-

gone

gone Cardinali in Lucæ c. 22. lego, *Si inflammatum videris cor tuum, signa pectus, impone crucem, recordare quæ tunc contigerunt, ſicut pulverem abjicies omnem furorem.* Quonam Chryſoſtome tuum nomen dejeciſti? ad vulgarem doctrinam ab excelſo ingenio demigras? Injuriam auditori facis ad majores diſciplinas ſe æſtimanti. Crimen eloquentiæ impingit tuæ, popularis & pro elementis ſumenda materia. Archiepiſcopus tu & ſæcula per aliquot deſideratus Orator alium locum neſciviſti; argumentum adverſùs iram ad pueros iſtud perfer. Fluebat Antiochia ſub cathedram Chryſoſtomi. Movit invidiam Regiæ urbi, aulæ; expetiit Imperator & totus in illo oriens. Ab ore illo Romana majeſtas pendebat & plaudebat. Chryſoſtomus tamen Crucis ſignum è ſublimi docebat, iratis quod in puerita didiciſſent revocabat, vulgare remedium contra vulgare malum, ac per omnia humani gene-

Hoc D. Chryſoſtomus docuit.

Coram populo & aulâ.

generis membra serpentem æstum. Non metuebat voces illas, quarum reverentiâ in ludicra, curiosa, delectantia raptamur; Sacerdotii finem, Docendo sibi & aliis æternam parare salutem, deserimus. *Simplex & obvius concionator est, ex homiliis desumptus. Redderet cathedram, mutaret cum villanis, auditorem alium peteret, aut robustiora afferret. Ad consulem prætoremvè oppidi ita dicitur. Rex, Senatus, Respublica, aliter in sacris sapiunt.* Chrysostomus Cæsareus Concionator consumpserat omnem conviciorum verecundiam. In medium vulgus ab alto se dabat, ut tantummodò prodesset etiam vulgo. Pro Crucifixi gloria paratam eruditioni ac ingenio invidiam negligebat, quam modò unius Clerici imperita ambitio non ferret. Non deerat dicendi materia sed ille Crucifixo deesse noluit. *Nos certè sumus qui dicimus fœdo adusq; ipsa salutaria rubore; tanquàm & medicus erubescere debeat herbam adstringentem vulnera, levantem febres, si solo domestico vulgo-*

Contra seculi ca[illegible]

Pro gloria Crucifixi.

Contra nostras causas inanes. *vulgoq́; non Indi manu legatur. Quantus sudor ut non profutura declamentur! Magno ut ait ille rumpuntur clamore columnæ, tantùm ut supervacua, & nunquam in actionem virtutis exitura fastidiosis ingerantur.* Contra iram, ut è vicino rem dicamus, quàm arguti subtilesq; essemus? Chrysostomus simplex & expositus esse maluit quàm involutus & plebi molestus.

Quæ Divi Patriarchæ doctrina tum à nobis, tum nobis proponenda, quibus signum Crucis perquàm familiare & domesticum. Hoc sacramentis, hoc precationibus, hoc per singulas horas officio principia, medium, finem signamus. Quoties manum vibramus ferimusq; per brachia Crucem, toties ad exscindendas vindictæ cogitationes moveamur. Benè autem S. Pater meminisse jubet eorum quæ tunc in Sententia D. Chrysostomi explanatur. Cruce contigerunt. Ah quænam illa! *Pendebat medius cœlo terrâq́; clavorum pertinaciâ ad Crucem adactus*

Domi-

*Dominus meus, laceratus membra, san-
guine extrorsum penitùs fugato, tan-
tùmq; ut lancea adhuc sævire posset, ad
sacramentum relicto, plagis tumentibus
lividus, oculis supra vicinos hostes hærẽ-
tibus & fixis, quos nonnihil Mater, di-
scipulus ac latro clamans diverterat,
vocibus cruentis agitatus ac orbe toto
palàm proscriptus. Ignes, fulmina, tur-
bines, ruinas cœlorum, imbres, terrarũ
hiatus, iras à fundo aquarum, imma-
nissimum facinus, & ille in tanto scele-
re risus, elicere poterat. Age verò si
minæ sonuêre, & qualia offensi animi
documenta, si unum calamitosi verbum,
si unam voculam servantis ultionem
exaudire potes; si non omnis officiorum
numerus & ordo illi inter convitia con-
stitit. Quietus in Cruce tanquàm in
statione tranquilla, tanquàm inter
amicorum complexus & oscula, intra se
nihil habebat quo iram contrahimus,
omnia quanta & qualia nec in amico
reperias. Ex alta illa suppliciorum
arce una vox cæteris devoratis labeba-
tur certissimæ facilitatis ac indulgen-
tia.*

tia. Pater dimitte illis. Et ut ratione & consilio non impetu precaretur, adjecit : Quia nesciunt quid faciunt. Atque hæc quæ tunc in Cruce contigerunt meminisse, quis non efficax contra iram remedium à S. Patre dictum videt?

Sen. l. 3. de ira.

Nunquam *tam feliciter ut ait ille in multa discurrenti negotia dies transit, ut non aut ex homine aut ex re offensa nascatur, quæ animum in iras paret.* Quæ cùm Sacerdoti occurrerint signo Crucis contra hostem assurget, atque nè citra occasionem istud agas, tunc ages potissimùm quando Rubrica officii admonuit. Cogita quibus injuriis illâ horâ Dominus tuus lacessitus : ut latro nocturnis horis capitur, nox opprobria ejus tota excepit. Manè in concilio innocentiâ exagitatâ damnatâq; Præsidi Romano, indè Regi præsentatur; post aulæ ludibria, meridies flagra, spinas, ac purpuram vidit. Illusus, desputus publicè in Crucem damnatur. Crux morituro inter latro-

In horas, iræ Crux remedium.

latrones imposita, cui ipse postremò. Et hæc illi vespera. Nam cætera mortuo exhibita seu ab amantibus seu à dolentibus. Atque in his omnibus mansuetudo irascendi jus & imperium omne Domino abrogaverat, orationem exemit, præter eam quæ pro hostibus erat. Quorum recordatio an te Sacerdos non perurit? non vocem non vindictam, non ulciscendi protracta in longum opportunè vota rumpet & exscindet? Adduco Crucem tuam meo pectori ô Crucifixe, & tuam unà mihi impero indico mansuetudinem. Frangantur omnia iracundiæ argumenta tuæ Crucis in scopulum. *A viliori hac venit injuria, quare & tantò major. Contra dignitatem meam institit, tantò indignius. Sæpius læsit & tanquàm injuriam priorem approbâsset, tantò igitur improbior. In plures secundam infamiam rumor publicus excepit alitq́; sum populi, fori, aulæ, fabula, res venit ad illud: Monstrari digito, & dicier hic est. Repen-* Et contra iræ argumenta.

dam in publico, per totidem ſpargam, implebo injuriam ut par ſit. At neq; ſupplicem audivi, ita unius verbi parſimoniam facit, in contumelia pervicaciam pro juris conſtantia habet. Omnibus his ad Crucis ſignum mi Domine ſilere jubeo: omnia in hoc faſtigio injuriarum confutâſti. A viliſſimis & indigniſſimis Majeſtas Divina in homine unita, & toties, & palàm & pervicaciter læſa & in calamitate irriſa fuiſti, & adhuc in te ſuperfuit cauſa ignoſcendi?

Mihi quidem ſubit animum iſta cogitatio, non poſſe Sacerdotes non acriter commoveri ad offenſas penitùs evellendas omnes, ſi caput hoc D. Chryſoſtomi recitent. Manus profectò & voluntates cum hoſtibus jungent, ad horas ſingulas odia, injurias, aut delebunt aut amabunt. Sanctus gentium Doctor non minimo loco à noſtro ordine requirit: *Non iracundum, non litigioſum eſſe.* DD. Tito & Timotheo ſcribens Epiſcopis. Verùm & minoribus Presbyteris

byteris hæc scripta sumamus oportet, qui Episcopis proximo instamus. Audimur passim inter judicum subsellia secularium & Ecclesiasticorum, variis impatientiæ causis acti. Suos ille, alienos iste in jus trahit. Strepunt dissonæ & coemptæ Causidicorum voces pro Sacerdotibus, sanctius iræ pretia in egenos locaturis. Exsolvuntur ante tribunalia atrati chartarum laceriq; fasces vetustate, noscuntur penitius ordinatiusq; quàm sacri codices Patrum & scripturarum. Prensamus suffragia & responsis attenti erigimur, melius aures interim pœnitentibus commodaturi. Pallemus, æstuamus, suspicaces atq; exitu causæ attoniti, sententiæ cupidius inhiamus, non soliciti quæ nunc sententia agonizantes rapiat, salvet, an æternùm condemnet? Vindictam domum deducimus victi & victores, quam extremo spiritu, gelato pectore ab hostibus Dominus removebat, cùm daret veniam, veniam ex-

Et lites Ecclesiasticorum.

poſceret. *O Domine mi, crux & mors à te iram non expreſſerunt, ego iracundus, ego litigioſus, ad tantam Patientiæ cauſam non gelabor? Impono Crucem tuam Domine, & depono iram meam.*

ACTIO XI.

Collegii Sacerdotum Mediolanen. ſingulare votum Obedientiæ.

Obedientia Sacerdotũ jurata. PUblico ſacramento obedientiam firmamus ad manus & aures Epiſcopi cùm primùm in Sacerdotes ungimur. Ideo nemini Sacerdotum licentia ſua blandiri debet. Præcipua Reipublicæ Chriſtianæ, nos pars numeramur, nec aliter in compagem venturi quàm obtemperando. Itaq; cùm parendi auctoramento devincti Majoribus Eccleſiæ ſimus, illud quaſi in campum productos luſtrare & experiri par eſt. A neceſſitate illius primùm ordiamur. Eademque multùm Eccleſiæ neceſſaria. Quæ tanta eſt ut niſi adſit, ordinis Eccleſiaſtici corpus ac formam in promiſcuo eſſe, ac tandem in unam ruinam procumbere neceſſe eſſet.

Hæc

Hæc Sacerdotum ad Præsules suos obtemperatio longè toto vertice, ut ita loquar, supra est illam, quâ Religiosi Ordines suis præsidibus adstringuntur. Ratio est. Quòd obedientia Religiosi, unius duntaxat coetûs incolumitatem respiciat. Sacerdotalis ista totius Ecclesiæ bonum & integritatem in proposito habeat. Sicut autem charitas illa perfectior est, quæ DEUM diligit & plurimorum curam ad eundem finem suscipit, quàm illa quæ DEUM in solitudine amat: Ita obedientia Sacerdotum ex isto capite perfectior erit, quòd ad publicum & commune bonum Ecclesiæ nervos intendat, Religiosi privato contineatur. Quod ipsum patet indè. Quòd obedientiæ Sacerdotalis jactura magnũ semper Ecclesiæ vulnus fuerit, atq; ingens orbis Christiani conversio, ut in variis Ecclesiasticorum secessionibus, ac præcipuè in schismate Græcorum & Armenorum videmus. In Religiosis verò quæcunq;

Major privatâ & Religiosâ.

His de causis.

ejus deminutio, privatas duntaxat res afficit & subruit. Multi enim ordines aut comuni, quâ cætera habentur humana, conditione aut injuriâ temporũ, aut suomet scelere, Summorum Pontificum auctoritate soluti, Ecclesiæ firmitatẽ non detraxerunt. Nascuntur item plures, prout suis auctoribus ratio aliqua statûs pietatis incidit, aut Divina providentia in aliquod Ecclesię latus hians im̃isit. Cæterùm vel prolapsione multorũ, adhuc Hierarchia Ecclesiæ stare, ac salus fidelium etiam in remotissimis partibus in tuto locari potest, dummodò ista quam dixi, obedientia, in Sacerdotibus nostri ordinis vires adstringat.

Ad exemplum Crucifixi erecta.

Neq; dignior ulla causa est illius exercendæ & intendendæ quàm ad exemplum Crucifixi. *Is factus obediens.* Sed hæc communior virtus etiam servis: *Usq; ad mortem*, hæc etiam castris & vitam mercede locantibus. Amemus notum D. Pauli epiphonema: *Mortem autem Crucis.*

Brevi-

Breviter Theophylactus hîc inserit, *Hoc est detestandi patibuli quod sontibus duntaxat & maleficis debebatur.* Prodidit illum sua obedientia & tanquàm reum, tanquàm sceleratum, in pœnas conjecit, non permisso solatio misero, ut solus in Cruce moreretur, derivatâ latronum invidiâ turpior. In magnificam sanè speciem explicavit eam obedientiam Collegium Sacerdotum Mediolani à D. Carolo Borromæo institutum. De quo Cardinalis Veronensis in vita ejus edita an. 1587. *Vovebant suo Archiepiscopo & ejus Successoribus se obtemperaturos, animarum curam sine ulla cunctatione quando ita Archiepiscopo videretur se accepturos, nullâ tenuitatis parochiæ, aut loci difficultatis ratione habitâ.* Refert hîc pedem scriptio, gressumq; tanta virtus occupat. Potuitne isto ambitionis seculo reperiri Collegium Sacerdotum, qui beneficii ingentis vice curas procurarent, & Ecclesiæ officia non dignitates sed inopiam sed ministe-

Et Collegii Sacerdotalis Mediolani.

Cujus justa laudatio.

rium putarent, Reditus sacros non ut benè, sed boni haberent. Ad quos beneficia, non emptiones & commutationes, non publicata literis vel controversiis aliquot, atq; annulo lucens doctrina, *quos Pii V. oraculum indè moverat: Malle se habere in Ecclesia Doctores quàm Doctoratos.* Non generis linea detrudebat. Jam pari sinceritate istis sumebantur & gerebantur beneficia. Unum salutis humanæ propositum, una Prælati voluntas profanis intacta causis, beneficia & labores dabat jungebatque. Non otio & luxu in acceptis diffluebant, obfirmato contra difficilia, arduaq; animo. Non si tenuitas proventuum non blandiebatur, terga vertebant. Accessæ illis rupes, itum in hæreticos, Helvetiorum fines exculti labore & constantiâ. Quis memoret, ut cum illo dicam, pugnata sacra Rhætis bella sub Alpibus? O generosam Sacerdotum indolem! Illustres fecistis angulos, inclinâstis cacumina, aspersistis

fistis sudoribus agros, magnitudine animi capita Alpium egressi. Utinam exemplis talibus augeremur! Favendũ enim est Crucifixo nostro, favendum ordini cujus interest gloriæ ac officio, ut non tantùm languidè & in voto ad initia ordinationis nuncupato semel parendi hanc alacritatem peractam putemus, verùm experimento, tantæ laudis cum Crucifixo quantùm licebit societatem tenere studeamus.

Sed concessit adhuc meo tuoq́ue voto Dominus qui obedientiam Sacerdotalem in unius Sacerdotis personam reduxit quò unus tu & ego haberemus quod ab uno mutuaremur. *Presbyter quidam erat D. Justiniano sanctitate non incognitus, idem notæ simplicitatis. Illum à Pœnitentia sacra monasterio cuidam Virginum arbitrum præficere statuerat & jam designaverat. Inopinato munere perculsus, velut impar oneri infirmior periculo ex materia facilè excusationem nactus: Nolle se, ajebat, mulierum obse-* Iterum singulari Sacerdotis exemplo.

quiis illigare. In tutam illarum etiam sanctitatem bis terve aditam, tantò magis frequentatam. Quanquam visu invicem non occurrant, fore tamen post multa tempus quo nosci & noscere volent. Ita præsentia amorem tædium absentia incendent. Voce & alloquiis satis animos viriles exagitari. Simplicitati suæ non congruere tot conscientiarum judicia, in quibus ubi semel erres, omnia præcipites. Deinde cura Virginum obnoxia suspicionibus, prodita conlatrantibus. Dissimulaverat has boni Sacerdotis causas S. Patriarcha, non habuit pro causa sed prætextũ: Noverat sanctitatem ejus puellis securam fore. Abit Presbyter, mox consilii pœnitens ad S. Patrem regressus. Cui ille. *Scio, inquit, causam reditûs, neq; opus ut afferas. Justus timor ille fuit, sed humilior & fiduciâ in DEUM destitutus. Fortiùs & uberiùs Sacerdotum operam apud Viros locari. Vim fieri intra gynæcei angustias Spiritui Apostolico, urbes, pagos, provincias circumvolaturo feliciùs. Ceterùm*

terùm te mihi ut cingulum hoc quo circumdor in manus DEUS dedit. Utar te nomine placitoq́; non tam meo quàm ejus cujus es, Crucifixi, eiq́; monasterio addico. Accepit onus & ſuum complexus Patriarcham, magno ſenſu. *Accipe inquit ſervulum mandata nunquam mutaturum. Bollandus in Januario. c. 5. vitæ.* En tot unius obedientiæ in beato Sacerdote actiones, quot argumenta dedit nè parêret, & ut parêret evicta, quot in cathedra faſtidia devoravit, quoties de paupertate Monaſterii & querelis conqueſtus non eſt, quoties non pœnituit ſe pœnitentibus traditum quoties ceſſationem laboris & præmium non aſpexit.

Olim cùm nondum obedientia in tot minutas coäluiſſet & ſcinderetur reſpublicas, viguit hæc in Sacerdotibus virtus, cujus nutu, regna, provincias, urbes, maria, inſulas, exilia intrabant. Ferro, legibus, morte, clauſa omnia auſi perrumpere. S. Rom. Pontifex Clemens,

quoſ-

quoscunque ad promulgandam Evangelii legem mittebat sic abituros hortabatur. *Ite charissimi ac fortissimi bellatores Christi : & sicut fuit Dominus cum SS. Patribus nostris Apostolis, ita sit vobiscum in omnibus operibus verbi Divini.* *Odilo Episcopus apud Bollandum. VIII. Jan.* Hoc armati animatique Episcoporum suorum jussu Presbyteri ad summa quæque pro DEI gloria enitebantur. Ita S. Lucianus Romanus Presbyter & Martyr à D. Clemente ad Gentes ire jussus. *Romæ positus acsi in castris militaribus ut quandoque egressurus ad gentes strenuus haberetur bellator inquit Odilo.* Ita Gandavum S. Landoaldus Romanus Presbyter à S. Martino Papa. XIX. Martii Martyrologium Romanum. Turribus in Sardiniam S. Protus Presbyter & Martyr à S. Cajo Papa XXV. Octobr. ib. Valentiam in Gallias S. Felix Presbyter à S. Irenæo Episcopo Lugdunensi XXIII. Aprilis. Ab eodem S. Fereolus Presbyter & Martyr Vesoncionem

Missi ab Episcopis Sacerdotes vi obedientiæ.

nem XVI. Aprilis. Augustodunum S. Antiochus Presbyter & Martyr à S. Polycarpo Episcopo missus ab Oriente ad Gallias edocendas. S. Georgius Presbyter à D. Petro Apostolo in Gallias comes datus S. Frontoni Episcopo. *S. Eleutherius Papa cum SS. Elvano & Medvino Episcopis in Angliam misit socios ex Romano Clero duos Phaganum & Dervianum, aliàs vocatos Fugatium & Damianum: quorum acta S. Medvinus in Anglia scripserat à S. Patritio reperta. Bollandus I. Januarii.* Hæc non ideo refero ut eorum laudes exequar, quas circumscibere est, tam parcè transcurrere, sed ut intelligamus magni animi fuisse Sacerdotes illos, quos non ambitio, aut avaritia, comites ac pestes nostræ vicerunt, non mortis metus suorum cædes & vulnera deterruêre, quò minùs jussis Præsulum inhærentes quærerent, non quomodo redirent sed quemadmodum pervenirent.

Ex dictis elicio propositionem ignaviæ fortasse ingratam, at Statui nostro congruam. *Sacerdotes Ordinariis ad curam animarum in necessitate vocantibus, teneri parêre etiamsi tenues essent beneficii reditus: imò graviter delinquere posse contraveniendo.* Ratio est *Prima ex illo obedientiæ publico promisso: quod cùm Generale sit, hanc quoque nobilissimam obligationem includere, convenienter negari non potest. Secunda.* Si in casu dicto nulla erit obligatio parendi, magna parte sui inutilis erit promissio: quare enim in cæteris casibus pari collusione obedientia succìdi non possit, si in illo potest? præsertim cùm ibi maximi momenti causa inveniatur ad obtemperandum, qualis est animarum salus destituta necessariis & utilibus ut suppono ministris, cæterisq; negotiis & obediendi materiis excelsior & præponenda. *Tertia.* Si Clericus ad judicium mandato Ordinarii vocatus peccat contra obedientiam illegitimè & nullâ justâ causâ pertinax

nax & non comparens, vel sententiæ legitimæ non parens: quantò magis reus erit commissi in obedientiæ virtutem criminis, non acceptatâ curâ animarum contra mandatum & imperium ejus legitimum, nullâ itidem ratione solo difficultatis & laborum metu. *Quarta.* Quòd illa promissio præstandæ obedientiæ dat potestatem Ordinariis disponendi de personis & officiis Sacerdotum (non quidem absolutè & pro libidine vel auctoritatis ostentatione, ut tanquàm sint dominantes in Cleris hoc est contra Clericos D. Petrus 2. epist. 5.) disponendi inquam ad bonum regimen & unionem inter se mutuam Episcoporum & Sacerdotum, & ex vi hujus unionis tendit eadem promissio ad principalem Episcoporum functionem juvandam quæ est animarum cura. Quare sicut conservandi boni regiminis causâ & unionis, tenebuntur obedire legitimè aliquid prohibentibus vel jubentibus: ita ratione curæ animarum Corn. hic.

marum in necessitate positos Episcopos debebunt juvare. *Quinta.* Constat de officio Sacerdotis esse docere, prædicare, absolvere. Nil igitur novi oneris accedit Sacerdoti, si quod suscepit, etiam accedente imperio Ordinarii teneri se agnoscat exequi. *Sexta.* Tametsi pleriq; ordines Religiosi non faciunt expressum de hoc Obedientiæ votum, si tamen à Summo Pontifice requirantur, ex communi sensu intelligunt se ad parendum obligatos. Quare non simili argumento hîc utamur. Præsertim quòd Clerus, ut dicitur, secularis, magis videatur referri ad Summum Pontificem suosq; Ordinarios quàm Religiosi qui in auxilium Cleri nisi vocati è privato prodire fas non habent. Dixi *in necessitate*; quando videlicet aut nullus aut vix aliquis idoneus reperiatur judicio Episcopi. Item si re benè perpensâ te utiliorem vel hæreticis convertendis vel fidelibus docendis quàm cæteros existimet.

Neq;

Neq; obstat. Quòd ad certum titulum & provisiones sacris initiamur. Respondeo enim id ordinis boni in Hierarchia Ecclesiastica factum. Nè videlicet Clerici per Ecclesias vagentur, aliena officia & proventus invadant & turbent. Cæterùm non ita hujus tituli certi lege adstringi ut si necessitas justa poscat Diœcesis aut alicujus loci, parêre non teneantur: si aliò in vsus meliores ab Ordinarijs transferri contingat.

De præbendis. t. 27. & Trid. Sess. 21. c. 2 de Ref.

Postremò. Constat Apostolos Domini præcepto fuisse obligatos ad curam animarum illis verbis dato. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Et S. Paulus. *Væ mihi inquit, si non evangelizavero.* 1. *Cor.* 9. ubi Corn. agnoscit præceptum grave. *Ita ut si illud neglexissent peccâssent mortaliter. Talibus enim intentatur Væ.* Hoc autem Præceptum Domini humano modo exsequi non poterant nisi illis ad auxilium cæteri accesissent. Oportebat itaq; alios qui sub Apostolis essent

pari obedientiâ, vi cuj9 sicut Apostoli primi, ita ipsi obligarentur ad prædicandum, Apostolicoq; Mandato quoquà versùm dimitterentur. Unde & ipse designavit Dominus alios septuaginta duos, tanquàm formam, ut ait Tridentina, Sacerdotum. Hoc ipsum initio Ecclesiæ actum, cùm Paulus, Barnabas, Silas mitterentur. Ab horum vita & ordine ad nos obedientia devênit, qui inter Apostolicos Sacerdotes censemur & in oratione pro mortuis ita nominamur. Turpe omnino mortuos appellari Sacerdotes Apostolicos qui nihil minùs quàm Apostolici hoc est in salutem orbis missi vixerunt. *Stanislaus Karnkovius Archiepiscopus Gnesnensis Presbyteros & Clericos in aula sua plures ingenii boni ejusdemq; spei fovebat. Hos cohortem suam Prætoriam dicebat. Stanis. Lubins. in libr. Monit. de gerêdo Episcopatu.* Præclarè quidem ille militiæ titulos Clericis indidit, cùm vtrisq; laus potissima in obsequio.

ex Patribus Synodus.

Karnkovij dicto illustratur.

Queri posse videtur mecum inclytus

clytus Galliarum Clerus, quòd cùm cæterorum obedientiam consecter, de sua taceam. Ad summam enim ejus laudem pertinet, quem animũ suis Præsulibus Episcopis præstet, paululùm repræsentare. Coaluit Anno 1626. in formam vitæ communis Collegium ex Clericis vt dicunt secularibus. Auctor Vincentius à S. Paulo Diœcesis Aquensis Presbyter meritis, sanctimoniâ & ætate exactâ illustris. Primùm ab Vrbano VIII. an. 1632. sub titulo *Congregatio Missionis* approbatum: Alexandro VII. an. 1655. & 1659. placuit firmari. Ad Polonos Ludovica Maria Regina Varsauiam feliciter deduxit. Ædem S. Crucis in suburbio domumq́ anno 1651. non sine magno civium fructu accepit. Institutum ejus peculiare Christianam doctrinam rudibus tradere, per pagos vicosq; ire, & quod ad curam animarum pertineat nihil non exequi. Tenues & angusti prouentus, sed ex charitate sibi quæ desunt, sumunt. Domus ipsa modestiæ

Recẽti Galici Cleri exemplo.

In Poloniam deducti.

dedicata, nihil quod invidiam exerceat aut oculos everberet. Sacerdotibus ad officia instituendis, cæremonijs tradendis è ritu Ecclesiæ operam locare ex lege est. Atq; vt alacriùs utiliusq; in finem propositi venirent, Imperium Ordinarij pro tessera habent. Illo duci quocunq; Dei gloria salus proximi vocant, pro sacramento est. De quo ita illis præscriptum de Missionibus c. 11. n. 5. *Ituri ad Missiones secum semper deferãt mandatum Illustrissimorum & Reverendissimorum Episcoporum in quorum diœcesibus Missiones fient.* Ergò ad S. Crucis templũ bono fato consedêre, Crucifixi obedientiam Clero Poloniæ per exempla illaturi. Istam virtutem cõmendat Vincentius à Paulo Superior Generalis Missionis c. 5. n. 1. Constitutionum cõmunium impressarum Parisijs anno 1658. *Inprimis Sanctissimo D. N. Papæ reverẽtiam & obedientiam reverenter & fideliter præstabimus: obedientiam quoq; Illustrissimis & Reverendissimis Dominis D. nostris*

nostris Episcopis in quorum Diœcesibus instituta fuerit Congregatio, humiliter & constanter juxta institutum nostrum exhibebimus. Plurimùm vobis Sacerdotes optimi Ecclesia tum primævæ illius originis, tum quâ vivimus præsens debeat. Et principia illius ita revocatis, & in principijs hanc retinetis. Conjungitis membra capiti, Sacerdotes Episcopis, integritatem publicæ salutis committitis obedientiæ, cui Ecclesia suam. Desistat Sacerdos tam recenti promptitudine festinantiũ in omnia jussa Sacerdotũ, Ecclesiarum opes venari; inducat aliquando istam se in mentem, obsequi Episcopo, omnia commoda ponere pro commodo alieno. Satiùs esse judicemus Proventibus nos quã Animas nostro carere ministerio. Capiamus Beneficia tanquàm facilè dimissuri, dummodo è re Ecclesiæ etiam contra rem sit nostram. Capiamus non ut quietis perfugium ac otij, neque in aula ductæ fatigatæq; ætatis additamentum. Regnum san-

ctæ Ecclesiæ latiùs Sacerdotalis obedientia porrigit Episcoporum cultu ac Pontificum. Ita enim promittimus, ita professi sumus. Ambitiosa obedientia inter imperantium nomina distinguit, tanquàm intersit summi an ordinarii Antistitis vocem audiat. Obedientia non cui pareat sed ut pareat, virtus est.



ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex Moribus & Cultu Crucifixi

LIBER IV.

Seu

PUBLICUS HONOR.

ACTIO I.

Crucifixus voce, ſcripto Sacerdotum prædicatus.

PUblicum & majorum ſpirituum opus movemus. Ad cathedras & auditorium Eccleſiaſticum manu ducere Sacerdotes mens congeſta jubet. Ingenium, geſtum, orationem, copiam repoſcimus. Laborioſum titulum nobis præfiximus, ſed facilè admittendum qui literarum vanitati vel improbo labore parentamus. Item ſi aurem ſubje-

cerit Sacerdos ad Crucem Domini: Quàm validis in illa docentis Cathedra colluctatus clamoribus! vt reliquias vitæ vocisq; pro gloria mortis suæ expulerit! non gravatè suscipiet suâ quoq; voce ferre suffragium morientis voto.

D. Paulum suus amor principem hîc fecit, cui frequentissima dicendi causâ Christus & hic Crucifixus. *Prædicamus inquit Corinthiis, Christum.* At in quo genere vitæ & gloriæ? an quem Angeli adorârunt, & infantem cœlo terrâq; decantârunt? cui lux & stellæ famulantur ortu & occasu, Reges accidunt & fortunas Orientis in tributa vehunt. An illâ conditione, quâ gloriæ suæ partem in arduo montis explicavit? quâ pedibus maria pressit, in morbos & mortes imperia misit, elementa extra naturam protraxit. Atqui solum meminit S. Doctor *Crucifixū*; tanquàm singulare Christi prædicatum. Non ergo in extremis Sacerdoti prædicatio sit Crucifixi. Ab

Prædicamus Christum & hūc Crucifixū. Explicatur.

hoc

hoc calore & calamo illa ad Corinthios 1. cap. 2. fluxerunt. *Non judicavi me scire aliquid apud vos præter JESUM & hunc Crucifixum.* Theodoretus Episcopus Tyri ad vocē illam Judicavi. *Præclarè posuit Judicavi: docens quòd potuisset de Theologia seu Divinitate apud eos verba facere: eis tamē solùm dispensationis Christi doctrinam attulit, tanquàm qui se de Dominicâ Passione jactaret & in ea gloriaretur.* Passim Episcoporum munus tenemus prædicando. Primus in Africa Augustinus à Valerio Episcopo Hipponensi pro Cathedra expositus. Succensuêre cæteri Africani Episcopi rei veluti novæ & contra consvetudinem Presbyterum è cathedra audiri. Post Augustinum presbyterum cæteris iter & honor habitus, ita ut Hieronymus pro se & nobis dixerit. *Pessima consvetudinis est in quibusdam Ecclesijs tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire. Hier. epist. ad Nepotianum.* Nè

à Theodoreto.

Quæ solis olim Episcopis obita.

Pessimâ consvetudine. ex Hieronym[illegible]

libros quæramus ut attentos nomine Theologiæ auditores faciamus. Prædicemus Chriſtum Crucifixum, vbi uberrima & neceſſaria ad ſalutẽ materia. Verba D. Pauli ſuprà cum Theodoreto expenſa, Theophylactus Græcus itidem Archiepiſcopus Bulgarorũ ita enarrat, ut affirmet, D. Paulo majorem vim & efficaciam veniſſe ad prædicandum à ſola Crucifixi ſcientia, quâ ſe inſtructum intelligebat. *Placuit Chriſto, vt expers ſapientiæ eſſem humanæ hujus & neſcius, & ipſe quidem factu id optimũ judicavi, ut nullam haberem ſapientiæ hujus externæ notionem, niſi Chriſti IESU Cruci affixi.* Factu optimum judicavit Apoſtolus, ſe notitiâ ſolâ Chriſti Crucifixi apprimè eruditum & ideo firmiorem; idem judicet Sacerdos, & hâc in publicum ſe firmet ſcientiâ. Nam indè licebit ſis diſert9, indè tuis alieniſq́; moribus inſtituendis plurima petas ubi Crucifixus omnibus quidem ſceleribus, præcipuè luxui & licentiæ frenum injecit.

à Theophylacto.

Ab Apoſtolo ſumet Sacerdos.

Adver-

Adverteram ego pios Sacerdotes nonnullam partem concionis ultrò huc ducere & aliqua non minori ingenio quàm fructu adspergere. At facilè in tuam propositionem Crucifixus influet ipse, dum vel amoris Divini beneficia explicabis: vel injuriarum veniam persuadere, vel erga miseros movere, vel à voluptatibus, luxuriâ, ornatu vestium immodico deterrere, vel Sacramentorum vim evolvere contendes. Postremò pervicaciam peccandi, gravitatem scelerum, ingratosq; ex loco à Crucifixo percellere comodum erit, quem inter cætera arguméta inferes dissimulatâ &: in transcursu habitâ arte.

Vbi uberrima ma- ma ?eria docendi

Sic labia Sacerdotis erunt sicut vitta coccinea, quæ laus Sponsæ data fuerat Cant. 4. *Nam vittæ usus proprius diffluentia stringere, & Prædicatoris est diffluentem hominum vitam coccineâ Paßionis IESU memoriâ à voluptatibus abstrahere. Ghislerius hîc expositione secunda.* An hoc Dominus ipsum non egit, quoties de suis cruciatibus

Vitta coccinea labia explicatur.

à Ghislerio.

ciatibus & morte disseruit? unde D. Ambrosius in psalmum 118. verba Canticorum illa Sponso ipsi attribuit. *Domini JESU labia coccinea fuerunt, dum propriam paßionem loqueretur, eâq; tanquàm resticulâ coccineâ ad se mundum pertraheret.* Pertrahemus & nos vehementiùs mundũ in amorem Dei, cùm non dubium sit Crucifixum vires suas nostris conatibus, nostris verbis pondus additurum, atq; in nobis clamaturum. Hoc notavit Rupertus Abbas ad c.7. Joannis in verbis Psalmi In omnem terram exivit sonus eorum. *Totus sonus Apostolorum erat clamor JESU, clamantis in Cruce & invitantis ut omnes sitientes venirent ad aquas.* Clamabit tuo in ore JESVS, spiritus & venas geminabit, firmabit pectus, vocem acuet, accendet sanguinem, lucẽ affundet. Pridem ad D. Franciscum Salesium favorem istum Crucifixus detulerat. Illi *ad populum dicenti Camberiensem visus est ex adverso Christus in cruce qui clarissimos in se radios evibraret.*

Ab Ambrosio.

Apostolorum exemplum.

Franciscus Salesius secutus cum favore coeli.

In

In vita c.23. impreſſa Varſaviæ 1667. Significavit Dominus & gratiſſimũ ſibi munus Concionatorum eſſe: & quidquid de Crucifixo dicerent ab ejus clamoribus longiùs robuſtiùsq́; per aures differri, animisq́; tenaciùs affigi.

Neq́; minorem privatũ fructum in animum tuum tali ex Concione feres. Mox enim in teipſum dimiſſo auditore deſcendes excutiesq́; an ad tuæ de Crucifixo orationis exemplar vivas? An delicatus, an libidine aliquâ fixus. An frivolis mundi oblectamentis in vulgi deductus numerum, an te vanitas, cupiditaſvè aliqua, an ira inter ſeculares detorſit? an ſuppar adverſis animus domi, foriſq́ue, an otio dilapſus, an parcitate adſtrictus? Quæ item corporis fluxi, ac profeſſione Caſtitatis in cœleſtes uſus tranſlati indulgentia & favor? D. Hieronymꝰ hoc in nomine verſatus in c. 2. Micheæ ajebat. *An non ignominia JESUM Crucifixũ magiſtrũ pauperum atq́; eſurientem farſis prædicare corporibus, jejuniorumq́; doctrinam rubentes*

Hinc profectus in vitam privatim.

Hieronymo teste.

bentes

bentes buccas tumentiaq́; ora proferre. Adde, vulnera prædicare, plagas, sanguinem qui nihil pati sciat, sudorem vitet, injuriâ irascatur. Exibo ab hac materia si primùm Sacerdotibus quorum à missionibus nomen & gloria eandem reddidero. *Præcipua, inquiunt isti in suis ordinat. c.11. §.48. cura sit addiscere scientiam Sanctorum quæ in Schola Crucis docetur, ita ut non nisi JESUM Crucifixum valeant prædicare, exemplo ejusdem Apostoli, qui etiam scribens ad Corinthios ingenuè fatetur, quòd non judicavit se aliquid scire inter illos nisi JESUM & hunc Crucifixum.* Benè ac sapienter formatis nostrum Sacerdotes ordinem, è schola Crucis provenire scientiam sanctorum. Indè illorum consilia in quibus glorificatur Crucifixus & Deus. Indè discunt ut vivant ipsi, ut cæteri, ut vincant adversa, ut prospera contemnant, ut omnibus prosint omnium jacturâ, sui certâ salute. Paris sapientiæ & bonitatis illud est, dum orationis & linguæ Sacerdota-

Hoc missionarii Sacerdotes sibi scripsêre.

Illorum elogium.

lis

lis libertatem ad Crucifixum unicum prædicandum stringitis. Ista vester Vincentius accepit à Paulo, tantis nominibus in viri hujus nuncupationem grandi præsagio conjunctis. Et vos quidem in Pauli & Vincentii præceptũ assurgitis strenui. Testis est labor vester quem Crucifixo in ejus templo, tum aliis diebus, tum Feriis VI. inter Pascha & Pentecosten currentibus ponitis. Aderam prædicantibus aliis Dominum Crucifixum, & ipse nutu ac imperio fraterno vestro insertus oratoribus Domini Cruciatuum. Quid illud insigne obsequium Christiani hominis non ex schola Crucis protulistis? Ad vesperarum finem, puncta examinis conscientiæ publica voce vulgariq; indicere. Conscientiam uniuscujusq; dato colligendi spatio, admonere, actum contritionis ac propositum non peccandi cum auditoribus clarè recitare? Abeunt templo sancti ut debent, qui peccatorũ rei fortasse intraverant.

& Vincentii institutoris.

à laboribus.

Ab institutione conscientiæ.

Vestra

Veſtra hæc ſcientia, veſtra eſt inſtitutio, quam in Parochiales Eccleſias utinam pietas & zelus Sacerdotum deducat. Has veſperas longè utiliùs ab Eccleſia efferrent homines, quàm laudes concionatorum, quàm muſicorum celebratas voces, & magnô empta aurium incantamenta. Ego tuque Sacerdos adeò fructuoſam exercitationem & Chriſtianæ noctis feliciter peragendæ fundamentum, in Eccleſiam pro veſpertinis Horis rapiemus, docebimus, firmabimus.

Vocem poſtulàvimus Sacerdotis primâ parte. Altera tituli pars, manus aptare labori, incumbere chartæ, pectus frangere, ſcribere, deſcribere, Crucifixum calamo tradere & ad oculos legentium in Meditationem porrigere. Plurimi Sacerdotũ non infeliciter Amori huic infinito ingenium & ſcriptionem addixerunt. Non vocabo illos ex indice, vbique proſtant æternitate digni labores, & famâ pari. Medij ingenij

Crucifixus scriptus.

eſt

eſt liber Egberti Spitholdii S. Th. Licentiati Canonici & Plebani Antverpienſis. Vulgavit Meditationes in Paſſionem IESU Chriſti plenas ſucci, per hebdomadam diſpoſitas ſtylo familiari. Anno 1612. Antverpiæ. Imminet eminetq́ue huic Ioſephus Speranza Presbyter Oratorij Fannenſis. Poſthumum illius opus inſcriptum: Obſervationes & Affectus ſcripturales in Chriſti D. Paſſionem: accuratè ſatisfaciunt Prædicaturis. Indulſit ante hos curam Crucifixo D. Carolus Borromæus, deditq́ue otium in quo collegit multos de Paſſione Domini Locos, ſuorum Parochorum labores ſuſtentaturus. Tibi ſi tantũ ingenij aut ſeceſſûs non faveat, gaudebis Dominum tuum Crucifixum aliorum vigilijs illuſtrari. Quos in ſcriptionem idoneos ex Sacerdotibus amicos nactus fueris, conſilio, ope, excitabis. Inſeruit quoq́ue laborem ſuum & calamum in eam gloriam Ioannes Nicius Presbyter Romanus, eleganti ac brevi

Egberto.

Speranza.

D. Carolo.

Peculiaris labor Nicij Romani Sacerdotis.

oratione. Aliquam viri hujus ut habeas notitiam præmitto quæ in fine opusculorum ejus legi impressa Anno 1648. *Ioannes Victorius Roßius Romanus, despicere sui fœtus ingenij licet præstantißimos, indeq; Iani Nicij Erythræi gerere personam solitus. Nobilißimè & amœnus & pius vir, Reipub. Christianæ lumen eximium. Vitam mortalem finiit sanctè in vrbe Patria nonnihil septuagenario major Idibus Nov. Anno* 1647. Idem bono stylo præclaras scripsit de Evangelio Epistolarũ in morem cohortationes, quas ad Sodales, nulli beneficio adstrictus, habere solebat. Eas Fabio Chisio, qui Alexander VII. Pontifex factus, dedicaverat. Scripsit & Paradoxa, Romanum suum imitatus, sanctiore argumento quàm Stoico. Illud meritò mireris, tantum illius vigorem & pertinaciam laborandi, semper ferè morbis interpellatam, à proposito prædicandi scribendiq; non defluxisse. Infirmo corpusculo acrem constantemq; sacris studiis animum

Cujus elogium.

Et scripta.

Sacer-

Sacerdos alebat, exemplum cæteris futurus; quousquè in Sacerdotem morbis liceat, & quid per morbos Sacerdoti. Primum Paradoxum Crucifixi reverentiâ consignavit.

Nusquam nisi in Cruce Christi
Veram gloriam inveniri.

Ex eo quædam deligere libuit tanquàm Erythræi maris gemmas. *At quonam, inquies, acerbitas, dolor ac dedecus abiêrunt, si eà Christo impellente fugam à Cruce corripuerunt? Hæc si nescis, in vitæ hujus voluptates, divitias & honores exulatum iverunt. Quò fit ut multi hujus tanquàm fugæ & abitionis ignari, sæpe mirentur, quid sit quòd aliqui summis honoribus præditi, in maximis divitiis & voluptatibus positi, vitam quâvis morte acerbiorem traducant: contrà quàm plures egestate ac inopiâ affecti, contumeliis oppressi, hilaritate lætitiâq; redundent.* Post aliqua. *At multos, inquies, vides in Cruce Christi squallidos, demisso vultu infirmâq; valetudine: contrà omnes ferè in lætitia viventes, pingues, nitidos,*

Et scriptorum particulæ illustres.

dos, rectos ac benè valentes; quod deberet esse secùs, si in Cruce hilaritas, & in voluptatibus mœror ac luctus inveniretur. Non est eundum inficias, insuavitatem aliquam Cruci & acerbitatem obtendi---. Sed tum asperitas Cruci, tum etiam jucunditas voluptati extrinsecus advenit: atq; omnis in hoc error versatur, quòd ex facie de unaquaq; re homines judicant---. Si quem rigor febris invasit, cubiculo omni ex parte clauso teneri, lecto molliter strato cubare, atq; insuper magnum vestium acervum ferre conspiceres, neq; quidquam de febri cogitares, nunquam eum putares à frigore cruciari & confici---. Nihilominùs sub pretiosis vestibus, honorum insignibus, sub porrecta fronte risuq;, timoris horrorisq; gelu occultatur. Sub nuditate autem, sub honorum contemptu, sub infirmo corpore perpetua animi securitas hilaritasq; concluditur. Hæc tam vera quàm sublimia illo Paradoxo Christianæ perfectionis documenta. Audis Sacerdotis orationem. Non poterat

tam grandia & supra vulgum loqui, nisi mota in Crucifixum mens. Descivit à solita nostra humilitate, quâ Crucem habemus fugientes aut queruli. Docuit altiùs efferri, nec mundi coloribus voluptatique illusuræ concedere descensum. Velim legamus & meditemur ista Sacerdotes, nè incauti de honoribus ac blandimentis seculi hujus judicium feramus, tanquàm extra dolorem & ultra anxia depositis. Nam quòd caduca sint & ultrò effluant frustra requirentibus, seculares facilè ipsi sentiunt & fatentur. Discamus iterum, nè Sacerdotali instituto nostro tanquàm tristi & in orbitatem compulso, tanquàm deliciis omnibus ejecto, irasci subeat. Est in Cruce nostra suus sol, sua serenitas, modò bona nostra nôrimus & intus nos circumeamus. Exeamus etiam interdum in aliena. Quantis ille candidatus curis canescit? ille parens filiis, quos optaverat, illachrymatur? ille sponsus, calente adhuc thalamo, dilectam

Sacerdotū meditationi apposita.

Quibus in Cruce solā serenitas.

dilectam formam effert ? ille maritus, nè cæteri placeant, nevé cæteris placeat, uxorem servat & cùm amat dolet. Nemo deniq; seculo toto, est qui votis suis faveat, qui non alienis invideat. At Sacerdos in Cruce sua, Statum meum illustri dico nomine, quo me Crucifixus auctor Sacerdotii, atq; ipsum te defixit, quàm firmus quàm tranquillus ! Non à quiete animi opum solicitudo excutit, quibus ex ipsis necessariis liberalitas necessaria est. Non tangunt uxorum funera, liberiq; ut vivant, quos castitas suis legibus accepit clausitq;. Non adurunt honores, à quibus captandis virilis non ignava solitudo removit. Quod si Ecclesiastici aliquando invitis influant, scimus illos in comitatu laborum & ministerii venire, ut ideo inter aspera sint. Non meritoriæ assectationes distrahunt, quibus gratia & favor DEI, & in dispensatione, & in uno proposito reposita sunt. Nihil deniq; afficit hujus seculi, qui alterius

Sacerdotalis Status, Crux illustris.

terius seculi cives sumus. Eo loco nos Dominus esse voluit. *Elegi vos inquit de mundo. Et si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Joan. 15.* O vitam Sacerdotis sola in Cruce amabilem, solam amœniùs puriùsq; vivendam.

ACTIO II.

Plurium delectus honorando Crucifixo factus.

MAgnis certatim studijs plura, vt vocant, Sodalitia, diversis signis, coloribusq; & nominibus confluxêre, & quotidiè erepunt. Sive quòd fastidientis seculi pietatem aliquâ mutatione distrahere in animo est: sive quòd certi à DEO beneficij cupiditas propulit, sive prout inventores privata incessit religio. Quæ sicut acri Antistitum judicio censenda, nè quæstu, nè vitio, nè superstitione prætentâ capiant initia & incrementa: nè libido novandi illuserit & nusquam in antiquis sacris quieta curiositas, ac per latus Divorum suis rebus intenta. Ita providé-

Confraternitatum, ut vocant, causæ.

Seriò judicandæ Ecclesiæ Prælatis.

dum, nè confuſionem multitudo, nè in vulgus ſcrupulos, nè delinquẽdi fiduciam dent, præter Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, altiùs laudita vel à ſuis præconibus elata. Poſtremò nè gravitati Sanctæ Fidei levitas fabuloſa aliquid detrahat, vel imponat. Adverto in Eccleſijs Parochialibus ab antiquo nullos Cœtus inductos fuiſſe, præterquàm in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti, Beatæ Virginis. In quo rigore eaſdem Eccleſias retinendas putarem, neque de moribus antiquis quidquam æmulatione novitatis diſcedendum.

Cœtus Crucifixi Domini vtilior his cauſis.

Securus tamen accedo, & do manus Sanctis Sacerdotibus noſtris, qui humani generis affectus ad Crucifixum, veluti ſub manipulum collegêre. Ubi enim Fides, ac Spes ſuſcitari, Amor foveri, unde peccatorum odium gravius incendi, unde ad miſeros pronior benevolentia impetrari, ad virtutes Chriſtianas ſtimulus acrior ſubdi, ubi mortis bonæ fiducia con-

cipi

cipi poterit certior, quàm ex contemplatione Crucifixi, in aliquo numero pluriũ vel loco frequentata? Unde in fora, in domos, in negotia, in officinas tantæ Redemptionis amor proferatur. Libenter deferam ideo Martino Syskovio, quòd non externa opus sit obire. In Polonia nata in Crucifixum pietas me admonuit, & in Canonicatu Cracoviensi adulta, ut ei principatum darem. Adhuc ille in Canonicorum Collegio erat, postea Cracoviensis Episcopus, cùm istam cogitationem præcepit instituendi Sodalitii, quòd variis argumentis amorem Crucifixi aleret. Atque ex voto negotiũ confecit. Fundavit exornavitq; Sacellum, in quo Sacra hæc tristia agerentur. Dies condicti cæremoniis, flagellationibus, orationibus, quæ huc usq; perdurant. Accesserat non minimum pii operis momentum Georgius Cardinalis Radzivilius Cracoviensis Episcopus illo Canonico, & sequi Ducem purpuratum nullus eru-

Syskovii Cracovien. Episcopi judicio.

Radzivilii Cardinalis & Cajetani operâ.

erubuit. Nam & Cardinalis Cajetanus tunc ad Poloniam Nuntius apud Clementem VIII. egit ut tale Sodalitium gratiis Ecclesiæ Catholicæ auctum expetibilius redderet. Dabit igitur Ordo noster æternæ memoriæ Martinum quo fundatore Dominus quondam emortuus, immortali funere ad plures elatus delatusque vivit & viget. Reliquit enimverò nobis consimilis gloriæ successionem D. Franciscus de Sales.

D. Francisci Salesii par pietas.

Adhuc Sacerdos Annesii & Camberii Confraternitatem S. Crucis instituit, tum suæ charitatis erga Crucifixum testem, tum in cæteris inflammandæ. Hinc Sacramentorum usum frequentem faciliùs persuadebat, quòd ea tanquàm vicaria sanguinis Christi receptacula, fructum illius in nos transfundant & applicent.

Indè utilitas in proximos.

Hinc Sacrosanctæ Eucharistiæ famem suggerebat, quæ instituta in finem memorandæ passionis. Indè bonorum operum excellentiam ostendebat, non alio ex fonte vim meren-

merendi æterna haurientium, quàm isto ex sanguine. Hinc intendebat B. Virginis cultum, quæ ideo Filii corpus & sanguinem suis aluit laboribus & visceribus, ut Christum haberemus in Eucharistia cibum, in cruce precium, in cœlo præmium; & quia, ut ajebat Cyrillus Alexandrinus. *Per illam Crux pretiosa celebratur & adoratur in toto orbe.* Neq; in ultima exemplorum parte ponendum est Pii IV. judicium quo Archi-Confraternitatem SSmi Crucifixi confirmavit Anno 1564. Pontificatûs sui Anno secundo. VIII. Aprilis & habetur in Bullario. *Ejus primum obsequium Cultûs SSmi Crucifixi recitato officio singulis Quadragesimæ diebus. Proximum est, visitare pauperes, medicos ægris adhibere, tum virgines matrimonio honesto jungere, dote levare. Summum illud: Eliberare mortis rerum extra crimen hæresis & læsæ Majestatis, dummodò cum heredibus de damnis transigatur.* Ista huc conjeci Ecclesiasticæ eruditioni conceden-

Pio IV. probata Archi-Confraternitas Crucifixi.

ceden-

cedendum ratus, & quantum Sacerdotalibus animis certatum sit, pro gloria Crucifixi per Cœtus augenda. Non ita acria putaverunt sancti Sacerdotes cætera, ut dixi, Sodalitia, ac tædio quasi decipiendo molliùs reperta: hoc unum sub Crucifixi nomine, virile profectò ac virtutibus eximiis aptum seriumq́;. Illud suam in Ecclesiam Parochialem Sacerdotes ut deducant, vehementer percuperem. Sit aliquis locus vicinus Ecclesiæ, præcipuè in nosocomio, quò tales ultrò conveniant, lectionem sacram, vel brevissimam de Patiente Domino audituri orationem, Sacerdote medium horæ spatium omnibus dante. Ibi & pauperum rebus consuletur, & cæteris bonis operibus in commune. Nullus certus color sit, nullæ expensæ in ceras & deductiones illas solennes, nisi ubi priùs egestati proximorum fuerit provisum. Error hic vulgaris Sodalitiorum, tanquàm illo argento', ceris & ignibus, nuditas fratrum

Ejus leges ad quas hortamur, procul superstitione & affectatione.

fratrum Christi tegatur & calefiat. Christianis moribus discernatur Cultor Crucifixi, modestiâ, charitate. Ecclesiam totam ejusq; decorem diligant, non unum angulum quem adornent neglecto templo. Unam tamen duntaxat Crucifixi imaginem gravi picturâ habebunt. Placebit si fortè quod addimus, fore gratum Crucifixo non ambigimus.

Sit Dominicus aut Festus dies aut ipsa Feria VI. ære pulsato circa horam Completorii conveniet in Ecclesiam Sodalitium, nullo libro descriptum, sed charitate in Crucifixũ, memorem satis suorum, adlectum.

Ante imaginem Crucifixi in hunc finem expositam, omnes ex ordine & decoro in genua devolventur. Sacerdos more Catholicæ Ecclesiæ indutus, altari medio stans monebit ut conscientiam ingressi, peccatorum suorum gravitatem considerent, verbis D. Bernardi propositis. *Quàm gravia sunt mea vulnera pro quibus D. JESUM oportuit vulnerari!*

Quàm

Quàm grave unum mortale pro quo DEI Filius debuit mori.

Secundò. Singuli examinatâ conſcientiâ, exemplo illorum, qui revertebantur à monte Calvariæ percutientes pectora, pectus & ipſi percutient, dolore intimo de peccatis concepto, firmoq́; propoſito nocte hâc nullum mortale admittendi.

Tertiò. Monebit item Sacerdos, ut offenſas, iras, odia, invidias & quidquid unus adversùs alterum habet, ex corde dimittat: Memor in Cruce Dominum pro Crucifixoribus exorâſſe: nè ſol ſupra iracundiam veſtram occidat. Ad quem finem, Sacerdote in verba præeunte dicent omnes demiſſâ voce. *Dimitte illis Domine JESU, & nè ſtatuas illis hoc peccatum.*

Quartò. Sacerdos item dicet: Quoniam neſcimus diem nequè horam, quâ Filius hominis veniat, itaq́; animas noſtras ad imitationem Crucifixi commendemus æterno Patri. Hîc Sacerdos, aut Latino aut vulgari

ſermone incipiet Reſponſorium Completorii, cantu Romano Ritui uſitato: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Quod reliqui gravi ſono & leni paulatim ſequentur. Ut per triſtiſſimam, ignominioſiſſimam, amoroſiſſimam Filii ſui agoniam, felicem nobis exitum dignetur largiri.

Poſtremò. Sacerdos verſus ad populum dabit omnibus benedictionem ſigno ad illos Crucis prolato verbis vulgaribus: vel: *Benedicat vos omnipotens DEUS Pater & Filius & Spiritus Sanctus*: Vel: *JESUS Crucifixus ſit in cordibus noſtris & in hora agoniæ nobiſcum.* R. Amen. Recitato Symbolo Apoſtolorum in fidei proteſtationem, Oratione Dominicâ paulatim & attentè, ſubjicietur Angelica Salutatio ad eam intentionem ut ſicut Crucifixo adfuit, & latroni pœnitenti non defuit: ita nobis in hora mortis noſtræ opem ferat Mater DEI, & Miſericordiæ ejus, atque in Joannis ſancti tutelam accipiat.

Dice-

Dicemusq́; : *Ecce ego filius tuus.* Occupati dato signo domi idem facient : ut faciant Sacerdos commendabit, propositâ Exercitii ad animæ salutem utilitate.

Reduco me iterum Cracoviam, ac in medio ejus foro templum Beatæ Virgini sacrum, amplitudine ac magnificentiâ visendum ingredior. Verùm non ita lapides rapiunt, arte in altum & majestatem coacti, quàm vestra Sacerdotes in Crucifixum veneratio. Non exiguo numero D. Virginis Matris Ecclesia illa Sacerdotes circa se videt, ædificiis undiq́; istorum atq́; vigiliis obsepta. Officia sua per nocturnas horas diurnasq́ue partiti, continuis ad DEI aures sacrificiis & laudibus intrant. Videbis hîc à prima, quâ jus sacrificandi, horâ, omnia ceris collucere altaria, Sacerdotes invicem sacrificiis sequi ac mutuò fervere. Cæteros ultimæ senectutis, in Confessarii munere frangi ac geminari. Nullâ sacrorum cessatione dies ac noctes excipi.

Elogium Sacerdotũ Cracoviæ ad D. Virginem.

Peren-

Perenni Psalmodiâ, quam bini sub noctem Sacerdotes servant, passim adeuntium frequentiam teneri. Plurimùm addit Sodalitium, ab ejusdem Ecclesiæ Sacerdotibus excitatum, sub titulo. Jesû Christi Redemptoris. In peccato mortali existentes ac spiritus defunctorum juvare suffragiis, in potissimis Sodalitii causis habetur. Præsens spectavi sub Inauguratione Michaelis Regis, cùm tristi profectò scenâ sed longè ad movendam voluntatem acri, pro suis illis votis Christo Redemptori sacrificia & solennes supplicationes ferrent. Ibi venit in mentem non potuisse Redemptori Domino gratiùs Sacerdotes facere, quàm convertendis peccatoribus, levandisq; in conspectum Dei defunctorum animabus, ejusdem sanguinem advocare, qui liberali copiâ huc vel suo cursu defluxerat. Habete hîc Sacerdotes venerandi tenuem de vestra in Crucifixum propensione lineam, ego in reliquos Sacerdotes

Ubi & cultus Crucifixi.

An. 1669.

expedio manum, & expendo. An enim fortuitò excidentem stylum vestra imittam in præconia? Quàm cumulatè illud laudari exiget? Nocte etiam media ad ægros properare, pervigiles & pernoctes adesse, moribundos solari, extrema viventium consilio & oratione sustentare. Non inhiare testamentis interim, non quidquam domo desertâ efferre. Non viduatos heredes carpere, non altaria spoliis raptisq; reliquiis obtendere. Indè vestrum zelum, charitatem vestram, vestram sobrietatem, & tot ad salutem proximi virtutum excubias, in illa Pœnitentiariorum domo agnoscimus. Judicio hæc scribimus non gratiâ, experimentum est non suspicio. Eodem tempore, quod dixi, visebam quendam ex senibus Pœnitentiariis. Impulso ad portam ære subitus senex devolat. Mirari ego ætate gravi hominis promptitudinem, sed facilè argumentum duxi ad usum virtutis. Ascendimus una, & ...

Singulars moribundorum cura.

& pauperum.

Exemplo senis inspecta auctori.

& limen ſubeo toties in curam animarum ſenili preſſum excalcatumque egreſſu. Hîc DEus bone! quo in negotio deprêndo Sacerdotem? Lites gemino actoris & cauſidici æſtu calituras in indicem componebat? Digerebat in portiones nepotum, ſervatam ex ſordibus & ſacrilegiis pecuniam? An quæ periculoſam ſolitudinem facerent familiariùs invitaverat & habebat? Ecce dignum non unius hoſpitis ſed publicâ Antiſtitum ac Sacerdotii inſpectione opus. Deprêndo induſia, quædam à manu lavantium, cætera recentis lini, induendis pauperibus expedientem, dividentem, ſeponentem, numerantem. Pater liberis pari curâ provideret, majorem neq; liberi optâſſent. O ſenis acutam aciem! usq; ad intima paupertatis usq; ad ſordida corporis pervidentem. Illis ipſis linteaminibus & texiſti egenos & noſtrum ornaviſti Sacerdotium. Invitum me ab admiratione tantæ ſolicitudinis divellit.

ACTIO III.

Cathedræ, Templa, Missæ, Cruces fundatæ.

SIngularibus elogiis secernendas virtutes uno collegi titulo, & in arctum multa conduxi. In te primùm laus incurrit sua ô Insulæ purpuræq; Lux, quam tot concionibus, tot vocibus, tam contento spiritu intendisti. S. Carolus est Borromæus totus vox Crucifixi. Ne dilaudando ejus amori, explicandis cruciatibus per negotia ipse deesset, quin ut etiam mortuus peroraret pro mortuo, vicariam vocem adhibere, & cathedram fundare placuit impensis liberalibus. Quot ergo voces de Crucifixo orator iste lugubris movet, toties in illo Carolus adhuc sonat. Invalidæ meæ ad eximium hoc obsequium persuadendum literæ: tamen si desideriis certare liceat, quis non mecum sua jungat, quisq; ut Antistitum in Ecclesia sua talis Crucifixo Carolus alter extet. At quem pio ausu tenuitas eximit,

D. Carolus Fundator Concionatoris de Crucifixo.

mit, præclarè egerit Sacerdos, si suo pectore cathedram hanc erigat, in qua sibi primùm, tum alijs privato sermone Crucifixum dilaudet.

Proximam tituli partem pridem sibi vindicavit, cujus memorato nomine dulcedo vnà & pretium eloquentiæ oboritur D. Petrus Chrysologus. Eloquentia locupletior quàm pecunia Crucifixum quem tot sermonibus auditori infuderat, templo & aris consecrare decrevit. Ergo aureum ingenium huc suam industriam & alienum aurum circũ-ègit. *Templum Sanctæ Crucis plurimo labore & industriâ laboravit: ait Dominicus Mita Parochus, vitâ ejus editâ Bononiæ & operibus prælatâ Ao. 1642.* Liquet mihi Crucifixum magno tunc spectâsse gaudio, cùm vir ille à cathedra ad officinam lateritiam, ab auditorio ad fabros declinaret, quãdo curâ quâ Crucifixo præconia disponebat, saxa & calcem explorabat, non minùs in templo pro Crucifixo, quàm pro Crucifixi templo sollicitus.

D. Chrysologo Templum S. Crucis placuit.

& Gaſparo Dzialinio Culmenſi.

Veniat in medium ejusdem laudationis recentior & Polonus, Epiſcopus Culmenſis Gasparus Działy-ńius. Bidgoſtiæ civitate bene morata & portu Viſtulæ opportuna templum S. Crucis inſigni opere fundavit amplis reditibus ad poſteritatis memoriam conſervandum. Eodem templo effigies ſculpta Crucifixi pluribus gratijs divinitùs celebrata reconditur. Erat Dzialinius Catholicæ Religionis in Pruſſia firmandæ acerrimus vindex. Publicam Sacroſanctæ Eucharistiæ deductionem feſto Corporis Chriſti Catholicis ſolemnem fractâ conſtanter Torunenſium contumaciâ reſtituit, nec finé fecit donec auctoritate Comitiorum Regni certis legibus includeretur. Tot virtutes infulatas pietate in Crucifixum coronavit, profligatæ hæreſi victoriam erecto Sanctæ Crucis templo ſemper exprobraturus.

Ejus elogium.

Et fruetur quidem partâ gloriâ Dzialinius, perpetuitatem tamen illius Andreas Olſovius, Culmenſis & Po-

Quem Olſovius Culmenſis excepit.

& Pomesaniæ Episcopus, vir bonis omnibus cum cura semper dicēdus, & fortiore fato datus Ecclesiæ, manu intercepit. Frustra enim trophæum Bidgostiensi foro in apicem Gaspar exacuerat, nisi validiores lacerti retinēdæ victoriæ occurrissent. Ejus elogium.

Belli Suetici furor Catholicas res Torunii graviter ac in imo ferè acciderat. Monasteria & Ecclesiæ usque in sua fundamenta repulsæ, libertas Religionis precariò & interim data, cætera par publico per Regnum casus complectebatur. Cognitus post hæc in adversa gentis istius DEI favor excussit ab extremo ruderum quassam Regni cervicem. Crescunt per ipsa Lechi damna, vt ait ille, & victorem in sui vestigijs corporis abjectum ponunt. Rediit Religio & Libertas post quæ nemo Polonorum voluisset vivere. Eadem tempestas D. Iacobi Apostoli Ecclesiam paulò infrà seculum Calvini opinationibus raptam & insessam in jus pristinum Catholicorum emanci- Sarb. Ob Templum D. Iacobi Catholicis restitutum.

 pavit,

pavit, magnis partium certaminibus & ancipiti exitu defensam, nisi in Ioannem Casimirum Regem & Andream Olsovium Culmensem Episcopum ac Regni Vicecancellarium incidisset. Recepto templo Olsovius in arce sua Palæoburgo vacuus curis publicis otium literarium agitabat. Sed non quiescebat ardens Divinâ gloriâ animus, opus illud Dzialinii majore ausu secum peragebat. Quonam modo Processionem Festo Corporis Christi longè illustriorem redderet, pro qua vix aliquot passus per Comitia apud obstinatos exsculpserat Dzialinius. Medium ingens inter DD. Joannis Baptistæ & Jacobi Apostoli templa relinquitur, quanto duæ civitates populosæ tenduntur & coëunt fine ac principio. Ut primùm Episcopus Magistratum Torunensem de sua mente appellavit, erigitur meminitq; suî inveterata urbis pervicacia. Antiquo limite iter sanctissimæ Eucharistiæ comprehendere, neq; pati

movere

movere terminos. Non est tractationis istius narrare, quomodo bis capti Phryges isti nostris primùm armis, deinde consilijs Olsovij. Effecit solita in agendo facilitate non minùs quàm felicitate apud contumaces, quantùm nec offerentes dedissent. Cesserunt Domino speciebus panis palàm ituro per urbis plateas, quà ducebamus, non quà ducebant. Insolitum istud spectaculum & superiore seculo quæsitum, maximam nobilitatem contraxit, vicina & longinqua excìvit, Catholicos coegit. Summa erat urbis quies ac silentium. Pendebant passim tectis aspicientium corpora, adductis fenestris invida rumpebatur curiositas, itum etiam in obsequia, submissiq; in viarum commoda apparatus. Occulta vis Domini & præsentia, legem modestiæ fureti alioqui populo dixerat. Ibat clero numeroso postremus Antistes, favente ipso cœlo, plenoq; gaudio gestiebat, quòd Christum suis manibus, Christus

Ob Processionem SS. Eucharistiæ prolatam. Anno 1668. 31 Maij.

Christus civitatem captam suo ferret in triumpho. Proximo tangebam euntem intervallo testis omnium, optabamq́; ne aliam pulchriorem Episcopi Catholici causam lætitiæ haberent. Veniebat & illud: DEO vacante tot affluxisse populos ut inermem Præsulem, solo Christi corpore ac Sacerdotio præcinctum, inter ardentia urbis arma & odia intrepidum, ac per pericula procedentem intuerentur. Equidem tantum sacri roboris exemplar Ecclesia potuisset perdere, si ostendisset ad paucos. In ornamentum & onus Olsovius tunc Culmensium Episcoporum erat, ut doceret, hæreses in Polonia more Romanorum quondam feliciùs expugnari quā armis, *Consilio & Patientiâ* 1. *Machabæorum* c. 8. Neq́; majoribus indicijs patuit verum esse illud Cardinalis Stanislai Hosij *Sacerdotem DEi Evangelium voce & vita tenentem, adde Eucharistiam perimi posse, vinci non posse. Roscius in vita*. Vtriq; Ecclesia debebis

bit sed isto discrimine: Dzialinius forum vacuaverat, Olsovius pomæria sacrosanctæ Eucharistiæ protulit, firmavit.

Uno adhuc actu Poloni Præsulis adnumerato, alios etiam orationi permittam. Adamus Nowodworscius XIII. Camenecienſium in Podolia Russiæ Provincia Episcopus formam exempli meruit. *In Cathedrali Ecclesia sua Cameneci quotidianũ de Paßione Domini sacrificium ordinavit, quod à Sacerdotibus cantetur, utq́; perpetuũ hoc esset Patienti monumentũ villam certi nominis juri & fructui Sacerdotum addixit. Anno Domini* 1620. Singulari quodam numine pius Præsul in Barbarorum, Scytharum, Valachorum, Thracum, confiniis non intermorituram Crucis famam condidit, propè Tyram, ipsum limitem Regni & Turciæ: ut inimicos Crucis Christi continua oblatio aut converteret aut averteret. Horridæ illæ miro Naturæ opificio rupes, quibus pendet Camenecum, & ge-

Novodvorſcius Camenecensis Episcopus.

Cameneci situs.

& geminæ arces, ad Rei Christianæ tutelam in altum & præceps minantes, tum fluvius perennis, atq; alveum non mutaturus, rupes circa lambente, rupes complectente vndâ, cogitationem Calvariæ montis insinuare possint.

Contigerat aliquando, vt istis Sacerdotum vocibus & cantui, hospes Cameneci inciderem. Mox inter Sacrificium Fundatoris pietatem repetebam, tum vos quâ par erat gravitate & modestiâ canentes, Sacerdotes, amavi. Vtinam talis colendi Crucifixi materia & ab Episcopis cæteris daretur, & fideliter à minori Sacerdotio acciperetur.

Et Clerus in Crucifixũ pius.

Postremo loco exsolvam fidem in titulo datam Sancto Audomaro Episcopo Tarvanensi, & cum eo signum Crucis palàm fundato. Duxerat vsum hic zelus in Audomaro, ut urbis laboribus non contentus, ac tanquàm arctis finibus teneri dedignatus, vocem & operam in vicos & villas extenderet. Desidiæ nostræ

S. Audomarus Episcopus Tarvanensis.

ista vltio est, quibus egregiè labor excrevisse videtur, si ad aliquot pœnitentiũ accessum consedimus, qui nos in urbium delicias, hortos & conversationem dejecimus, quos nulla conditio eliciat in pagorum salutem, quibus villanus & plebs fastidio, qui ornatiùs aut secùs venientes oculo digitovè in templo digerimus: quos cerussatæ & bene olentes sine præfatione inveniant, turba & anus exspectet, vix obtineat. Sed Audomarum repeto Vincentii verbis Belluacensis Episcopi in speculo l. 23. c. 118. *Cùm ab urbe ad vicina loca lustranda pergeret, in quodam loco prope villam quæ Formacus dicitur, contra meridiem volens pausare, jacuit sub quâdam arbore, indè verò cùm à somno surrexit, crucem Domini ex lignis editam in eâdem arbore fixit.* Crediderim id eo consilio factum, ut Rusticanæ animæ quibus templa deerant, signũ Crucifixi haberent, quo colon9, quo pastor ad memoriã tantæ redemptionis admonerentur. O Sacerdo-

In rusticorum salutem affectus.

Contra nostram desidiam.

Sacerdotis quietem! mollibus & effeminatis Sacerdotũ comentis quietiorem! Instar refectionis illi fuit, duro solo lassam cervicẽ deponere, & otium laboris mutatio. Quæ enim remissio ista, à tot negotiis influentibus lustrare pagos, excutere sordes rusticanas, superare montes, gradum inferre horrentibus tuguriis, atque inter hæc piâ mente non quid dignitas ejus, sed quid salus rudium posceret, acriùs meminisse. Quanquam ista Sacerdotum dignitas, neminẽ curâ suâ putare indignum. Est ergo jam tempus, quo posteri gestiunt scire posterisq; noscendum tradere, quis campus sudorem tuum Audomare hauserit, quæ somnum saxa arboresque prætexerint, quod deniq; mapale impleveris magnus Sacerdos? Pudet me ista scribentem, & ignaviam non seculi, cui hæc forma votumque repugnat, sed meam condemno. Non puduit Episcopum vicatim ire, jacere humo, sui memoriam per Crucem erectam relinque-

Ejus elogium.

Dignitas Sacerdotis, neminem suâ curâ indignum putare.

linque-

linquere, Sacerdotem ideo pudeat? Hoc viri sancti studium DEO amori fuisse manifestis argumentis illuxit. *Sequente nocte, inquit Vincentius idem, multa ibi apparuerunt luminaria, & ab eo tempore Christus pro milite suo multorum ibidem sanavit infirmitates, atq; innumerabiles declaravit virtutes.* An & D. Kentigeri operam Glascuensis in Scotia Episcopi idem Cœlitum studiũ non probavit? *Crucem de sola maris arena in loco suæ Diœcesis erexit opus tam firmum ut omnes elementorum injurias invictum rejiciat. Bollandus XIII. Jan. in vita cap. 7.* Hæc fuit Patrum nostrorum simplex pietas quæ non erubuit suas manus committere ad opus quod seculum nostrum nimis urbanorum Sacerdotum facilè negligat, faciliùs irrideat. Quanquam non ita adhuc ætas ista bonorum Sacerdotum sterilis ut antiquitati illi concedat. Franciscus de Sales instauravit famam nostram. Everterant hæretici in suo Episcopatu Cruces ad viam

D. Kentigeri Crux ex arena immobilis.

am publicā : ſacri videlicet homines nē quæ animo vel oculis obverſaretur voluptati mora, dolendi ſtimulus. Franciſcus advocata fabrûm manu erexit iterúmque conſtituit. Unam ſuâ manu viâ Genevenſi regiâ prolatam inſcripſit : *Non lapidibus nec ligno honor eſt , illi dicatur qui Cruci à ſanguine ſuo honorem fecit.* Quos verſus typis impreſſos ad ſanctæ Crucis defenſionem ubiq; affigi mandaverat. Protraxit hæc diligentia è latebris cujusdam Calviniſtæ audaciam , quam Franciſcus libello inſuper confutavit. Indè primitiæ ingenii & calami Franciſco. In vita c. 9. §. 1.

D. Franciſcus Saleſius in via publica Crucem ſtatuit.

Ad idem argumentum ſpectat ille cultus nonnullorum Sacerdotū, quem alicubi videram in Pruſſia. In media domûs area Crux erecta. Si enim *turpe eſt ante fores Sacerdotis Domini Crucifixi & pauperis , & qui cibo quoq; veſcebatur alieno , lictores conſulum , & milites excubare ait Hier. epiſt. ad Nepotianum* pulchrum erit,

Alii Sacerdotes in area ſuæ domûs.

Sacer

Sacerdotis domum Crucis signo à profanis domiciliis secerni, & ita monstrari. *Crux dignitas Sacerdotum Rupertus l. 6. c. 21. de officiis Divinis.* Hâc clariùs quàm majorum ceris eminemus. Sacerdos quisquis est, non se vili rejiciat loco: res magna ac pretiosa est, per quem ut instrumentum Christi Redemptoris, cœlum & terra sanctis impletur, DEO *animatum lutum ita D. Cyrillo Hierosolym. homo dictus* conjungitur, cujus in verbis paria Divinis imperia, ut quæ non erant essent, ac in ipsius Christi majestatem jus, postremò sententia & arbitrium in offensas DEI tanquam suas. Non se in vulgi vitia, luxuriam gulamq́;, non in sordes avaritiæ involvat Sacerdos. Excedat, erigatur, supra terrena omnia, opes, formas, honores in DEUM assurgat. Quare nec alio quàm magno ac pretioso sigillo domi clauditur. *Magna res est signum Christi & Crux Christi, & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna & pretiosa signari debet, Aug. ser. 215. de Tempore.*

Rupert.

Cruce Sacerdos mõstratur ex dignitate.

Aug.

Hoc signum admonebit, ne quid limen tuum terat, domum lectumq; tangat quo Crucifixus fodiatur. Non spolium pauperis, non sacrilegium honoratum, honorvè sacrilegus parietibus subibit; Crucifixo omnia dispiciente. *Quid enim prodest si de annulo aureo sigillum facias & putridas paleas intus recondas inquit* 16. *Aug.*

ACTIO IV.

Superstitiones amotæ & Decorum imaginum Crucifixi Curatum.

SUperfluas sub hoc titulo religiones, & quia obtentu pietatis adinventas, tantò magis in Crucifixum irreligiosas stringemus. Astus dæmonis egit in varias dehonorandæ S. Crucis species, ut dum illo honore colitur, nullo coleretur. Sunt plerique, ut indè ordiamur, rudes ita, ut fascinos cæterosq; morbos certo iteratæ Crucis numero averruncare se se jactitent. Sunt quibus ad erectas in campo vel alibi Cruces arcana supplicatio, conceptâ salutandi formulâ, tanquàm reddant mutuo-

Crux dum superstitioso honore colitur, nullo colitur.

que

ꝗue accipiant amica verba. Item ſigna quædam vel lintea appenduntur, vel ſtraminea vincula veluti anathemata votorum. Quis ſingula hæc Crucifixi ludibria enumeret? Palàm oculos Sacerdotum everberant, & mirum eſt, ut ſilemus! ut diſſimulamus! Leguntur & in ſinu geſtantur orationes ad ſingula verba Crucibus interpoſitis, veluti contra maleficia amuletum. Pinguntur fores item certo ſignorum ſitu. His cæterisq́ue ſuperſtitionibus, ita dico, ita appello confirmiter, remedium niſi à nobis nullum. Accingat quisq; bonorum Sacerdotum induſtriam, quâ tot Crucis dedecora evertere ſatagat.

Primò. Ut hæc in curſu moneam, ex Medicis ac Phyſicâ, tum Catholicâ Patrum doctrinâ certò eſt ſtatuendum. Faſcinos, ut vulgus putat, ab oculo nullos provenire. Solam vim cernendi illi à DEO inditam. Si quæ ab oculis malignitas venire experimento probatur, fœ- (Faſcini ab oculis nulli.)

de humori per aërem delato & ad tenerum infantis vel alterius delicatum (ut est in formosis) corpus, ideoque alterationis capacius allapso, assignandum. Multa metu nutricum & matrum inducta, pleraq; majora vero effingi à vulgo, in quo nec ratio nec judicium, sed, ut ait ille, pessimum turba argumentum. Nullos item ab oculis humanis radios evibrari (quidquid alii & Hebræus ille Zacutus Lusitanus docuit in Medicorum principum historia l.3. q.31.) quibus corpora & corda feriantur. Ratio est quòd talibus radiis nulla sit materia in potentia visiva. Deinde quòd visio perficiatur receptis ut fit in speculo speciebus visibilium, & liquet magis experientiâ in cubiculo clauso, ac luce per vitrum intromissâ, non verò, ut aliquid oculus ad extra producat. Oculum tantùm esse potentiam passivam, hoc est quæ alterari, non item alterare nata sit objectum. D. Chrysostomus in illud ad Galatas, Quis vos

Nec radii.

Zacutus.

Historia 6.

Rationes Physicæ.

fascinavit? ita breviter & clarè: *Ne sic existimes quòd oculorum conjectus intuentes lædere soleat---. Nam oculorum est simpliciter videre tantùm, cæterùm videre perperam, animi est intùs depravati.* Lippitudo ex aspectu oculorum alterius oritur non propter radios, sed halitus pestilentes ex ore: aut quòd fluor, qui meat ex cerebro per foramen, quo lachrymæ funduntur, efflet nocivos spiritus. Ita Del-Rio ex communi Peripateticorum disquisitionum Magicarum l. 1. quæst. 4. c. 1. Neq; ab habitu malo invidendi vel irascendi (quod Plutarchus voluit L. Symposiacôn 5. q. 7.) fascinum seu læsionem fieri posse. Ratio est. Quòd habitus vitiosi aliquâ occasione in nobis moti lædere alium non possunt, nisi aliquâ actione exteriùs in medio productâ. Nihil autem vel invidia vel laus etiam intensis verbis peracta exteriùs in aëre producit, præterquam sonum verborum quæ internos conceptus significent & in

Et Patrum doctrina.

Chrysostomi.

Neq; ab habitu malo fascini.

Ratio.

aliis eosdem producant. Aër porro licet à calore ſpirituum intenſiori alterari poſſit, quod non negaverim, tamen non habet tam efficacem lædendi vim. Ratio eſt: quòd à ſuccedente aëre, frigiditatem ſuam defendente multùm imminuatur. Advertit autem benè ex medicorum doctrina Richardus in quodlibetis quodlib. 3. q. 13. c. 16. cit. apud Delr. q. 13. & Zacutus ipſe citatus. *Ad læſionem illam cooperari imaginationem illius qui aſpiciens oculos infirmos imaginatur ſe lædi.* Inſuper tenenda eſt ſententia Abulenſis Epiſcopi Toſtati in c. 21. Numerorum, q. 14. *Dicendum eſt quòd plurimi horum qui Catholicæ veritati inhærent, faſcinationem nihil eſſe dicunt, nullum quoq; animal faſcinari id eſt oculo percuti. Et infra, vocat hanc ſententiam falſam & naturæ diſſonam.* Rectè naturæ diſſona: natura enim voces ut ſigna tantùm internorum ordinavit, & oculos ad lucido - colorata percipienda. Quem ordinem malitia

Richardus.
Del-Rio.
Zacutus.
Toſtati.

litia hominis mutare non potest: cùm oculus sit potentia necessaria nata operari tantùm intra suum objectum. Idem de vocibus dices. Item naturæ dissona: Quia cùm variè affecti sint intùs homines, habitibusq; vitiosis ut luxuriæ, gulæ, invidiæ, cæterisq; plurimi dediti sint, sequerentur ex illorum conversatione ingentia humani generis damna, & morbi, cùm tamen omnium gentium judicio constet, & rectè, homines propter mutua vitæ præsidia in unum convenire & aggregari. Neq; convincit argumentum à contrario: Psyllos & Marsos populos Lybiæ naturali pollère virtute sanandi venenatos morsus, quare & dabuntur Fascinatores qui lædant naturali malignitate. Quo argumento usus est Judæus citatus. Sed quidquid sit de veritate: non video causam quâ suadear naturalem vim illam fuisse non autem ex aliquo pacto cum malis geniis. Frustra enim Dominus noster argumentum fidei sanctæ

Zacutus rejicitur de Psyllis & Marsis.

ſanctæ dediſſet: *Serpentes, inquit, tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit*: Si hæc ut naturalis vis in aliquâ gente invenitur. Scio poſſe uſu veneni, ut dicitur de Mithridate Rege Ponti, aſſuefieri corpus ut non noceat tantopere venenum: ſcio item poſſe medicinalibus muniri contra veneni hauſtum. Sed hoc non vi naturali, hoc eſt inſitâ corpori & naturæ debitâ propagatione, fit, ſed extrinſecùs remedio adhibito & applicato. Quin aliquando aggregatâ venenoſorum malitiâ uſum ac præcuſtoditionẽ illam poſſe debilitari, atq; corpus veneno affici & interimi. Quod ſi contingat, ut læſio ex viſu vel alicujus laude animali vel plantis adferatur: non dubitandum mali genii operâ fieri, DEO ita vel in pœnam credulitatis vanæ, ac diffidentiæ de Divinâ ſuâ providentiâ permittente: vel alios ob notos ſibi ſanctiſſimos fines, cujus judicia, ut ajebat Auguſtinus, occulta eſſe poſſunt, injuſta non poſſunt.

Vera cauſa faſcinationis.

Aug.

ſunt. Dimiſſu itaq; DEI, interdum ſuos per immiſſiones ab angelis malis, ut ait ſcriptura, exercentis, illi ſe inſerunt: interdum ut ſuſpectos pios homines reddant, ita agunt, neſcientibus vel ipſis, qui faſcinare dicuntur: interdum, ut ad remedia ſuperſtitioſa timidos ac rudes impellant.

Contra hæc omnia ſignum ſanctæ Crucis efficax remedium, cum firma in DEUM fide de ejus ubique præſentiâ, gubernatione, & auxilio per Crucifixi merita affuturo. At graviſſimæ ſuperſtitionis reos Sacerdos accuſabit, quicunq; indebitè Crucem, hoc eſt certo numero, loco, tempore, adhibuerit. Superſtitio autem iſta cognoſcetur potiſſimo indicio, ex inconvenientia medii ad finem ut ſi toties deſpuas inter Cruces, aut ſimilia rudium vetularumque deliramenta. Vana ergo eſto contra faſcinos medicina ab herbis petita, laudatis à Zacuto Judæo loco citato. *Alyſſum ait herbam*

Crucis uſus debitus.

Signum ſuperſtitionis.

 bam

bam appensam domo salutarem contra fascinum, Angelicam item collo gestatam, item aliqua fœda & turpia suspensa pueris & infantibus. Quæ licet naturalem aliquam vim haberent, pellendi vapores noxios à corpore quo gestantur, & oculos avertendi, nè curiosè inspiciantur formosuli, atq; ita ne per oculorum morbos, corpora inficiantur; nego tamen contra dæmonum læsiones valêre, nisi ex pacto cum ipso dæmone, fingente sibi herbas posse resistere, ut in superstitiosa inducat, & à timore DEI in herbarum considerationem avocet. Herbæ quidem possunt subtrahere materiam malorum humorum, & bonam in corpore dispositionem producere, atq; ideo nonnihil operationem dæmonis impedire: tamen DEO permittente, ille ipse potest aliunde, vel in ipso corpore excitare materiam, quâ in affligendo animali utatur. Ut ideo Sacerdos, homines in DEI providentiâ spem ponere, per Crucem ac mortem

Vana contra fascinos remedia.

De herbarum vi physicus discursus.

Certissimum in Cruce remedium.

mortem dilecti ejus Filii docere debeat. Hoc magisterio Crucifixi honorem integrum servabit, neq; permittet grandi dehonestamento Redemptoris nostri salutari signo dæmonem abuti. In eandem recidit illud considerationem hoc seculo, quod fallere & falli appellatur, ne Sacerdos decipi patiatur illorum præstigiis, qui se, uti dicuntur, Energumenos fingunt, vel existimant, errore phantasiæ, vel humoris melancholici, & hypochondriæ morbo laborantes, ut præcipuè notatur in fœminis. Ad horum curam adhibebitur medicina externa: Nam præstigiatores illi, potiùs carcere & jejunio priùs probandi erunt, quàm ut elementa, sanctâ Cruce consecrata in illis profanentur. Atq; sicut non dubito in Ecclesia Catholica relictam à Domino in dæmones potestatem. *In nomine, inquit, meo dæmonia ejicient.* Quod itidem patet ex officio seu ordine Exorcistæ, id est Adjuratoris, à temporibus Apostolorum

rum usurpato: Ita judicarem summâ prudentiâ opus esse Officialibus, ne passim hoc sanctæ fidei beneficium, à quovis Sacerdotum, idiotis præsertim ac vitæ suspectæ, atq; Redemptionis nostræ per Crucem datus cumulus tractetur. Habentur nescio qui libri Orationum quas tam efficaces putant isti ut illis dæmones adigi dicant ad maleficiorum signa indicanda, quo loco, tempore, situ recondita sint. Ego credo ex Domini ore dæmoniorum genus esse quod *nisi oratione & jejunio ejiciatur.* Sed certis orationibus ac earum repetitionibus hoc datum esse nego. Sit oratio quæcunq; ac in primis Dominicam pono, tum quæ in Catholicæ Ecclesiæ Ritualibus in eum finem descriptæ sunt. Illæ ex merito orationum, ac passionis Dominicæ vim & robur habent à Sacerdotibus fide sincerâ fiduciâ indubitatâ, profundâ item suî abjectione coram DEO omnis creaturæ absoluto Domino oblatæ. Cæteras orationes suspectæ

Ejectio dæmonum, Redemptionis nostræ beneficium.

Exorcismorum vis ex merito Passionis.

ſuſpectæ fidei habeo, metuoque ne dum iſti dæmones ita exigunt, ipſi cum dæmonibus rem ſuam agant. Recoquendi ſunt examine piorum doctorumq; Sacerdotum tales Exorciſtæ: pervidendumq; accuratè an myſteria ſanctæ noſtræ Religionis benè calleant & intelligant. Quid de orationibus ſentiant, de Angelis & dæmonibus? quis illorum privatim orandi modus, quis ſenſus de ſacrificio ſacroſanctæ Miſſæ, quæ conſcientiæ puritas, quæ pœnitentiæ Sacramenti frequentia? Unde hæc didicerint? quâ item occaſione quâ intentione? Videatur quibus cum verſentur an cum mulieribus, pueris, cujus notæ & vitæ? An & quomodo ipſi aliquando apparuerint Spiritus? quo fructu aut animi ſenſu? Quibus indiciis ſagas dignoſcant, à quo didicerint? quare illas noſci velit aut neceſſe ſit? Et infinita alia quæ doctis & intelligentibus pro gloria Crucifixi occurrent. Hac ratione cultum ejus emundabit, docebitq;

Ideo Exorciſtæ ſeverius examinandi.

cebitq́; purè, sanctè graviterq́; habere sancta nostra arcana.

Decorum imaginum Crucifixi.

Amotis à Crucifixi honore superstitionibus ad decorum ejusdem imaginum Sacerdos cogitationem movebit. Interest enim illius honoris; aptè & ad causam doloris amorisq́; inflammandi, appositè Crucifixi effigies induci. Inprimis; quoniam in Cruce Dominus ærumnarum compendium est, in illo nullus pompæ, luxûs lusûsvè erit locus, nulla occasio. Intra summam gravitatem habebit istis legibus. *Corpus ipsum quod imaginem patientis refert, omni decoro formetur. Non os, vultus, brachia, pedes, manus, cæteraque membra à modo humani corporis discedant. Torvum, distortum, confusum, immodicum, vetustate deminutum, aspectu publico submoveat & igni damnet, nec templo, nec altari admittat.* Cernuntur in templis, & in publicis Ecclesiæ supplicationibus feruntur, hæc oculorum irritamenta, in quibus nihil est quod doleas, prætar-

quam

quam ignaviam Sacerdotis & artis. Curabit & illud, ne ad pedum plantas velum defluat; quod affectata vulgi verecundia, in sacris ipsis sua inhonesta facilè moventis, excogitavit. Pateant genua & crura afflictissimæ partes amantium oculis. Minuta colligo amoris videlicet ingenio, quem Crucifixo Sacerdos impendere debet. Pridem hanc decori curam ipse Dominus susceperat. Durandus L.1. de Ritibus Ecclesiæ c. 6. ex Gregorio Turonensi refert. *Apud Civitatem Narbonensem in Ecclesia sancti Genesii imago colitur quæ præcinctũ linteo Crucifixum Christum repræsentat. Ea populo sæpiùs & quòd minùs accuratè tecta; curiosiùs fortasse spectabatur. Displicuit ea levitas ipsi Domino. Monet vir quidam terribilis aspectu Basilium unâ, alterâ, tertiâ denique voce, tegerent linteo imaginem. Basilius Episcopum; hic velo adducit quã sanctitas illa spectari noluit.* Nobili ac propè novissimo nos auxit exemplo Stephanus Wirsbowski

Ab ipso Crucifixo curatum. Durandus.

bowski Posnaniensis Episcopus in materiam istam religiosus. Publicatis per dioecesim literis, post gravissima ad Clerum monita adjecit. *Ut imagines Crucifixi per vias expositæ si quas aut injuriæ cœli aut vetustas corrupit, tollantur & solæ Cruces relinquantur, ne quà in scandalum vel risum, patientis memoria exponatur.*

Et Stephano Posnaniensi Episcopo. Anno 1671.

ACTIO V.

Immaculata Virginis Matris Conceptio propagata, defensa.

INsigne hoc quod de Crucifixi Domini dignitate sentimus est: Virginem Matrem ejus ab humanæ originis communi vulnere sinceram & integram, propter Filii vulnera. Primum vivens in Maria, & cor ejus erat Gratia, quæ post Christum secundùm cor DEI. In Hieremia & Joanne parcior si Passionis suæ fuit, parata causa est: Servos fuisse. In Mariam copiosus Redemptor influxit, illo ipso quem ex ipsius visceribus haurire decreverat cruore, sed

Primum vivens Mariæ, Gratia.

ſed ante labem, ne publicâ abſorberetur labe.

Amiſit legitimæ conſecutionis vim hoc ſeculo attentiori, illa argumentatio, quæ D. Thomæ an ſit? non diſputo, 3. p. q. 27. a. 2. ad 2. *Si nunquam anima Beatæ Virginis fuiſſet contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt univerſalis omnium Salvator.* Neq; enim unquam bonæ mentis Theologorum intentio eſt, Divam Virginem Matrem extra ordinem univerſalis beneficii Redemptionis ponere. Egebat illa meritis Chriſti, quorum interventu originali peccato redderetur præſervata. Quod quidem ſatis eſt, ut dicatur fuiſſe Redemptionis particeps, atq; Redemptorem reſpexiſſe. Imò quidnam rei eſt & rationis? Dignitas Chriſti minor eſt niſi in Matre ejus indignitas reperiatur? An non potiùs ita inferre liceat & neceſſarium? Dignitas Chriſti ſumma eſt & poſt Deum, Matris itaque

Argumentum contra immaculatam conceptionem illegitimum.

Nam B. Virgo inclusa Redemptionis beneficio.

Quod explicatur.

Et Argumentum retorquetur.

illius dignitas summa esse debet & post Christum. Christus autem Dominus ab omni debito originalis maculæ immunis jure suo, quare & Mater jure Filii. Nisi fortè quis ita erret, ratus dignitatem aliquam esse Matris maculam originalem, aut ad integritatem Christi gloriæ necessarium in Matre peccatum Adæ? quod absurdum nemo non videt. Satis ergo ad dignitatem Redemptoris, nullum fuisse qui meritis ejus aut ab originali sanctificatus non sit, aut non præservatus. Patet id exemplo Principis: qui seu aliquos subditos ære alieno obligatos suâ pecuniâ è carcere liberet, dicetur Redemptor suorum: seu aliquos nè debita incurrant longè ante opibus accumulatis ex liberalitate præservat, nil ejus dignitati ac universali erga subditos munificentiæ derogatur. Patet secundò simili D. Bernardi argumento. Is epist. 1. Cor. 1. tractans illa verba: Christus Jesus *factus est nobis Sapientia à DEO & Justitia, & Sanctificatio*

Inconvenientium consequentiâ.

Christus Redemptor universalis hâc causâ.

Simili à D. Bern. Discursu.

ficatio & Redemptio: ita disserit ser. 22. in Cant. *Non ait simpliciter qui factus est Sapientia, sed qui factus est nobis Sapientia: quoniam quod erat angelis, factus est nobis.* Subdit. *At angelis, inquis, quomodo fuerit Redemptio non video? Nec enim auctoritas scripturarum uspiam assentire videtur, eos aliquando aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios ut necessariam haberent Redemptionem, exceptis duntaxat illis qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaq; nunquam angeli redempti sunt, alii utiq; non egentes, alii non promerentes, illi quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irrevocabiles sunt: quo pacto tu dicis D. Jesum Christum eis fuisse redemptionem?* Respondet planè in nostro casu & sensu. *Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens, Et hâc ratione fuit æquè utriq; redemptio solvens illum & servans istum.* Liquet ergo *sanctis angelis*

Christus Redemptor Angelorũ quomodo?

gelis Dominum Christum fuisse Redemptionem, sicut Justitiam, sicut Sapientiam, sicut Sanctificationem : & nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines. Accommoda & dic pariter Beatam Virginem Matrem gratiâ Redemptoris exceptam non fuisse, sicut Angeli : hoc enim ipso quòd præservata à peccato in quod infallibiliter involuta cum cæteris fuisset, meritum Christi & beneficium Filii agnoscit cum Angelis præservatis.

Accommodatur B. V. M.

Sudat hîc Theologia quo ordine decretorum & connexu hoc Virgini Matri privilegium datum sit. Verùm hunc illè solus scit cui Mater in peccato placere non potuit, placuisse semper debuit. Dico tamen cum aliis & præcipuè Paulo Rosmero Doctore Græcensi. Conclusionibus Anno 1654. impressis hæc collegit pag. 759. & 761. de Incarn. *Adamum constitutum esse à DEO caput omnium posterorum ita tamen ut velit hos aut illos disjunctim aut alios: & sub hac conditione; nisi Christus, si decernatur*

Decretorum ordo comodus.

tur, voluerit aliquos vel omnes eximi. Tum prævisa Adæ peccato, Christus Redemptor decernitur, videturq; mereri hominibus gratiam, Beatæ Virgini immunitatem ab originali imò & debito illud incurrendi. Quo decretorum ordine posito, dices Beatæ Virginis voluntatē conditionatè fuisse transfusam à DEO in voluntatem Adami tanquàm capitis: nimirum sub ista conditione si ita velit Christus, aut nisi velit exemptam. Hoc enim decreto conditionato ita posito facilè defenditur immunitas à peccato & à debito proximo incurrendi originali. In illo enim priori quo nondum intelligitur exempta, non intelligitur peccâsse absolutè, sed intelligetur pro illo priori peccâsse si pro signo posteriori deesse intelligatur exemptio. Qua cùm pro sequenti intelligatur ex meritis Christi ab ipso posita: intelligetur quoq; pro priori eodem non peccâsse in Adamo, & proximo debito incurrendi originale capitis peccatum esse exempta, aliàs peccatura fuisse si non subsequeretur exemptio.

Quo etiam à debito Originali exempta intelligatur.

Hæc doctrina solet exemplo declarari Principis alicujus. Si is concedat

Et declaratur exemplo.

cedat nobili cuipiam potestatem condendæ alicujus coloniæ vel deducendæ hâc conditione, si ipse fidelis fuerit in Principem omnes incolæ in posterum sint exempti tributis. Sin verò fuerit infidelis, censeantur & sint tributarii & ipse, nisi tamen Principis Filius futuros incolas aliquos nolit huic pacto includi. Fiat deinde nobilis ille infidelis Principi: omnes censebuntur tributarii, nisi Filius aliquos eximat. Et post aliquot annos Petrus v. g. velit incola esse illius coloniæ atque pro eo Filius Principis intercedat, Petrus non erit neq; censebitur tributarius. Illa enim conditio cùm per intercessionem Filii purificetur, excludet Petrum ab onere & debito tributi. Exemplum hoc facilè nostro proposito accommodabitur. Porro in hac sententia diligenter notandum est. Licet peccatum Adami absolutè est prævisum, antequam Christus Redemptor decretus sit: ideo quòd *communior SS. PP. vox sit, Christum*

Solvitur una difficultas in hac opinione.

ſtum non fuiſſe venturum ſi Adam non peccâſſet, tamen dices; Peccatum Adami priùs fuiſſe phyſicè & ſecundùm ſuam enticatem, decreto de producendo Chriſto; poſterius verò ſi conſideretur in ordine ad voluntatem poſterorum. Ex hoc diſcurſu intelligis non eſſe tantam neceſſitatē Theologis neq; fuiſſe Viro doctiſſimo Cornelio ut diceret ſcribens in c. 5. epiſt. ad Rom. V. 14. Beatam Virginem in Adamo peccaviſſe & neceſſitatem contrahendi peccatum originale incurriſſe, licet fuiſſet ab eo præſervata.

Dimitto hæc cathedrariis. Ad propoſitum meum ſufficit, libertatem originariam & debitum neque incurrendi originale prout par eſt intelligere & facile, non aliunde quàm ex morte & meritis ejus præviſis accepiſſe. Hanc illi ita aſſerimus, ita publico Sacramento Theologi teſtamur. Integram gloriam Redemptionis Domino relinquimus nec Matrem tanto beneficio

exlocamus. Et si potuit mereri, quare non meruit? An ita invalidus in Cruce prævisus, ut non potuerit? an ita indiligens Matris tantæ, ut noluerit.

Patres ad hunc sensum ducti.

Ad istum sensum D. Andream Cretensem t. 2. de Cruce apud Gretserum habeo. *Si Crux non esset, Christus in terra non fuisset, & si Christus in terris non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio fuisset.* Ait enim S. Pater. Christum Dominum non fuisse venturum nisi passibilem, nisi necessitas Redemptionis per Crucem peragendæ adventum ejus postulavisset. Rursum neq; Virginem Matrem suam futuram fuisse, nisi ille mortalis & crucifigendus venire voluisset: ita ut omnis salus, omnis gloria immunitatis à peccato debitoq; soli Crucifixo Redemptori referri debeat. Non enim illa in Matrem electa fuisset, nisi ille homo fieri, pati & mori decrevisset, neq; etiã consequenter habuisset hoc singulare privilegiũ nisi illius merita mortis intercessissent. Publicè idem

constat illâ oratione Pauli V. oraculo probatâ: *Qui ex morte ejusdem Filii sui prævisâ eam ab omni labe præservâsti.*

Ergo libertatem Virginis Matris nativam hoc etiam titulo tuebor, quò ita clarior Crucifixi gloria & efficacia meritorum reddatur. Quoties in laudem tam beatæ Conceptionis vocem publicavero, toties magnificentiam Redemptoris Crucifixi adjungam. Hæc è doloribus Filii nata Matris prærogativa, quæ Mater DEI sine dolore erat.



ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex Moribus & Cultu Crucifixi

LIBER V.

Seu

Virtutes Sacerdotum à Crucifixo sumptæ.

ACTIO I.

Charitas Animarum.



EXordium ab ea virtute ducimus quæ Domino ad probrosam Crucem dux fuit. Ejus magnitudinem ut intimiùs perspiciat unusquisque Sacerdotum, velim pertractet secum illam Domini nostri propositionem. *Majorem hâc dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan.* 15. Ubi sum-

D. Joannes explanatur.

summam inter homines charitatem notat mori pro amicis, & tacitè suam excipit. Illa enim communem supergressa modum, etiam sceleratissimos, quorum non à voto solùm sed etiam à manu interficiebatur, clausit. Atq; huic in extremo charitati profusæ, principia & media vitæ respondêre. An enim tenuis aquæ haustus inter vacantia tempora habuit? bibitné vel men-sam intravit sine charitate? Ubiquè Divinus ille animus vigilabat in officia, & se in omnes arctabatq; diducebatq; formas, dum modò in omnes totus efflueret, periret totus. Suscitaverat olim DEUS Salvatorem Judæis à Moabitarum rege oppressis, *Suscitavit eis Salvatorem vocabulo Aod, filium Gera filii Jemini qui utrâq; manu pro dextera utebatur. Judicum 3.* Luculentum ille Salvatoris Crucifixi symbolum est. Hic enim utrâque manu in Crucem prolatâ, quid significabat aliud, quàm nullâ sui parte vacavisse ab obse-

Crucifixus in Aod figuratus.

quio

quio alienæ ſalutis. Siniſtra quippe non ita expeditur ad labores. At Dominum languidè nihil ac remiſsè egiſſe, eundem amicis & inimicis, inter proſpera & adverſa, laudes & convitia, tenuioribus ac opulentis Salvatorem, & pari tolerantiâ fuiſſe. In miniſterium ejus Redemptionis delecti, & in ſocietatem tam cari nominis adſciti ſumus, rem quoquè tueamur. JESUS enim Salvator eſt. Ut meminerimus, nos publico bono natam gentem, omnibus ſalutarem. Nos vicarios Redemptoris, animabus tanto pretio æſtimatis, datos. Hoc D. Philippo Nerio in uſu & moribus. Ingentem ac perpetuam curam animarum ſibi injunxerat, à qua *Animarum & corporum Pater* dictus, *in Bulla Canonizationis* §. 43.

Sacerdotes vicarii Salvatoris.

D. Nerius.

Neq; copioſius ego pro iſto nomine dicam, cum D. Paulus è noſtro genere, ſe omnia omnibus factum dixerit, idq; eo fine *ut omnes lucrifaceret, & ſalvos faceret.* 1. *Cor.* 9. Apud Theophylactum majori energia lego

D. Paulus explicatur.

Theophyl.

lego eadem *ut omnino ſalvos nonnullos facerem.* Significat enim D. Apoſtolus charitatis ſuæ eminentiam, ex qua, nonnullis tantum & paucis ſalvandis operæ & laboris dedit, quantum cæteri multis convertendis non impendunt. *Omnibus pro ſingulorum conditione indulſi & condeſcendi, ait Theophyl. hîc; tametſi minùs conſiderem, cunctis me paritùrum ſalutem. Sed ut aliquos ſalvos redderem. Quod ſanè debet magis mirùm videri: quippe cùm haud quaquam ſit admirandum, ut quis majoris fructûs & utilitatis gratiâ laboris multùm inſumat. Sed illud debet haud dubiè magnum exiſtimari, cùm parvi commodi causâ plurimùm quis inſudet. Omnino autem adjunxit ut præceptores reliquos ſolaretur, qui etſi nequeant omnibus docendo pro eorum cupiditate ſalutem adferre, nil prorſus debeant inerti otio contabeſcere, cùm vel paucis ſint profuturi.*

Iſtum tu Sacerdos affectum mecum indues amore Crucifixi, qui cùm in omni ut dixmus vita, tum in ſupre-

ſupremis ſuis omnia factus omnibus. Muliebri ſexui ſolatium, Matrem diſcipulo, diſcipulum Matri, centurioni fidem, latroni gloriam, veniam hoſtibus, populo pœnitentiam dedit. Cogita quoties in oculos Crucifixum recipis, illas voces cum lachrymis reddi. *Commendo tibi animas ô Sacerdos pro quibus vitam & mortem accepi.* Tu in vices refer. *Da mihi Domine JESU animas pro quibus hoſtia factus es. Rapiant alii divitias, commoda, honores, & quidquid vel opinione magnum, vel oculis corporibusq; pulchrum inſidet. Animas poſco tuas, & ideo etiam meas.* Talis quidem animarum zelus non invenietur in mollibus comptisq; Sacerdotibus, quibus illa potior cura, ne veſtis & fimbria extra ordinem jaceat. Malint iſti animas negligi quàm ſuas comas, ſoliciti plus de capitis decore quàm de ſalute publica, quam tanti æſtimant ut neque tardiùs cœnent. Non invenietur iſta charitas, quibus, venatio, aleæ, choreæ, ſympoſia,

Omnibus omnia in Cruce Chriſtus.

Non tales qui in deliciis Sacerdotes.

Et otio.

poſia,

posia, & mulierum officiis evulgata gravitas inter civilia. Non invenietur apud eos, quos ab aula nec lassitudo ætatis, nec fastidia dominorum ad Ecclesias suas extrudant. Qui commutant & mercantur Sacerdotia, & successione mutuâ perdunt invicem & acquirunt. Non invenietur talis Crucifixi zelus in illis, qui trahunt suspiria dum in calculos colligunt Beneficiorum reditus deminutos. Gemere audias cum illo myrmillone Romano de munerum raritate questo: Quàm bella ætas perît! quàm dives olim Sacerdotium fuit! *Nullius famæ sed perditissimo sæculo digna vox, nonnullius Beneficium quoddam aulæ vicinius desiderantis, ut equos, inquit, commodiùs habeam.* Consumit dolor has pestes publico emittentem. Sed absit ea jejunitas ab ista scriptiuncula nostra, ut tuo illam quisquis es nomine suffundamus. Laboret fides annalium, talem aliquando fuisse Sacerdotem.

Et aula.

Et emptores beneficiorum.

Et privati commodi.

Noster

Noster Sacerdos Crucifixi calorē percitus nihil antiquius sanctiusque habebit animarum charitate. Duxerat ex isto vulnerati Domini fonte D. Philippus Nerius eum zelum, ut maria, insulas, Indias meditaretur. Jam minùs populosa Roma, Italia infrequens videbatur animo in salutem orbis hianti. Quare secum cœpit seriò volvere Oceanum & alio sub sole immensas gentes, ejusque consilii quo à conscientia utebatur Sacerdotem adhibuit adjutorem. Ad hunc Philippus cogitationem, ille ad DEUM defert: Lucem huic proposito addat, sitne è placito ejus cui soli placere Sacerdos debet. Aliquod tempus exit, Philippus revenit oraculum exploraturus, ratus probari cœlo sacros adeo impetus, cùm vocem ex ore Confessarii improvisam. *Romæ Philippo Indias fore. In bulla Canon. Urbani VIII. anno* 1622. §. 30. Num dubitamus quin ille vir tantus ad tolerandas Romanæ urbis angustias se adhortatus ipse sit? Quòd

Philippo Nerio India cogitata.

Sed Roma cœlitùs data.

Quòd Indiâ prohiberis, non est invidiosum. Omnis locus Sacerdoti animarum Studioso, Japonia, China, Brasilia, Florida, nova Francia, Hispania, Britaniaq́; dummodo ipse velit. Palatium, Curia, Rota, DEI reverentiam si habet, adhuc fornix relinquitur quò DEUM inferre liceat. Trahitur vicus aliquis & pons, in quo pauper præter stipem, DEO etiam eget. Adveniet ad genua pœnitens jam pellex, erit unus juvenis vel puer cui tuam charitatem approbes. D. Cæcilius Presbyter Carthagine fecit satis ad salutem orbis, uno Cypriano edocto & baptizato. Cyrinus item Presbyter Romanus sancto Silvestro literis ad Petri dignitatem instituto. Adhibe studium, & angusta laxari possunt, & pauci in multos numerari. Assuescendum est conditioni suæ, neq; de illa conquerendum, sed quidquid commodi habet, apprehendendum. Tua vota si in longinquum per tot maria dimittas languescent spatio aut succumbent. Fortior in arcto industria. Indos appetis? en tot illius oceani spoliis

Et causæ istæ.

Ab exemplis.

Luxus Romæ viget, quem petas in tuto & tuo. Brasiliæ sui verecundiam incutere paras? En publicata libido ambulat, proxima & in conspectu adulteria versantur. Medêre quà datur. Indicos haurire pulveres amor est? Pauperum tabernas, captivorum turres, ægrorum angulos scrutare, sordes & pulverem totis sensibus bibere licebit. Fames, sitis æstus, vigiliæ in promptu & Romana sunt. Omnia item Romæ pro Indiis agere & pati potes. Nil in te mutatio loci mutabit. Sapienter Deus vota Sacerdotum disposuit, aliis in longinqua auxilia, aliis in viciniam destinatis, ne vel reconditæ gentes se desertas quererentur, vel finitimæ fastiditas. Domestica & communia exprobrabunt tibi desidiam nisi feceris, ut facias acuent desiderium. Sicut honorum, ita locorum ambitio est. Tutius in vulgaribus consides. Quanquam vulgaria dici non possunt si fiant non vulgariter. Neq; prima nomina Apostoli per singulas in quas explicatur orbis partes decurrêre. Romam Petrus & Paulus, Indiam Thomas, Persidem Simon, Æthiopiam

Et ratione.

piam Matthæus, Asiam Joannes cæteriq́s singulas sortiti Provincias acceperunt. Non est humana industria infinita, quantò in plura spargitur, tantò debilior. Tu zelum istum putas vide nè imponat tibi vaga curiositas & rerum novitate lætissima. Unâ Germaniâ Bonifacius, Galliâ Dionysius, Stanislaus Poloniâ suos labores efficaciùs clausêrunt quàm si sparsissent: Sed hæc Episcopi, defer te ad tuos. Divi Felix, Moses, Polycarpus, Nicomedes, Concordius, Abundius, quorum ad cineres supplicas, Romani Presbyteri non ultra Romam exivêre. Alter item Felix, Valentinus Nolani Presbyteri domi felices & validi stabant. Ego mihi Romæ Indias facio. Benè ergo relictus est Romæ Philippus, quam tanquàm Insulas Philippinas docuit instituitq́;. Docuit & nos, ut vitiis ita virtutibus intemperantiam suam esse, *ac interdum bona desiderari non benè.*

Iterum ab exemplis Presbyterorum.

Neq; te sterili meritorum loco puta damnatum Sacerdos, quocunque sedes & teneris. Pone Ecclesiam

tuam, cui præes, aut ſubes, Barbariam Indiamvè, homines quibus cum vivis Braſilianos, puta aulicos cæteroſq; cœli ſoliſq; inferioris incolas. Hanc ipſam quâ doces, quâ pœnitentium arcana digeris, cathedram Lybiæ arenas, Angliæ & alterius Albionis æſtuaria. Hic non otioſus deliteſce, univerſis & ſingulis in commoda te concede. Neque enim ſoli Eccleſiæ proſunt illi, quos extra patriam ad ignota ſidera amor proximi elicuit, ſed etiam qui nidulo ſuo conditur, ita utilis, ut in privato publicum ſanctæ fidei ac ſalutis negotium tractet. An ille plus præſtat qui Barbaros inter, difficili ac laborioſâ voce Chriſtum prædicat, quàm qui maternam linguam in rudium cæterorumq́ue eruditionem expendit, puellari diſciplinæ ingemiſcit, aulicam petulantiam, inter quotidiana ludibria ſanctitate & doctrinâ refutat. Atqui *D. Barbatianus Presbyter in aula Placidiæ Auguſtæ cui à ſacris erat, meliores aulicos faciebat*

Quivis locus Sacerdoti erit India.

Ita D. Barbatiano Aula.

bat

bat pari merito, quo Barbaros fecisset. In vita D. Chrysologi. Non mutavit suam diœcesim cum Indiis S. Franciscus Salesius, supra nostrum, tamen adnostrum natus exemplar. Non ille Americam vel deserta Africæ in famam operis ambivit. Gebenna illi pro Japonibus & Chinis. At quo fructu? quàm invidendo illis ipsis, qui Europam trans oceanum fugiunt. Plus quàm quadraginta millia hæreticorum, quà consilio, quà colloquiis privatis publicisque ad sanctam Ecclesiam reduxit. Quantus ille vir fuit qui perire se putabat si quem perire sineret! Itaq; Sacerdotibus futuris negotium fecit, animas non infulas numerari oportere. Non enim Sacerdotium proventibus æstimabat, non calculo, quantùm annus ditior fertiliorq́; provenisset. Quæstui autem habebat, si pluribus mentem sanam indidit, si concione profuit, si turba ad Sacramentum Pœnitentiæ circumstetêre, si vanitas & luxus conjugiorum

D. Salesio sua Diœcesis.

circumſcriptus, ſi puellarum ſecuro virginitas depoſita, ſi juventus metu DEi adſtricta, ſi Eccleſia DEI hæreticorum acceſſione auctior lætiorq́;. Domi & circum-murana ut ita dicam bella militemus, aderit Dominus privata noſtra, ut illa publica coronaturus. *Non ille ſolus militat,* verba illius Philoſophi ſunt, *qui in acie ſtat & cornu dextrum lævumq́ defendit, ſed & qui portas tuetur, & ſtatione minùs periculoſâ non otioſâ tamen fungitur, vigiliasq́ ſervat & armamentario præeſt. Quæ miniſteria quamvis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt.*

Sen. L. de Tranquil.

Itaq; ſcire debemus languorem quo in animarum ſtudio laboramus non loci eſſe ſed animi. Licet in urbe moratâ feroces Indos ad imitationem D. Bartholomæi ſtatuere, cum D. Matthæo Æthiopiæ fervores in villa pati, cum D. Joanne dilectionis mutuæ ſcholam in Parochiam tuam deducere, cum D. Jacobo velut mediis Hieroſolymis orationi perpe-

tuæ vacare. Adeo parva Ecclesia fertilis est laborum, in una orbis totus occultatur non spatiis sed animi aviditate collectus. Utile proinde est ut unusquisque nostrûm statuat aliquem ex primis illis Sacerdotibus suæ vel alterius Ecclesiæ provinciæque eximiis animarum cultoribus, eumq; zelo imitatore iterum in vitam reddat. Suæ inquam potissimùm, domestica enim magis vulnerant seu imitandi facilitate seu verecundiâ ignaviæ, atque vehementiùs insistunt animo, proclivi semper naturæ favore in sua. Meritò igitur in exemplum desinam in Polonia ac seculo nostro repertum, atq; me & vos ad Georgium Kerberum Parochum, & Lesnæ Præpositum in finibus Regni ad Silesiam sitæ vocabo. Diœcesis Posnaniensis Lesna Comitum à Lesno juris & tituli, in quorum domo hæc ipsa scripsi, multam hæreticorum colluviem ex vicina Silesia collegerat, multam in pagos circumjacentes effuderat. Su-

Georgio Kerbero sua Parochia.

An. 1672.

is illi expulsi ſedibus primùm bello Suetico, tum Ferdinandi II. Cæſaris edicto, in Comitatum Conjuges, liberos, fortunas, opificia & unà ſuperſtitiones invexerant. Acceſſerat favor & exemplum Comitum. Quod quidem in gloriam domûs iſtius inſigni fato parabatur, ut cùm nonnullos quondam error iſte corripuiſſet, nullos habeat. Itaq; proviſum cœlitus videtur, ut non ſolùm Senatum Leſczynii implerenu Catholici, ſed etiam Fides in tot Archiepiſcopis ſiſteretur, unâ familiâ in utrumq; Senatum ac propè Rempublicam propagatâ. Divexavit pii Sacerdotis animum, ea rei Catholicæ ſolitudo, & ad remedia incendit. Putes me hoc acri verbo minas, lites, vim, injectiones, furorem notâſſe? Pacata omnia adhibuit, patientiam, comitatem, temperantiam, pecuniæ contemptum. His armis protervorum aliquot villas ſanctæ fidei noſtræ ſub jugum ſuave miſit. Quanquam libenter profitebor

Labores in converſione hæreticorum.

tebor Lescynianâ virtute ad eam Sacerdotis virtutem opus fuisse. Namq; præcipuus tantæ salutis auctor Joannes Comes à Leszno Regni Cancellarius & majoris Poloniæ Generalis Præfectus. Ille Georgio monitor cautus & fidus, quâ parte pertinaces animos demulcêre, quâ vitare offensiones, quibus intrare officiis & flectere, postremò omnia Sacerdotis munia in ipso Sacerdote præsumere. Hæc ab illius accepi ore, quo non digniùs unquam, Majestas Poloniæ sese locutá Regibus Cæsaribusque meminit. Quin ita pro Regibus loqui meruisse credo, qui pro Deo ante fideliter locutus esset. Verùm operæ pretium est singulas boni Sacerdotis virtutes discernere. Primum inerat pecuniæ contemptio, quàm in nobis speciosa, tam rara virtus, quos subvertentis omnia avaritiæ labes involvit. Ultra necessitatem nec usibus sed vitiis cumulamus, quæ festinantes nepotum manus rapiant. Sacramenta

Operam componēte Lesczynio Regni Cancellario.

An. 1671.

Pecuniæ cōtemptio in Georgio.

menta & Cœlitum beneficia in artem quæſtûs torquemus. Georgius etiam oblatis abſtinuit : nil Baptiſmus, nil matrimonia contulêre. Hinc orta in vulgo ſuarum rerum ſecuritas, publicaq́; opinio, quâ potiſſimùm Res conſtant, Georgium non quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti quærere. Commendabat hæc affabilitas, & ſuavis de rebus Fidei tractatio. Neminem in concione perſtringere acerbiùs religionis nomine : explicare tantùm noſtra & ſtabilire. Lutheri Calviniq́; mentio niſi dolentis affectu nulla. Non exprobrabat cunctorum ſcelera & errores ſed proponebat, ſæpe ut auditores lucem à DEO peterent intelligendis Fidei myſteriis hortatus. Ita in auditorio crevit amor Georgii, tanquam qui erroribus non perſonis inſtaret.

Humanitas.

Ratio concionandi.

Oratio verò illius tantùm diſerta ut intelligi poſſet : non ſcholaſtica, non diſputatoria, non enormiter producta, ſed dilucida & ſuis partibus

bus distincta. Neq; item pluribus Scripturis & Patrum sententiis instructa, sed in memoriæ commodum paucis clarisq;. Ita ille mihi hæc senio & valetudine confectus Lesinæ sincerè ac sine affectatione laudis narrabat. Et quò magis rudiũ aviditatem eliceret, materiæ de qua tractaturus erat concione sequenti, in postrema denuntiabat capita. Quâ consecutus industriâ, ut non solùm à plurimis, verùm etiam libenter audiretur. Pendebant ut à Magistro, observabant ut Patrem. Jam semper invitabatur, seu nuptias illi agerent, seu à baptismo infantium suorum genethliacum darent. Non fugiebat neq; spernebat humanitatem rusticam Georgius, sed Sacerdotali respondebat humanitate, sobrietatis interea retinentissimus. Neq; enim in certamen poculorum descendebat, neque laudem putabat ad vesperam perpotitâsse. Nonnihil temporis ubi dedisset, convivantibus ignaris maturè se subtrahebat,

An. 1669.

Parsimonia potionis. Vide Hier. ad Nep. Si talis est judex qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis nisi inter phialas, libenter carebo hujuscemodi beneficio. Hier. ep. ad Nepotian.

hebat, ne ultra legem ſuam in hoſpitalitatis gratiam exigeretur. Abibat ſuo loco, magno deſiderio magnâ ſuî loco laude relictâ, gratulantibus ſuum cæterà Sacerdotem non ſuis moribus eſſe. O quàm multas virtutum zeliq; innocentis ſpecies unus ſenex in noſtram ſucceſſionem demiſit! vindicavit à labe ſocordiæ inſtitutum noſtræ vitæ. Probavit Sacerdotali diligentiæ nullũ deeſſe locum, ipſos Sacerdotes nulli loco deeſſe debere.

Ego cùm omnes tùm ſobrietatem inter Germanos & in Germano admiror. Noſtra hæc virtus ſit. Sumus profectò in perpetuis locati excubiis, quas niſi ſobrii ſervare non poſſumus. Quid enim in ſacris aget Sacerdos ebrius? Si moribundorum cura, ſi ægrorum ſubita pericula, ſi infantium baptiſmus poſcant? Quàm inviſum tunc cœlo monſtrum! vix hærere pedibus, vix verba poſſe cogere, vix oculos ſomno vinoque ſepultos attollere, &

Sobrietas neceſſaria virtus Sacerdoti.

A contrario.

adhuc

adhuc Sacramenta tentare? Quid si materiam vel formam permutet? quid si partem totumque omittat? quid si Eucharistiam solo effundat? quid si frustis esculentisq; vinum redolentibus pavimentum & gremium compleat? Advertit S. Petrus Chrysologus inter cætera dispensatoris Ecclesiastici vitia Ebrietatem palàm notari illis verbis. *Quòd si dicat servus ille, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros & ancillas, & edere & bibere & inebriari. Luc. 12. Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium, inquit sermone 26. de fideli dispensatore; quia alter animam suam necat vino, Sacerdos spiritum sanctitatis extinguit, dicente Apostolo: Spiritum nolite extinguere. Meritò inter cætera quæ in dispensatore malo arguit hodiernus sermo, vini condemnat insaniam, dicendo: Quòd si ille servus dicat, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros & ancillas, & edere & bibere & inebriari & percutere. Ebrietas cædis mater,*

Ex scriptura.

D. Chrysologo probatum.

mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra. Hanc qui habet, se non habet, hanc qui habet, homo non est. Hanc qui habet non peccatum, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis & pudoris injuria. Hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem Sacerdos attingat: ne qui est forma virtutum, vitiorum indè fiat & inveniatur exemplum. Hic tametsi nonnulla declamatoriè dicta sint: tamen quòd S. Doctor Ebrietatem Sacerdotis dixerit Sacrilegium, non Concionatorum usitato more dixisse intelligendum puto. Est ergo ebrietas in Sacerdote Sacrilegium: Seu quia in voluntaria & mortali Ebrietate administrare Sacramenta, *regulariter peccatum* Sacrilegii est. Sive potiùs quòd ebrius exponat se manifesto periculo invalidè Sacramenta conficiendi. Contingere enim facillime potest, imò & contingit ut aliquando sui impos Sacerdos omittat neces-

necessaria Sacramenti, aut dubiè formam pronuntiet aut materiam dubiam adhibeat. Quæ cùm omnia sint injuria Sacramenti & ingens actionis Christi irreverentia, Sacrilegium à S. Patre dicta est.

Dixi *Regulariter* seu ex communi & recepta sententia. Crusers enim in Regulam S. Francisci c. 7. lectione 21. folio 680. citatus à Diana parte 6. tr. 6. Resolutione 53. docuit. *probabilem esse sententiam non esse mortale Sacramenta conficere in mortali.* Ratio illius est. *Primò*: Quia si esset peccatum, esset Sacrilegii: Quod est violatio rei sacræ, in ratione in qua sacra est. Unde percussio Virginis voto castitatis obligatæ non est Sacrilegium, sed ejus defloratio. Actio autem Sacramentalis in tantum est sacra, in quantum Deo consecrat recipientem: quæ consecratio non læditur ex actione Sacramentali facta à ministro in peccato mortali existente. Quia S. Thomas, requirit bonam conscientiam ministri, ex quadam condecentia. *Se-*

Hinc quæstio de materia ubertim tractata.

Secundò. Nec exinde peccat, quòd rem ſacram ut profanam tractet. Quia cum mala conſcientia, poteſt internè & externè habere æſtimationem, timorem & reverentiam. Sicut poteſt cum devotione orare, fidem profiteri, imò Sacramentum conficere eâ intentione ut det ſibi DEUS gratiam ad reſurgendum à peccato.

Tertiò. Neq; peccat, quia eſt conſecratus. Quia conſecratio eò tantùm dirigitur, ut deputetur ad functiones ſuas validè obeundas ſacras. Aliàs peccarent conjuges, ſi actum matrimonii agerent in peccato: item ille qui Fidem coram tyranno profiteretur in peccato mortali.

Poſtremò. Neq; ideo peccat, quòd miniſter debeat ſe conformare DEO Sacramentorum Auctori, in gratia & ſanctitate. Quia inſtrumentum non debet habere cauſæ principalis excellentiam.

Judicium Præpoſiti.

Propter hæc ait Præpoſitus citatus in Concluſionibus Theologicis Pauli

Pauli Rosmeri S. T. D. Græcii anno 1654. impressis pag. 841. doctrinæ receptæ difficilem esse rationem, neq; convincere: cæterùm pondus habere ex communi & recepta Patrum & DD. sententia. Non mihi locus est Patres huc producere, unum Augustinum afferam tantò efficaciùs quòd videam illum in corpus Juris Canonici pro sententia communi relatum. 1. q. 1. c. Omnia &c. per Esaiam. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Verùm datâ cuique doctiori de hoc arbitrandi potestate, argumentum aut potiùs Sententia ex D. Augustino non videtur esse pro parte affirmantium tam valida quàm prima fronte occurrit. Disputabat enim Augustinus contra Donatistas & hunc ipsum Parmenianum Episcopum Donatistam. Negabant isti alibi Ecclesiam esse quàm in parte Donati Episcopi, cæteros *Gallos & Hispanos & Italos traditoribus Africanis commer-*

Non convinci videtur ex Augustino.

cio scelerum & affinitate criminum esse consimiles ait Parmenianus epistolâ ad Ticonium citatus à D. Aug. l. 1. contra eundem. tomo 7. Concludebant indè, baptismum ab aliis quàm à suis collatum & cætera Sacramenta esse nulla. Traditores hîc intellige, eos qui metu persecutionis & mortis sacros libros in manus tyrannorum tradere cogebantur. Quo astu Gentilitas doctrinam Christianam pernoscere & abolere parabat. De hoc Augustinus testatur ita, Psalmo contra partem Donati, habeturque tomo VII. initio. *Erant quidam traditores librorum de sancta lege, Episcopi de Numidia & non quilibet de plebe. Cùm Carthaginem venissent Episcopum ordinare, invenerunt Cæcilianum jam ordinatum in sua sede. Irati sunt quia ipsi non potuerunt ordinare. Erant Botrus & Cœlestius hostes Cæciliano valde, impii, fures, superbi, de quibus longum est referre. Junxerunt se simul omnes crimen in illum conflare. Dicunt ordinatorem ejus sanctos libros tradidisse.*

Cujus Ratio ex occasione alia.

Traditorum.

Sic

Sic pacis retia ruperunt. Ista Ecclesiasticæ eruditionis causâ, & quæ origo tam fœdæ hæresis, quam Lutherus & Calvinus suscitârunt, suam Ecclesiam solam veram & legitimam declamantes. Contra hos Augustinus totus incubuit, ingentesque pertulit curas sanctus Doctor quà voce quà libris. Inter cæteros Parmenianum Episcopum Donatistam nactus, ejus ad Ticonium epistolam libris tribus confutavit, ex quorum lib. 2. c. 10. verba Jus excepit prædicta. Scopus disputationis Augustino non erat iste, ut illos sacrilegos esse probaret, qui rei traditionis aliorumq; occultorum criminum baptismum cæteraq; Sacramenta conferrent. Quod quidem, ut sententia communis efficaciter probaretur ex dicto Augustini, necesse fuit attendi & ostendi. Solùm istud S. Pater intendebat evincere, validè baptizatos à malis, & sacrilegis. Quidquid sit de quæstione an peccent tales ministri sacrilegio. Mens D. Augustini.

Non igitur par ratio esse videtur de conferentibus & suscipientibus, hos enim certum est baptizatos, illos peccavisse non apertè ex dictis colligitur. Demus Augustini verba omnia; ubi ex illis elicuit istam Propositionem. *Tunc posse à malo baptizari quenquam, si lateat malitia baptizantis. Qui enim fictus est, instat Augustinus, tantò magis fictus est quantò magis latet. Ab hoc ergo cùm se auferat Spiritus sanctus, quæ spes erit baptizati, si baptizantis hominis meritum in illa DEI gratia cogitandum est? His omnino quid respondeant non inveniunt, qui malos apertos habere se negant, in quo quidem apertissimè convincuntur. Sed quid ad nos? Satis est nobis ad necessarium causæ articulum quòd fictos bonos, id est occultos malos, apud se esse negare non possunt. Per multos enim redarguuntur, qui cùm ibi perditis & sceleratis moribus viverent, & per ipsam fictionem diu latuissent, aliquando proditi, expulsi sunt. Dicamus ergo si nolunt ibi adhuc esse aliquos tales,*

Ex verbis illius.

les,

les, illi certè qui ejecti sunt, si in eadem fictione latêrent, & eos fugeret Spiritus sanctus, de quo scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: quomodo baptizare possunt? Cur non recensentur saltem qui vivunt, ut accipiant baptismum, quem utiq; à fictis, quos deseruit Spiritus sanctus, accipere nequiverunt? Si autem dicunt, Spiritus quidem sanctus daturis fingentibus deerat justificandis, sed accepturis credentibus aderat abluendis, per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ utrumq; valens facere, illos fugere, istos fovere, illos culpare, istos mundare: quam pro se quæstionem solvunt, simul cernant solutam esse pro nobis. Concludit Augustinus, in qua conclusione videndum quid præcedenter cum adversariis consenserit. *Quod autem intelligimus in hac sententia sacræ scripturæ, quam certè ipsi non intelligentes, & quasi pro suis partibus proponentes, ad seipsos convincendos ingerunt nobis, hoc penè in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus: scilicet,* Et Conclusio.

Quia omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus: sicut & verbum DEI testatur, unde dictum est: Quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite. Ex his habetur quonam modo illud verbum *obsit* intelligendum; hoc est negativè, quia non prodest illis, cùm illâ actione nil mereantur. Vel obest, quia illis non adest justificandis Spiritus sanctus. Vel deniq; obest: Quia quæ suscipientes admonent ut faciant, ipsi non faciunt, ideo graviùs puniendi tanquàm servi scientes & non facientes. Quæ expositio videtur sufficere ad mentem D. Augustini in eo casu differentis: ut dicamus in prima parte locutum fuisse Augustinum non ita rigorosè & didacticè, ut prior sententia posteriori contraponatur per omnia: in posteriore autem dogma fidei statuisse. *Prodesse Sacramenta omnia dignè sumentibus à quocunq; collata ministro, neq; meritum hominis in Sacramentis divinæ gratiæ cogitandum.*
Hæc

Hæc productiùs disputavi non ut sententiam Crusersii probarem, sed ut innuerem in sanctorum PP. sententiis genuinam mentem investigari oportere. Cæterùm consideratis ejus rationibus, existimo utilem pro scrupulosis Sacerdotibus, aut dubitantibus administrârintne in peccato an non; præsertim cùm subitò vocati aut non occurrente peccati conscientiâ id egêre. Alia tamen est ratio de celebrante qui simul suscipit Sacramentum. Ideo Tridentin. Ses. 13. præcipit Confessionem Sacramentalem quantumcumq; sibi contritus videatur: vel in defectu Sacerdotis, proximâ occasione. Nolim autem neq; me neq; alium in eam redigi conditionem, ut in peccato mortali administrare quis ausit. Quis enim reus sangvinis Domini ejusdem merita tractet? quis inter thesauros Crucifixi sordidus & egens incedat? & pretium dispenset pro anima aliena, suâ vilissimis emptoribus peccato & diabolo vendi-

Restringitur opinio Crusersii.

Quæ vix in praxi sit.

Salv. Epist. l. 4. de Prov. vendita? Denique *non colit qui rem sanctam non sanctè colit.* Salvianus Massiliensis.

ACTIO II.

Labores Sacerdotii.

PErperam Sacerdotium reputavit quisquis otio & pigritiâ condemnat: tanquam nos qui ad altaria stamus, turba simus delicata sine labore & pulvere, expers sudoris, impatiens æstûs, atq; generosæ ad ardua indolis minùs capax. Tale judicium contumelia est nostri ordinis, quam non difficulter refutamus si labores domesticos esse Sacerdotio pandamus.

Eorum præcipuus auctor ac primum movens est sitque Crucifixus. Puta de Cruce illam vocem ad te ferri. *Laboravi sustinens. Is.* 1. Ubi totius laboris pro mundi salute ac patientiæ omnis compendium dedit. DEus olim Hieremiæ. *Ecce constitui te inquit hodie super gentes & super regna ut evellas, ædifices plantes.*

Vide

Vide quòd laborioſa nomina collegit, ædilis, hortulani, agricolæ. Ne Sacerdos putet ſibi privilegium vitæ quietioris collatum in Ordinibus, permiſſamq́; cum ſacris pacatis deſidiam, pugnas, certamina, vigilias, non ſuæ patientiæ eſſe.

Hoc ipſum D. Bern. conſideravit. *Propheta inquit S. Abbas, cùm ſimiliter levaretur, audivit, ut evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes & ædifices & plantes. Quid horum faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemmate quodã labor ſpiritualis expreſſus eſt. Et nos igitur ut multùm ſentiamus de nobis, vel nobis ſenſerimus impoſitum miniſteriũ, non dominium datum. l. 2. de Conſideratione. c. 6.* Propterea item curam animarum, meſſem: Apoſtolos operarios, laborioſis compellationibus vocavit Dominus. Propterea à piſcatu & maritimis curis delegit Apoſtolos, cùm in urbe & quiete domeſtica invenire illos potuiſſet. Quòd firmatos prioribus exercitiis artus ad labores Evangelii non ægrè

Apoſtoli qui piſcatores.

transferre poterant, utq; monerentur, non dimissum sibi stadium sed mutatum. Ita D. Chrysologus.

Causa ex D. Chrysologo. *Captores piscium fiunt hominum piscatores: de labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lassescere meditatus. Omnia quæ de usu veniunt non fatigant. Virtus exercitio perseverat. Hinc est quòd Apostolos suos Christus humanis laboribus exerceri voluit, ut eos indefessos redderet in Divinis. Voluit eis DEUS manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem. Et quia fructus provenit ex labore, voluit eos labores non perdere sed mutare. Ipse antè illis usum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiā dedit virtutis. Serm.* 28.

D. Apostolus Paulus vitam suam illam tot sudoribus madentem expressit.

Et militantes D. Paulo. *Quis militat suis stipendiis unquam. Ubi Theophyl. aptè rei militaris induxit similitudinem. Competit namq; vel Apostolis ipsis militia, tum quia & periculis plurimis agitantur, tum etiam quia sensibili oppugnantur ab hoste.*

Interprete Theophyl. Pergit Apostolus. *Quis plantat*

plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Theophylactus. Ex vineæ similitudine Apostoli labores prætendit, & summas calamitates & solicitudinem patefacit.

Ex eadem sorte est illud Beatos Antistites plerosq; à castris ad infulas electos. Nam ut complures notos omittam atque D. Martinum Turonensem: in sancto Maximo secundo Ticinensi Præsule singularis DEI favor patuit quem B. Ennodius data ad illum epistola ita dilaudat. *Te olim secularibus inhærentem titulis castrensis sudor excoluit. Te sacrarum largitionum judex & consilii comitem meruit & laboris. Benè venerandis initiandus altaribus & in laica conversatione quod sacrum esset elegisti. Tu pudicitiæ in illa ætate custos in qua & lex obsequitur desideriis---. Christus milites suos quos in personam ducis attollat, inter acies quærit hostiles. Bollandus refert in Januario.* At quantus ex milite Sacerdos quàm solicitus ab eodem Ennodio dicatur. *Adscitus*

A castris vocati.

Ut Maximus Ticinensis.

Ejus elogium.

Bollan.

scitus Ecclesiæ Pontificem actibus implêsti ante tempora dignitatis. Non fuit advena benignitas---. Non tibi Sacerdotium rem doni evenisse credimus sed præmii---. Vilissimis comparandus est nisi pracedat scientia qui est honore præstantior. Dedit tibi apicem res judicii non favoris. Dignus Pontifice amor quem censura conciliat. Devenustat institutionis genium, qui per solam gratiam vult placêre. Tu his conditus & formatus cœli beneficiis, plus agendo populum instituis, quàm loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, quæ præbentur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. Ex his commodè est prosequi, idcirco Dominum quandoque ex laboriosis vitæ statibus Sacerdotes sumere, ut isti non minùs laborandum in Sacerdotio sibi persuadeant. *Ambiguo quondam D. Francisco Salesio de vitæ statu, ac per multa incerto, simile divinitus omen immissum est. Nam cùm ter succusso equo labi*

Eadem D. Salesii vocatio.

labi contigisset, advertit gladium baltheo exsertũ in capulũ, quà crux manui jungitur, eamq; tuetur, incidisse. Quod cùm secundo tertioq; elapsu adnotâsset, prudenter ac religiosè intellexit, se illâ crucis compositione ad vexillum Crucis hoc est ad statum spiritualem vocari. in Comp. Igitur Crucem Sacerdotium esse intelligamus, à Crucifixo ita nomen sortiri, quò minus laborum mole frangamur, nihilq́ue præter conditionem nostram evenire expostulemus. Tessera sit vitæ nostra illa profani Cæsaris. *Laboremus. Spart. in Severo.* Quod eò minùs percellet si ipsum summum Pontificatum Crucem summam sciamus. *Cardinalium munus est eum eligere Pontificem, qui Crucem Pontificatũ existimet ait Cardin. Veronen. in vita S. Car.* Et meritò S. Hier. Damasum S. Papam vocavit *discipulum Crucis.* Ab hoc enim magisterio discimus crucem ferre laborum, istius cathedræ suffragio ad Ordines & beneficia promoveri debemus.

Tanquam ad Crucem.

Ad Sacerdotium & Pontificatum.

Pres-

S. Frider. aulæ Catechista.

Presbyteros quæris in hac arena! *S. Fridericus postea Episcopus Ultrajectinus & Martyr, cùm adhuc Clericus & adolescens in aula Ricfridi Episcopi Trajectensis esset, catechumenos multos catechesi instituebat tanquam ex officio. Har. XVIII. Julii.* S. Odulphus presbyter *à S. Friderico Frisonum Episcopo ad Arrianorum conversionem invitatus, tanquam ad epulas, ita jucundo animo se dedit.* Id. XII. Julii. *Sed nos præsentibus delectati dum in hac vita commoda nostra & honores inquirimus, non ut meliores sed ut ditiores, nec ut sanctiores sed ut honoratiores simus cæteris festinamus: nec gregem Domini qui nobis pascendus tuendusq; commissus est, sed nostras voluptates, dominationem, divitias & cætera blandimenta carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus nec tamen esse contendimus, officii nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem.* D. Prosperi verba L. 1 de Vit. Cont. Sac. c. 21.

S. Odulphus Arrianorum.

Actuosæ & in aliena commoda profusæ vitæ fuit Thomas Oborski.

Causa

Causa visitationis illum sæpe per amplissimam Diœcesim circumducebat. Non servitia, non equitatus, non venatio Parochorum timenda paupertati. In comitatu duo tresvè Presbyteri, ad mores Episcopi familiares. Affluebat populus facilitate & sanctitate viri excitus. Incredibile verò dictu quantum sibi tormentum, ut cum illo dicam, ipse indixerit, ne quid cuiquã negaret. Aberat aliquando itinere à villa profectus, in qua Confirmationẽ populo administrare contigerat. Cùm annis gravior fœmina, non æquis secuta passibus, clamore, anhelitu, manibus, Episcopũ à longè revocat: sisteret, se nondum eâ ætate sacris confirmatam, nunc primùm ægram accurrisse, ac penè collabi. Primam audivisse vocem satis erat: inhibet iter, curru descendit, ac omnia in eum usum depromi imperat. At famulus cujus in cura res & iter erant, iratior corripit arcam, abjicit, & vim non perpessam,

Thomæ Oborscii Labores.

Benignitas in simplices.

pessam, in aliquot partes solo afflictam scindit. Addit iræ contumeliam, exploso sclopo & concitato equo, rebus & domino malè valere jussis, aliò viam vertit, securus de patientia Episcopi. Officio suo functum egregiè putares servum, ita quietus & subridens, tanquam rem inter alia nomina gestam accepit. Olea sacra cæteramque supellectilem dispersam ordinat, induit, & medio campo ritè Confirmatam anum, & benignè recreatam dimittit. O Sacerdotem laboribus superiorem! ô exaggeratam virtutem! quæ turpe judicaret in servo tantam nequitiam potuisse reperiri, in Sacerdote non tantum patientiæ. Longum est dicere, quos tunc labores ærumnasque devoraverit. Ut omnibus prodesset sibi defuit, nemine miserorum dimisso, nisi etiam per prodigia à DEO exorata, solaretur. Inter quæ magnis indiciis colligitur, Parentibus mœstis filium, quem Vistula fortè hauserat, oratio-

Patientia in servum.

Omnibus profuit.

Etiam per prodigia.

ne.

ne ad DEUM fusâ, jam cadaver frigidum animavisse. Quanquam Vir DEI ambiguè hæc in Commentariolo visitationis suæ reliquit, tanquam de alio scripta. Verùm libet legere ejus labores, quos in titulum sepulchri collectos, marmori commisit & æternitati transmisit superstes pietas.

D. O. M.

THomas Oborski Episcopus Laodicensis Suffraganeus & Canonicus Cracoviensis. J. U. D. Ad hanc aram Crucis, in qua quotidie sacris operando spiritum DEO offerebat, etiam quod mortale habuit, deponi jussit. Virtutes quotquot erant, qui eas tam in vivo, quàm in mortuo laudare nitebantur, vix enumerare sufficiebant. Et quidquid de illis, sive dicto, sive scripto pronuntiârunt, minora merito asseruerunt. Qui non tam titulis & infulâ Episcopali, quàm zelo DEI fulgebat, desideria sua non alibi, quàm in latere Christi deponens. In hoc Viro prisci Illius celebre epitaphium.

ſci ævi Pontificum, pietatem, ſanctimoniam, candorem, humilitatem, laborumq; tolerantiam reſtitutam Eccleſiæ, ſuum tempus vidit. In Suffraganeatu XXX. annorum curriculo, unico contentus Chriſti patrimonio, hoc ſingulare pii ſui laboris reliquit teſtimonium:

Ordinationes ſacras fecit CLVIII.
Quibus Presbyteros creavit MM. CLXXXV.
Conſecravit Eccleſias DCCCC. LIII.
Altaria fixa DCCV.
Altaria portatilia M.
Calices M. DCC. LVII.
Conſecravit Epiſcopos VI.
Obiit Anno M. DC. XLV. die 3. Julii.
Ætatis ſuæ LXXIV.

Labores Sacerdotii excelſiores ſunt, & in ipſa Domini Cruce ſedem fixerunt. Ab hoc faſtigio veniunt, & gratiam & amorem accipiunt. Docebit nos iſta Franciſcus Saleſius. Aſperam & multis difficultatibus metuendam nactus erat Diœceſim. Recludenda erant intima Genevæ, petenda arx ipſa Calviniſticæ ſuperſtit,

Franciſci Saleſii labores.

stitionis, penetrandum in pervicaces animos, vulnera quædam leni manu tractanda, exprimenda quædam. In faciem multæ injuriæ, irrisiones & probra in aures parata involabant. Quid enim à petulantis populi audacia expectaret aliud, quàm quibus abundat vulgus? Firmavit tamen animum; & Episcopatum suum periculis in terra, periculis in falsis fratribus obnoxium adiit, lustravit, quà poterat pollebatq;. Sed quā animosa illi infinitus labor verba expressit? *Video quocunq; me fero Cruces in hac benedicta visitatione mea. Caro mea repugnat sed spiritus illas honorat. Ita vos veneror cruces parvæ & magnæ, internæ, externæ, corporales, spirituales ut me vestrâ umbrâ arbitrer indignum.* Vitæ cap. 15. Varsaviæ impresso per P. Piarum Scholarum. Legis invictos à laboribus Sacerdotes & tam collectâ mente Crucifixi stipendia reputantes. Colligam ego Franciscum & Thomam uno elogio *Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo*

Et de his fortia verba.

Utriusque elogium D. Prosperi stylo adducto.

Utriusque elogium D. Prosperi stylo adducto.

Sacerdotium meruerunt: quiq; non humani favoris suffragio sed divino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatûs applaudunt; quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus. Qui non excellentiam suam cogitant provecti sed sarcinam, nec gloriantur de officii dignitate sed sudant potiùs constituti sub onere. D. Prosper de vita Sacerd. l. 2. c. 2.

Excedat ex hoc ordine qui Sacerdotii professionem otio & socordiâ constare putat. Te verò Sacerdos DEO labori consecratum gaude ac torpori exime. Robustam & virilem pressit vitam D. Erardus.

D. Erardi laboriosum Sacerdotium.

Postquam ad Presbyteratûs ascendit gradum, summum etiam cælestis scalæ gradum ascendit: jam ex continuo usu non sentiens laborem, sed ex usu laboris resumens consuetudinem. Ad altaris enim consecratus ministerium, seipsum vivam hostiam in ara Crucis immolavit. Paulus in vita c. 2. VIII. Jan. apud Bollandum. Non miror laboribus addictum qui Crucis aram cogi-

Causæ otii nostris in Sacerdotibus.

cogitabat, qui victima mundo periret in altari quotidie, qui spiritum emortui Domini ita hauriret.

Per hæc exempla Primam languoris otiique causam tenemus, *Diversos quàm esse debeant in Sacerdotia incessus.* Nimirum ex materno complexu vel molli gynæceo evoluti ad aras protrudimur enerves ideo & abjecti Sacerdotes. Quid? quòd ubi exterorum & aulæ illecebris corrupti intimè permaduère, altaria & infulas affectant non moribus sed placentibus vulgò vitiis. An verò insomnis apud moribundum perduret, quem domi amor aliquis expectat & lectus effœminatus? An se mediis immittent laboribus per quos, suas delicias, quoniam sacra gerere sexui non licet, matres ambitiosæ fuerunt? An fortem & intrepidum dabit Sacerdotem qui *ne laborem subiret, subivit Sacerdotium?* Et certè illud est quòd sancti Patres à Sacerdotio licentiam ludendi ludos proscripserint, ne dulcedine otii

Prima institutio diversa à statu.

abducti vitam sibi vacuam laborum agitare fas putarent Sacerdotio initiati. Quàm indignum nos super aleam utrumq; tempus sumptuosâ prodigalitate abjicere ! Quàm dolendum paria omnia otiantibus & solutis tractare ? Sed judicium B. Petri Damiani Ostiensis Episcopi de hoc & contra hoc adferam. *Dum aliquando, Florentino Episcopo essem comes itineris, vespertinum tandem subeuntes hospitium, ego me in Presbyteri cellam semovi; is autem spatiosâ domo cum commeantium turba resedit. Manè autem facto, à meo mihi agasone significatum est, quòd prædictus Episcopus ludo præfuerit scacchorum. Quod profectò verbum velut sagitta cor meum acutissimè pupugit, & indignationis vulnus inflixit. Horâ autem quæ mihi videbatur electa, conveni hominem & acriter invehor. Hoc igitur initium sermonis arripiens ajo: Libratâ manu virgas exsero, plagas infigere quæro, si sit qui terga subjiciat. Et ille, inferatur, inquit, culpa, non recusabitur*

Lusus in Sacerdotibus reprehensi ex qua causa.

Tantò magis in Præsule.

A. B. Damiani accusati acriter.

ſabitur pœnitentia. Rectène inquam tuiq; erat officii, veſpere in ſcacchorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter DEUM & populum mediatricem, ſacrilegii ludibrii contaminatione fœdare? Præſertim cùm Canonica decernat auctoritas, ut aleatores Epiſcopi deponantur. Et quid prodeſt ei quem efficaciter auctoritas damnat, etiamſi judicium extrinſecùs non accedat. Ille autem ex diverſitate nominum defenſionis ſibi faciens ſcutum ait: Aliud ſcacchum eſſe, aliud aleam. Aleas ergo auctoritas illa prohibuit, ſcacchos verò tacendo conceſſit. Ad quod ego: Scacchum, inquam, ſcriptura non ponit, ſed utriusq; ludi genus aleæ nomine comprehendit. Et mox acquieſcenti pœnitentiamque poſtulanti *præcepi, inquit, ut ter pſalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione eorumq; recreatione lavaret. Hâc ſcilicet ratione perſpectâ, ut quoniam hæc culpa cum manibus potiſſimùm & ſermone com-* Et puniti.

mittitur, lavando pauperum pedes, suas potiùs à culpæ contagio manus ablueret: & imprimens alienis vestigiis ora, pacem sibi cum Domino quem per flendos jocos offenderat, reformaret. Hoc autem, concludit, diximus: ut quàm inhonestum, quàm absurdum quàm denique fœdum sit hoc in Sacerdote ludibrium, ex alterius emendatione noscatur. Ita ille Apologetico ob dimissum Episcopatum. c. 7. Reprimo meum hîc ultra calamum & tantùm quâ pœnâ, inquam, S. Pater iste Clericos & Sacerdotes afficeret, quorum una per domos & Curias laus in dexteritate & peritia ludendi ac Sacerdotio Crucifixi illudendi.

Altera causa otii, non examinata vocatio.

Porrexit D. Bern. lapidem ad quem exploremus initia Sacerdotii quem appellavit vocationem. Ad verba Apostoli Videte vocationem vestram ita disseruit in declamationibus. *Consideremus & nos an vocati venerimus & vocati à DEO, cujus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modò vocationem dixerim quo ferè juxta*

juxta eundem Apostolum, quos prædestinavit hos & vocavit. Si quis vocaverit nos in honorem Cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundùm præceptum Domini ad cor Hierusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam beneficia provida sanè parentum solicitudo parabat: hunc nos inquiens illi vel illi tradamus Episcopo apud quem habemus gratiam, aut cui fortè servimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos tota dividatur hereditas. Illum præpositus aut decanus, ut sibi succederet, plus quàm materno educavit affectu in deliciis enutriens & delictis. Ille dignus Archidiaconatu utpote filius principis, magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est episcopata progenies. Alius deniq; circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat & dissimulat, miseraq; suffragia sibi mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quomodo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi,

Ergo examinetur.

An parentes?

An patronos?

An aulæ obsequia?

fixi, & bona Domini quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita---. Quis eâ intentione gradus Ecclesiasticos & ministeria sanctuarii quærit, imò quæritur (quæri nempe ipse quàm quærere debuerat) ut sine curis seculi in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus & verbo prædicationis? Nam si eos, eo quærit aut tenet animo eoq; intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria, evangelizat ut manducet, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quàm certè digniùs ampliùsq; rationi ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret inversor rerum aut inhonoraret ministerium spirituale. Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt, quippe minori facilè satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placêre student hominibus, delectari & superbire, & huic seculo per omnia conformari. Hæc copiosè ac verè Bernardus

An temporalium cupiditas?

An ambitio?

nardus

pardus ut frustra hîc obstrepant à Monacho in Clerum inducta ideoq; suspecta. Advertant qui in patrimonium Crucifixi manibus & pedibus irrepunt, nil minùs cogitantes quàm Crucis labores perferre.

Revocat me adhuc supra laudatus D. Presbyter Erardus ut summa vitæ ejus capita colligam & eligam. D.Erardi elogium iteratum. *Mundo mortuus quanquam adhuc spirabile gerens corpusculum, castitate virgo, Sacerdos ordine, paupertate Monachus, professione Confessor, laboribus Martyr, legatione Apostolus, munditiâ Angelus. Paulus in vita auctor dictus ante.* O illustre compendium quo Sacerdotis mores adnumerati, & quibus ad Sacerdotiũ comparari, in Sacerdotio lucere debeamus. Castitas ut virginibus & Angelis litem dicat. Paupertas cum monachorum severitate contendat. Obedientia & zelus Apostolis suppar, & in omnia fluens adversa. Postremò labores Martyrum sudore & sanguine madentes, iidem vel contra mortem

tem intrepidi. B. Bernardus verba illa S. Pauli consideratione tali explicavit. Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri JESU Christi. *Hoc glorieris opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegêre sibi, reliquêre tibi. Agnosce hereditatẽ tuã in Cruce Christi, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit. Plus omnibus laboravi.* 1. Cor. 10. *Gloria est, sed nil in ea inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces invitet. Unusquisq; enim secundùm suum laborem mercedem accipiet. Etsi ille plus omnibus laboravit, non tamen totum elaboravit, & adhuc locus est. Lib. 2. de Consider. c. 6.* Hæc una Sacerdotii consolatio in laboribus plurimis, hæc hereditas à Cruce venit. Nulla relinquitur excusatio ignavis & socordibus. Curandum est laborandumque neque animus tendendus ultra quàm potestas. In eam rem D. Bernardus optimus ex ipso monasterio Sacerdotum magister. *Paulus loquitur Plus omnibus laboravi.*

Absit gloriari nisi in cruce explanatur à D. Bern.

laboravi. Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissimè vitans----. Et ob hoc in laboribus potiùs quàm in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi quoq; habes ipsum dicentem. In laboribus plurimis. Ita quæso fac tu quod tuum est, nam DEUS quod suum est satis absq; tua solicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Sanè incrementum ubi voluerit, dabit DEUS, non tu. Ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente scripturâ, Reddet DEUS mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor quem nullus valet evacuare defectus. L. 4. de Consider. c. 2. Plerumq; nobis incidit ut conciones nostræ sine fructu alio aures circumvolent, sterilesq; audiamur. Admoniti pœnitentes nullam emendationem deterioris vitæ referant, ac in eadem passim revolvantur. Doctrina, sudores, curæ, scriptiones nostræ aut ridentur, aut illud affixum patiuntur. *Quis leget hæc? nemo. Nemo? nemo hercule nemo,*

Plus omnib9 laboravi. Explicatur. Iterum à Bern.

Non profectus sed labor à DEO spectatur.

Hinc magno animo labora, parvo licet effectu.

mo, vel duo vel nemo. Quid labori nuntium Sacerdos remittet? Laborem à te professio tua poscit, non laboris plausum; conscius laboris cætera permitte DEO. In nostram rem D. Bernardus sententiam Ecclesiastici c. 32: Curam illorum habe, ita expressit. *Deniq; audisti, curam illius habe; & non, cura vel sana illum.*

Scripturâ & Bernardo ita monente.

Hæc mihi cum D. Abbate uberiùs disceptanti stylum condere in proclivi erat, nisi volentem excedere, honor Cleri in chartam retraxisset. Palàm constat quâ injuriâ Polonus Clerus per vulgi procaces linguas oneremur. *Nos in Ecclesia DEI solos otiari, & angulis suis jacere domi forisq; inutiles, beneficia & altarium gratias in odium & invidiam sanctitatis absumere. Gratiæ Cleri datum esse, quòd labores illius tanto tulimus hiatu.* Quid ad voces istas trepidare me putetis, aut scriptionem submittere? Juvabo adhuc querelas & adeo istam litem faciam meam. *Quid agitis, inquam, vos Reip. Christi nervus & spi-*

Jactata in Clerum Polonum invidiosè.

& spiritus? cur à tot tantisq; vestris nominibus in languorem defluitis? quâ patientiâ vestrâ majorum stationem relinquitis degeneres, in alienam successionem & famam? ubi templo medio sublimes magistros rerum æternarum vos audimus? ubi eruditionem, ubi literas, ubi zelum, ubi meditatum quid domo in apertum promitis? ubi in salutem pœnitentium sedes passim captæ, & noctibus diebusq; custoditæ? ubi miserorum cura, ubi super agonizantes vigilia, ubi per fora, carceres, hospitalia charitatis & munificentiæ studia ardent? Videas autem post deproperata sacra, post horas tumultuariò cantu accisas, Ecclesiam totius diei silentio ac solitudine damnatam. Dilapsos interea incertosq; viarum per urbem meliores fumos sequi, mensas odorari, convivis incidere, sero demum vespere jam madidos confusis vestigiis reptare. Quid sibi vult tam incuriosa dignitatis oblivio? Rapiuntur vestris è manibus omnia Cleri ornamenta & præsidia.

Auxit ipse scriptor candidè accusationis capita.

rum rostra, obsessa confitentium subsellia. Omnia vestra in usu aliorum sunt & contemptu, certè fastidio. Itane veterno ac lentitudine magnas cogitationes demergetis, & insuper ad quod ordinati estis Sacramentum? (Sacerdotis munus est docere, prædicare, pœnitentes absolvere.) Circumegistis stadium vestrum & in angustum pressistis. Apostolica munia & quæ arma virosq; poscunt turpi fugâ prodidistis. Quantum enim ex immenso labore est quod vobis excepistis? Baptizare, matrimonia jungere, extremis sacris moribundos ungere? De cadaverum funeribus porro placuit decertare. Et docuistis interesse ubinam putrescant digniùs, aut utiliùs fœteant. Atque saniori mente contendissetis ut pretiosiorem orbis totius gazis animam cœlo reponeretis. Omnis terra facilè corpus capit. Crudelis hæc avaritia quæ usq; in mortuos vim dispensat, reperitq; etiam quod ex domino nudo sibi vindicet, atq; trahat. Advolatur ad cadaver & mortuus dives benè olet. Funeralia

ralia & spolia ardetis, utinam simili arsissetis fervore ad moribundi salutem. Scilicet illis funerum sumptus quis dederit sponte, quibus anima post pecuniam? Deniq; testamenta heredes incognitos ex sese recitari mirantur. Verba D. Zenonis Veronæ Episcopi & Martyris sermone 1. de Avaritia. *Assurgite animis aliquando & labores Patrum repetite. Præclarè de vestro ordine judicant qui vestra vobis officia interceperunt ingenti gloriâ suâ. Utimini vel isto judicio, excutite vecordes spiritus, Apostolorum vestigia relegite quæ vos respiciunt, ad mensuram vestram condita & recondita.* Auxi ego accusationem, tantum abest ut vulgus reformidem fiduciâ erectus istâ, fore ut timidam & veri inanem propitio Numine faciamus. Neq; enim deest vigor nostro Sacerdotio, non valida indoles, non præclara cupiditas, non avidus salutis alienæ ardor, non inclinatio ad famam & conscientiam. Non tantùm in nostram gloriam concessum est, ut omnia Sacerdo-

Sed bonâ spe neq; ex vano.

 tum

tum decora in nobis optentur, habeantur pauca.

Verùm ut labores nostros porrigere per plura spatia possimus & utilis Ecclesiæ DEI Clerus proveniamus Remedium *Primò* à sancti Tridentini Concilii institutione quâ Seminaria Cleri sapienter providit & imperavit. Hæc licet plura in Regno sint nostro tamen mirum est quàm paucos educari in illis videmus. Subterfugiunt pleriq; institutionem ac modestiam, alii ut licentiùs noctes agant, gaudeantque custode remoto custodes Ecclesiarum futuri. Veniunt aliàs in ordinem nostrum Patrui aut avunculi Prælati electione improvidâ promoti. Non literis non exploratâ probitate, non exercitiis spiritualibus assueti. Indè *cùm luxuriati fuerint in Christo* 1. *Tim*. 5. in quietem & vitia illius solvuntur. Quonam enim modo tales sacræ scripturæ, Patribus, Ecclesiasticæ eruditioni, habendis pro dignitate verbi DEI sermonibus,

Remedium primò à Seminariis.

ctibus, templis exornandis, curandis pauperibus, juvandis animabus animum invictum afferant; quorum ætas inerti seculi tincturâ colorem bibit. Atqui nec miles nisi in castris & statione, neq; artifex nisi in officina, neq; Philosophus nisi in Academia instituitur, & in suum crescit munus minister in aula. Soli nos Sacerdotii labores & operas extra Sacerdotum consuetudinem, & maris artes in terra discamus? Quanquam verò aliquot Seminaria Polonia numeret, tamen commodior cæteris locus esset Varsavia sub cura Sacerdotum à Missionibus. Eorum enim modestiâ & facilitate, moderatione ac temperantiâ jam à tenero ut ajunt ungve meditatâ quàm boni bone Deus! Sacerdotes exirent. Accedit Ecclesiarum opportunitas sanctæ Crucis & Beatæ Virginis Parochialium, in quibus tanquam in arena & domestico adhuc campo, Catechesi, confessionibus, concionibus exerceri fas erit, donec ad majores

Opportun⁹ locus Seminarii Varsaviæ.

Ex his causis.

Ecclesias adolescant. Potissimum autem, quòd itinera illorum ad Missiones comitati, Apostolicos labores, prudentiam in agendo, & sanctæ cum secularibus conversationis, zelum item rudes docendi condiscerent & artem. Neq; minimum emolumentum illud erit: ut Parochi, si quid delinquere contingat huc remittantur, inter juniores Clericos exercitiis spiritualibus exercendi, potiùs quàm ergastula sine fructu alio experturi.

Secundum à judicio Episcopi.

Placet *Secundò* & illam pro remedio languoris Episcoporum virtutem hìc inducere, qui Sacerdotum, quos idoneos nacti, curam singularem habent, postpositis etiam quos sanguis & nobilitas commendat, dummodo illi digniores sint. Præstant hi quod monuit Petrus Blesensis Archidiac. Bathonien. *epist.* 25. *ad Octavianum Card. Ædifica & planta in Ecclesia DEI tales, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior & literatura commendet. Qui divites*

non

non palpent qui subjectos doceant pauperes non gravent, qui minas potentum non timeant, qui crimine corrigant & marsupia non emungant. Sunt in Clero quandoq; re angustâ, animo locuplete & bonis moribus artibusq́; cumulato. Aptiores hi laboribus quàm illi delicati & benè culti. De Nepotiano presbytero ad Heliodorum avunculum ejus Episcopum. *Erat solicitus si niteret altare, si parietes absq; fuligine, si pavimenta tersa. Si sacrarium mundum, si vasa luculenta.* At idem, *paupertate ornatior, aurum calcans incedebat*, inquit S. Hier. in ejus epitaphio.

Vicinius hoc quoque remedium censuerim *Tertiò.* Ut pauci iiq́; tantùm pro Diœcesis muniis omnino necessarii ordinentur, ita enim labor justus singulos & occupatio ad Ecclesias tenebit. Ex occasione vacantis alicujus altariæ vel beneficii aut præbendæ, vel quia Parocho labor ingratus est, nascitur hæc in singulos menses & festa, extraq́; tempora

Tertium si soli necessarii ordinentur.

Multi ædificant parietes & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur & ministrorũ Christi nulla electio est. Hier.

pora consecratur ignavia. Quibus ut prima displicuêre dimittunt, & cùm Sacerdotium ponere non possint, in labem Sacerdotii durant nusquam quieti. Proh! quæ illa otiosorũ volvitur nubes! Trahunt se per officinas, tabernas, oppida lutati, sordidi, fœtẽtes, nec vultu, nec incessu nec more Sacerdotes, & ferè modò ex fornicibus ac velo exturbati. O magne Sacerdotii auctor Deus! & ista tua sors & tu illorum; horum sententiis & votis cœlum paret & patet! hos tu in amicitiam, in arcana sacra, in accubitus altarium admittis! nemo dignior amore tuo nisi qui indignissimus videatur etiam seculo. O sanctissimi Præsules tantum prohibete nefas. Habeat quisq; Officialium in numerato suos Sacerdotes & Clericos, qui in locum decedentium aut infirmorum substitui possint, evocati ab una Ecclesia quæ illorum operâ non æquè indigeat, ad aliam ubi utiliter ministrent, ne novi ordinentur. Sic præcludetur

otio

otio via & egestati Cleri consuletur, dum in paucos & labor congruus & stipendium amplius dividetur, simulq; juvenes profani, leves, & quibus adhuc mundus & caro calet fumatq;, ambitione inconsultâ beneficiorum tacitè arcebuntur. Notanda occurrit mihi Divina illa dispositio quâ circa tabernaculum Sacerdotes ordinavit. Non enim in figuram circularem non in triangularem familias Leviticas dispertiit sed Gersonitas ad occidentem, Caathitas ad meridiem, Meraritas ad septemtrionalem plagam, Moysi Aaroni & filiis ejus orientem designavit *Num.* 3. formâ videlicet quadratâ & Crucem referente. Quo dispositionis genere Sacerdotes instruimur, onera omnia nobis subeunda in ministerio Ecclesiæ Christi, amore, intuitu & contemplatione Crucis & Crucifixi, ita mysticè designati. Imò sicut in illa Levitarum multitudine nullus vacuus erat ab onere; ita nec decebit Sacerdotem

Labor Sacerdotum in exemplū Crucifixi.

tem Crucifixi non oneratum esse, atque Crucis jugo non mancipatum. O Domine mi tu in Cruce & ego locum quietis appetam ? Laboras pro me usq; ad sanguinem usq; ad mortem, quomodo mihi sanguis & mors pretiosa erunt ? De *universo labore quo laborat sub sole nihil habet homo Eccl.1.* De labore quo sub Cruce laborat omnia habet Sacerdos. Gloriabor ergo Domine *non in veste pretiosa, non in suppellectili multa, non in congregatione pecuniæ, non in ædificiis aut culturis, non in dilatandis possessionibus non in equorum multitudine, non in ornatu pompatili, non in frequentia clientelæ. Nam hæc omnia gentes inquirunt. Sed sicut gloriatur Doctor gentium in Cruce Domini nostri JESU Christi, in infirmitatibus suis, in mortibus, in laboribus, in carceribus & in plagis. Petr. Bless. ep. ad Episc. Vigornien. cap.3.*

Privatus Sacerdotũ labor.

Verùm esto tibi Sacerdos præcidetur laborandi publicè & ex officio copia; non statim terga dabis aut

aut latebras circumſpicies, quaſi aliquis locus ſit, quò te labor pro DEO & proximo conſequi non poſſit. Ipſe tibi confer officium, & aliquid invenias quo te utilem facias. Ex alto prædicare non licet ? Solari & inviſere hoſpitalia licebit ? gravis & invita elocutio exit ? tacitâ cohortatione & primo verborum occurſu ſalutaria privatim loqui potes. Privato vivendum eſt? abi ad plures. Illi te Reip. inſere quâ Deus & beati & patres tui continentur. Lege, ſcribe, deprome, quà licet privatum eluctare. Confeſſionum tribunalia te non admittunt? in domibus, menſis, colloquiis caſtum ac temperantem ages Sacerdotem. Anguſtè tenet conditionem noſtrã, qui in unius alteriusvè obſequii facultatem conjecit. In omnia nos Sacerdotium emiſit. Prælati officium non conſequeris ? Sacerdotis exerce. Sacrificium, meditatio, oratio, flagella, dolor, gemitus liberi ſunt, in quorum commercia totius mun-

Ejus materia.

Privatus Sacerdos ut publicus erit?

mundi salutem admittas. *Semper tibi occultè vel ad disciplinas, vel ad lachrymas, vel ad alia quæ citra hominis testimonium solus agere poteris, impone jugum dominicæ servitutis. Ex consilio Blessensis cit. c. 3.* Diœcesi, Parochiâ, & quod malè quæri, pejus inveniri solet, beneficio cares? Ecclesiam Catholicam quâ funditur, cubiculum quo clauderis, Diœcesim, parochiam, beneficium profitere. Mihi crede non ita beneficiatis est, ut etiam benè sit. Torquentur aut possessione aut voto. Qui nullum habuit, didicit non concupiscere. Illos experientia & sensus beneficiorum, ut fit in cæteris voluptatibus, in plura irritat & extrahit. Quanquam non usq; eo desertus es, à beneficiis, quorum à Deo immissorum quotidie pars magna circa te sonat & fluitat. Sed circumspice ne forte laborum ambitione laboraveris. Non vis nisi Præpositus, aut Decanus, aut Archi-Diaconus in Ecclesia laborare? nisi confertâ ad

plau-

plausum & scenam concione stare? nisi locupletibus & eruditis sedére, nisi Principi & Senatui studere, & ut ille ajebat, non omnibus vigilare, non omnibus dormire. At hoc est non velle militare, ut dicit Romanus ille, nisi imperator aut tribunus fueris. Alii primas cathedras teneant, satis est si te sors Domini in vicos & plateas & tuguria seposuit. Indè si non potes voce, exemplo ac manu Sacerdotem in bonum commune explica. Nunquam inutilis est bonus Sacerdos. *Sive prædices, sive non prædices faciendo confirmas, & imitari volentibus eum quadam delectatione ipsius possibilitatis inculcas inquit Prosper de vita Sacerd. l. 1. c. 18.* Auditu, visu, nutu, vultu, tacitâ obstinatione prodest & ipso incessu. Ut salutaria quædam, verto hæc in bonum Sacerdotium quæ ille civi imposuit, citra gustum tactumque odore prosunt, ita Sacerdos utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit: Sive spargitur, & patet in publicum,

Cic. de Nævio opinor.

Sen.

D. Prosper.

blicum, sive precarios habet excessus progressùsq; & cogitur vela contrahere. In quocunq; habitu est, prodest: Quid enim putas parum utile exemplum benè quiescentis? Optimum ergo Sacerdoti secedere in otium, cum libello in angello, ut ait Thomas Kempensis; aut rure cum Nazianzeno & Hieronymo; aut in cubiculo cum Chrysostomo exercitari, quoties actuosa vita invidiâ & ambitione, malignitate vel æmulatione aliorũ impeditur. Nusquam Sacerdos tibi usq; eò interclusa omnia sunt ut nulli actioni locus sit in otio, secessu, contemptu. Sed ecce adhuc D. Prosperi, vel quisquis auctor, contra ignavos Sacerdotes speciе religionis, monitum, qui ubi Justitiam virtutem socialem docuisset.

Contra ignavos Sacerdotes.

Ex quo videndum est inquit L. 3 de virt. & vit. c. 28. Utrum justè faciant illi qui se removentes ab occupationibus cunctis ac studiis spiritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt, & desideria sua commodis omnium præferentes, *utili-*

utilitatem communem desideratæ vacationis electione contemnunt. Cùm profectò laborantibus opem ferre nolle cùm possis, & communi bono posthabito, otiosâ quiete frui velle, nihil habeat æquitatis. Addit. *Sed quoniam sunt multi qui se impares tantæ sarcinæ nôrunt, tales justè se etiam quæsiti non offerunt ne videantur non Ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores ambire, cùm dignitas Ecclesiastica nec ambienda sit nec vitanda. Qui verò præesse & prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, justè seipsos percipiendæ sapientiæ tradunt.* Sacerdos in otio adhuc sapiens & scribendo utilis. Manebit proinde constitutum in animo illius, imitatione Crucifixi à juventute in laboribus usq; ad mortem exerciti, omni vitæ genere laborare debere & ea agere quocunq; projectus quæ profore credat. Nisi impares labori.

ACTIO III.

Adversorum Tolerantia.

Superiori digressu labores Sacerdotio affines atq; intimos distinxi & re-

& recensui qui sponte vi status nostri etiam nobis irritandi. Nunc mala exequar illa *Adversorum nomine* quæ in nos vel naturæ mortalis jure vel arbitrio alieno ac protervia vel nutu Dei jus habent. Hæc omnia magnanimus Sacerdos proponet meditatione Crucifixi toleranda, & per omnes casus illius animo hoc est patientissimo feretur. Vastæ mentis character fuit Alexandri Lazagini D. Carolo perfamiliari: quoties calamum primò sumebat in manum exploraturus, *uno ductu scribebat ter verba, Pati pati pati. Hadrian. Lyræus in Apophtegm.*

Sed in actionibus ipsis hæc inspiciamus. Si cum podagra, calculo, phthysi, lateribus, oculis, capite, dentibus Sacerdos habet aliquid aliavé valetudine, se Crucifixo dicatum Sacerdotem cogitet, in cujus corpore nil à dolore vacabat. Invade in ejus vulnera. *Hæc mi JESU vulnera & illa vulnera! ô qualia mea, quanta tua! Hîc dolores & isthic dolores.*

Quan-

Quanti illi quantuli mei! ibi tædia & hic tædia: quàm delicata mea, quàm severa tua! E ò se D. Francisci Salesii sensus extulit ut audit9 sic in hæc verba: *Nisi angeli invidere nequirent, procul dubio inviderent homini, pro quo DEUS pati voluit, & qui pro DEO pati potest. Adr. Lyr. cit. apoph. 3.* O vocem in patientiæ amorem erectam! ut ab ipsius Crucifixi disciplina deducta! Sudores, æstus, damna, ulcerationes, vulnera, morbos, famem, sitim, defectiones virium, vigilias, sterquilinia, carceres fore vota Cœlitum, si esse possent. Ad immortalium invidiam posse pati mortalem pro Deo. Et illis hos esse feliciores, quia infelices esse possunt. Quàm plena! quàm inconcussa! quàm solida beatitudo illos complectitur! & adhuc nostris calamitatibus beatiores essent; majora enim præmia apprehenderent, æternitatem majori gaudio quia post patientiam prorogarent. Tantum est pro DEO aliquid pati, pro quo Deus voluit.

Francisci Salesii.

Lyræus.

Qua-

Quapropter horridum & atrox non ſit ſi indicem patientiæ colligam & numerabo in bonis mala noſtra, in malis bona.

Prima adverſorum acies conſtat illis quæ corpus afficiunt & conficiunt. Morbus, fatigatio, laſſitudo ex itineribus, officiis. *Cardinalis Zbigneus Cracovien. Epiſcopus, morbum mortemq; contraxit ex rigore Quadrageſimalis jejunii, & labore circa officia Dominicæ Palmarum, ſcribente Gaſparo Cichocio Canonico & Parocho Sandomirienſi in Colloquiis eruditis ſuis lib. 2. c. 5.* Pituitæ & atræ bilis copia, languor ſenſuum, oculorum deſtillatio, ſapor corruptus, lectus ſomnusvè durior, phantaſmata noctis perturbantia, ſcriptio lectioq́ue & indè deminutus vigor.

Patiendi materia latè prolata.

Cardin. Oleſnicius.

Secundo loco occurrunt. Injuriæ moleſtiæq́ue à creaturis irrationalibus inflictæ, ut æſtus, frigus, humor, venti, ſiccitates, arenæ, pulvis, lutum, pulices, muſcæ, equorum vitia, & cæterorum animalium quæ in uſu

domeſti-

domeſtico indocilitas, & damna ab iis data.

Tertius ordo quæ ipſum animum ferire ſolent & ſuccutere. Ignorantiæ, errores, diſtractiones & inconſtantia cogitationum, lapſus memoriæ & judicii. Subiti paſſionum motus, iræ, ſuperbiæ, ſuſpicionum, inclinationes ad peccandum, peccata etiam prout illorum frequentatio vel memoria conſcientiam affligit. Amor, metus, gaudium, triſtitiæ, prout animum ſine peccato adſtringunt, ſolvunt, turbant. In confesſione peccatorum ſæpiùs repetitorum confuſio, etiam venialium, & victoria illius cogitationis quæ ſuggerit ut mutes Confeſſarium ad vitandam confuſionem. Torpor & tepiditas in ſpiritualibus, ariditas in oratione, horis, ſacrificio. Diſplicentiæ tibi obortæ ex concione vel actione aliqua vel officio publico non ad tuam ſpem feliciter à te peractis. Mœſtitia item timorque de relapſibus pœnitentium.

Quartò proponuntur ea quæ in peccatum deducere solent aut possunt. Tentationes contra vota Sacerdotisque obligationes; contra fidem, imaginationes ex visis casu aliquo vel in conversatione humana; auditis in confessione. Nocturnæ diurnæque phantasiæ, & indè orta mentis quædam caligo.

Quintò statues quæ percellunt ex variis hominum conditionibus occasione sumptâ, quibus cum necesse est versari. Conditiones inquam, ut sunt cholericæ, phlegmaticæ, sanguineæ, melancholicæ, importunitas visitantium, rogantium, scribentium. Pauperum sordes, platearum hospitalium fœtores. Nobilium cærimoniæ, fœminarum garrulitas, convivarum mores. Concionatorum, si longior, si extra propositum, si non ad mentem, si clamosus, patientia & reprehensio pressa. Juvenum levitas, lentitudo senum mores diversi confitentium, consulentium, scrupuli querulosorum,

rum, angustiæ. Domesticorum negligentiæ, furta, damnosa obsequia. *Thomam Oborscium auriga incautior curru effuderat: graviter solo afflictus hoc solum dixit: Malo dominorum aurigas esse qui collaria longa sciant exigere, vehere nesciant.* In vita. Th. Oborsc.

Sextò huc accedunt. Calamitates publicæ Regnorum & Ecclesiæ. Scandala à Sacerdotibus, Religiosis, Parochianis cæterisq́; data. Doctorum à fide defectiones, concionatorum, confessariorum, ignavia & tempor. Sacrorum templorumq; contemptus. Peccata quorumcunque ordinum publica, probra in Clerum scripto dictoq́;, accusationes item & lites cleri. Regnorum Christianorum discordia, eversiones, incendia, pestes, fugæ. Abductiones captivorum, mortes infantium sine baptismo, Adultorum sine pœnitentia.

Extrema cohors sed longè prioribus infensior & infestior, patientia judiciorum & quæ à linguis homi-

nium nobis infigi solent. Seculari-um vel aulicorum convicia, sinistræ majorum suspiciones, item à mulieribus formatæ & vulgatæ. Patriæ generisq́; exprobrationes. Repulsæ locusq́ue inferior additâ verborum contumeliâ. Verùm inter singularia accipies patientiam judiciorum humanorum. Hic nimirum aries est, quo robusta alioqui virtus in vulnus aperitur. Plurimis in cætera adversa firmitas constitit, adversus judicia privata, fuit impar constantia.

Sinistra judicia tolerare, rarior virtus.

Stoica secta satis elaboravit, multa in solatii vices eorum, quos graviùs talia acerbiùsq́ue judicia pervadunt. Seneca lib. Quòd in sapientem non cadit injuria protulit hæc. *Materia petulantibus & per contumeliam Urbanis detrahitur, si ultro illam & prior occupes. Nemo risum aliis præbuit qui ex se cepit.* Hoc est, inspice quæ in te ridenda sunt & irrideri beniguiùs feres. *Adjice quòd genus ultionis est, eripere ei qui fecit, contume-*

Stoicorum contra hæc disputatio.

lia

lia voluptatem. Solent dicere: Miserum me! puto non intellexit. Adeo fructus contumeliæ in sensu & indignatione patientis est. Hoc est, non vis sentire contumeliam, non puta irrogatam. *Deinde, non deerit illi aliquando par, invenietur qui te quoq; vindicet.* Quæ præcepta quàm imbecilla sunt & splendida magis quàm fortia!

Ride te, inquiunt, prior ne ridearis, utque rideri fortiter feras. *Imò species est ignavi metûs, Ridere ne ridearis, ac vitare potiùs volentis quàm perpeti injuriam. Deinde quis non judicet? faciliùs à se impetrari patientiam sui ipsius. Alieni oris & mentis judicium gravissimè interpretari solemus.* Refutatur cum suo Seneca. *Inter res suas etiam vitia & infamiæ materiam haberi: ideo unicuiq; licêre domi usq; ad contumeliam secum & de illis loqui & contra illa. Par jus externo nulli concedi. Indè oritur, quòd non* Ratione. *potest non ferire Risus alienus, post meum & à me cœptus.* Sed alterum venditant. Non vis sentire contume-

liam ne senseris illatam. *Præclara ex supercilio Stoico vanitas, quæ robur omne patientiæ virtutis subnervat. An enim non illa virilior est patientia? quæ acriter intelligit, in partes injuriam dividit, singulas tractat & adhuc tolerat? Non hominum, saxorum aut amentium laudatis patientiam, quorum corpora utcunque lassus verberes, sicut extra sensum ita extra injuriam. Quare autem mutâstis doctrinam & vocem illam? Nulla virtus est perpeti, quæ non sentias. Verus patiens volo injuriam sentiat, intelligat, volo insuper voluptatem convicianti cedat.* Eadem de fuligine illud: Erit inquiunt qui te vindicet. *Indignum solatium pati ut contumeliæ tuæ sit alius vindex & tortor. Si turpe teipsum vindicare, turpius est alio ministro, ad quem nullâ lege injuria tua pervênit. Hoc nimirum est in plures iram incendere, ac velle irasci non offensos.* Quàm sincerè quàm excelsâ sapientiâ hæc Augustinus evicit! *Quid enim tibi prodest quia exigis injurias quas pertulisti?*

Et ipsorum disciplinâ.

Augustinus.

Ultio

Ultio te reficit? Ergo de malo alieno gaudebis? Passus es malum? Ignosce ne duo mali sitis. Enarratione in Psalmum LIV. Non negaverim talibus sapientiæ ludibriis animum mœrentē palpari, & quasi subditâ auribus adulatione permulceri, sanari posse nego. Quare jungo sensum Sfortiæ Pallavicino Cardinali. *Serta de speciosis argutiolis tanquam de flosculis Senecam frequenter admirabilitati concinnare. lib. 1. Ethicorum c.16.* Pallavicin. de Seneca.

Multùm de Christiana patientia meruit Justus Lipsius, cùm diebus ultimis formosa & intuta hæc mutavit. Et Lipsius ipse. Senex & sapiens à quodam ex rugatis istis Philologis de Apathia Stoica admonitus, *vana hæc, inquit, sunt: & mox in Crucifixum digito perducto: En vera patientia.* In vita. Ita est in Cruce & de Cruce vera & salutaris discitur patientia. Incides Sacerdos in atrocia hominum judicia. Cinget te æmulorum livor & in sua subsellia protrahet. Præjudicio item alienæ infamiæ oneraberis, at-

que cæteros in argumentum vitæ morumq́; tuorum patiêris. Stringentur illæ voces ac bonam opinionem perditum ibunt. *Nemo ex hoc genere & gradu aliter vixit, dixit, scripsit. Nota mobilitas talium ingeniorum, & audendi quidvis licentia, inquies item ac semper in motu novandi calor. Hîc illum destituit favor, hic ille favorem, ita suo in fastidio inconstans. Pridem fortunæ alicujus stationem tenuisset, nisi mallet insita levitas per varia lassari. Quid? quòd Diæcesis illa hominem ferre non potuit? exire compulit beneficio, publicus sermo honorem vitiavit.* Quid si invidiâ consentientium vel errore valida lex, & ut vocant Capitularis, conditionem tuam è sui medio proscripsit, & cum Vatiniis composuit? Si procacibus literis in nomen tuum sævitum est! si docti & Religiosi infamiæ auctoritatem dederunt? Hæc & quæ unumquemq; Sacerdotum consauciant in unum dispectum animi loca, & cum Crucifixo compone. Aspice ut judiciis

Materia judicantium malignè exponitur.

diciis malignis Principum, Doctorum Sacerdotum agitatus! *Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Joan.* 8. Rectè se judicare asserunt, neq; sententiæ malitiam subesse aut errorem. Vitium in Religione ac fide, tum nefanda dæmonis commercia imponunt. Neq; satis rati ita secum ipsos decrevisse, vulgi judicia interrogant, & appellando, populum firmare contendunt. Nonnè benè dicimus nos! nos, non vulgus in quo impotentia, mutabilitas, sævities, ignoratio. At in causæ progressu quantùm judiciis efferbuêre?

Medela doloris hujus à Crucifixo.

Nonnè benè dicimus nos: explanatur.

Nisi hic malefactor esset, non tibi tradidissemus eum. Scilicet sanctitatem suam victam sceleribus rei, invitos ad Præsidem & præsidium justitiæ accessisse. Non potuisse tolerare malefactorem ampliùs, qui miseratione populi consumptâ, misericordiæ Sacerdotali vim fecisset. Non esse sui moris, suo officio ac legibus esse alienum damnare homi-

Et iterum: Nisi hic malefactor esset;

nem; cæterà in istius criminibus omnia legitima confundi. O linguas! ô judicia! ut in latrocinii pœnas, sanctitatem & justitiam nostram ejecistis! Minor erat iste ferocitatis terminus; jam miserum & afflictum, jam opprobria plura & vulnera numerantem quàm hostes iisdem judiciis perdiderunt in Cruce, quibus ad Crucem pertraxerunt. Disertè D. Augustinus quàm graves linguæ Domino fuerint. Inquirit primò, quare D. Joannes dixerit, *horâ sextâ Crucifixum* Joan. 19. D. Marcus *horâ tertiâ c.* 15. Respondit quanquam non ad historiam & literam, tamen in nostram intentionem. *Non est prætermittendum quia venit in mentem, ne fortè perturbet aliquem lectio Divinorum librorum. Quidam Evangelista dicit, horâ sextâ Crucifixum Dominum, & quidam horâ tertiâ, nisi intelligamus perturbamur. Et jam incipiente horâ sextâ dicitur Pilatus sedisse pro tribunali: & re verâ quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat.*

Dominus priùs judiciis quàm ligno Crucifixus.

Ex Augustino.

erat. Sed alius Evangelista intuens animum Judæorũ, quia volebant se immunes videri à morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens: Dominum horâ tertiâ Crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis, quanta agi potuerunt, cùm apud Pilatum Dominus accusaretur ut crucifigeretur: invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt, Crucifige, Crucifige. Ergo veriùs illi tunc occiderunt quando clamaverunt. Apparitores potestatis horâ sextâ crucifixerunt, prævaricatores legis horâ tertiâ clamaverunt. Quod illi manibus horâ sextâ, hoc illi linguâ, horâ tertiâ. Rei magis isti qui clamando sæviebant, quàm illi qui obtemperando ministrabant. Ipsum est totum acumen Judæorum, hoc est quod pro magno quæsièrunt. Occidamus & non occidamus. Sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. Exacuerunt tanquam gladium linguas suas. Comparavit S. Aurelius linguas & judicia Judæorum: Nos habemus inquiebant, legem & secun-

ſecundùm legem debet mori, quia Filium DEI ſe fecit. Non fecit, ſed probavit quòd eſſet. Comparavit, inquam, judicia Judæorum, ferro, vulneribus, Cruci, nec minùs hâc quàm illis Crucifixum. Diſcamus Sacerdotes vilibus de nobis judiciis valorem ponere ex patientia Crucifixi, & ad ejus formulam contra linguas remedia educere non ipſa judicia ad noſtrum vocare, media ſint an ultra modum, conjuncta majori injuriæ an ferendæ? induta cauſis an cauſarum perſonis? nocuerint an nocere voluerint. Magno auctore an vulgari in paucos an turbam jacta ſuſtentataque? *Nemo ita cordialiter ſentit Paſſionem Chriſti, ſicut is cui contigit ſimilia pati ait noſter Seneca L.2. de Imit.Chriſti c.12.* Sacerdotes Patientis Domini ſumus, Patientes eſſe oportet.

Sed ingenti animo proferamus adhuc arma patientiæ Sacerdotalis, & vitâ longiorem limitem illis agamus. Minus putemus quidquid aſpe-

asperum, turpe, injuriosum vivos infestare potuit. Immittamus manum in tempora non nostra, & in meritum nostrum retrahamus. Praeripiamus eâdem virtute sententias, quae nos à morte ipsa violaturae expectant. *Genus miserabile mortis contingat, sine aditu aliquo morborum mors includat, subitum frigus membra & animam resolvat, elisâ cervice praeceps vel supinus extrema accipies, aequum priori fortunae ac vitae fatum in risum & sermonem feretur. Incides etiam in hostium misericordiam dolentium aut serò vixisse aut miserè. Ibis deminutum per ora cadaver & solùm ad exitium famae supereris. Scripta, labores, ingenium, gesta maligniùs viliùsq; interpretantium judicio everrentur.* Tu ad primum patientem Virum dolorum te proripe. Ille à Cruce securus, sepulchro tranquillum & innocens funus jacebat, & adhuc seductor in curia judicabatur. *Altera autem die quae est post Parasceven, convenerunt principes Sacerdotum &*

Paranda voluntas tolerandis judiciis post mortem.

Ita Dominus à morte passus

Pharisæi ad Pilatum dicentes. Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens. Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usq; in diem tertium: ne fortè veniant discipuli ejus & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis & erit novissimus error pejor priore. Matt. 27. Perpende ut ipsi ejus discipuli fures! ut impostores, ut audaces! quæ in Dominum omnia convicia defluebant. Non dubita plurimùm te ad imitationem Crucifixi meriturum, si vivens adhuc pro similium tolerantia te submittas. Ita nos Dominus instituit, ita ad istam merendi cupiditatem erexit.

Jure famæ dũ vivim9 cedamus tanto exemplo.

Postremò ne semper ex aliena censura timidi pendeamus, & ad singulorum linguas perhorrescamus, mihi tibiq; Sacerdos præceptum semel scribo & indico. Quodnam sit adeo celebre quæris? Nobile, celsis dignum Viris, & nostris lateribus. *Jure famæ suæ in futurum unâ vice renuntiare.* Scio istud in amoribus & usur-

usurpatione fuisse piis Sacerdotibus, neq; rem in contemplatione solâ sitam. Nam sicut cætera quæ circa nos ponuntur bona, juris nostri potestate continentur, quam stringere vel remittere liberum sit domino; eâdem lege famam possidemus. Nemini fas illam contrectare. *Ex defectu dominii in famam alterius, iudicium temerarium ex genere suo, ajunt Theologi, & per se loquendo, esse injuriosum & mortale. Proximus enim jus habet ne de se alii malam opinionem concipiant sine causis sufficientibus.* Illo si jure pro amore Crucifixi cesseris, volenti & consentienti, quantùm in te est, non fiet injuria: modò per tuum consensum non fiat aut tuo ordini, aut proximo injuria & detrimentum. Itaq; nisi rationes charitatis publicæ postulent, nunquam in famæ nostræ vindicias verbo scriptoq; accingemur. Non ut bonæ famæ studio abeamus: sed ne læsam vindicare, pro communi jure cujusq; ad famam suam, sit voluntas.

Cujus dominium habemus.

Volenti non fiet injuria quantum in te & per te.

Manu-

Actione contra detractores resignatâ.

Manumittemus quæ jus famæ & dominium sequitur, & Crucifixo libenter consignemus, actionem in detractores: perferamusq́; veluti rem expositam sub hasta, quam cuilibet versare, demittere, & ex libitu æstimare liceat. Aut sicut bona derelicta quæ sine injuria occupantur, nemine qui repetat, qui intercedat, curam litemvé agente. Quotidie aut occasione datâ ad Crucifixi aures sic perorare licebit.

Hâc vel consimili formulâ.

Domine mi in amorem meum Crucifixe, cui tot suspiciones, dubia, judicia perferre placuit Sapientiæ & Sanctitati infinitæ, cùm impedire scires & posses. Amore tuî judicia & quæ ex illis evenient mihi incommoda fortunæ, honorum, alterationes corporis, insomnia, contemptus, irrisiones, libellos famosos pati ex nunc est in animo. Præterea cedo omni jure quod mihi dedisti ad meæ famæ defensionem, ita ut nisi aliud proximi vel Sacerdotii mei dignitas ad tuum honorem prudenter & sine alio affectu privato judicando exigat, illius læsionem à nullo

à nullo repetam per me vel alium : & quantum potero obsistam, ne quidquam detractori meo, aut scriptori, aut viliùs æstimanti, jacturæ ideo eveniat vel incommodi. Neq; solùm istud ratum esse volo propositum, quoad ea quæ afficient viventem : verùm ejusdem tuæ patientiæ amore & reverentiâ, etiam post mortem meam in me dicenda, agenda, statuenda, sincerâ voluntate & tibi soli notâ dedo, & in hæc vulnera, meritorum meorum refugia, condo. Sit tua unica gloria ex mea infamia omni, dum vivo, dum moriar. Quàm promptus & lætus istâ præparatione omnia sinistra de te judicia humana audies? Quâ fiduciâ apud Crucifixum ages? quàm securam mortem & exemplo Domini futurorum providam morieris? quàm plenus meritis hâc vitâ exibis? Mihi quidem quantum capio & sapio occurrit : frustra de tranquillitate ac vita beata audire & legere eos, quorum interest benigna experiri judicia : item qui publicis honoribus funguntur, invidiæ ac ju-

Nec aliud cæteris remedium contra Judiciorum vulnera quàm istud.

diciis variis censuræq; expositi: deinde eos, quos nimiùm hæc judicia humana configunt, aliis remediis distrahi, nisi ita se Crucifixo componant, ita jure famæ exspolient.

ACTIO IV.

Molestiæ corpori adactæ.

ECclesiasticam & pro nostris usibus fecit quæstionem Durandus Mimatensis Episcopus. *Cur in canone nulla fiat Confessorum commemoratio, cùm inter sanctos eorum memoriam magnificè veneretur Ecclesia? Causa hujus, inquit, commodissima videtur, quòd in hoc Missæ sacrificio, per quod Domini Passio repræsentatur, nullorum rectiùs potuit fieri memoria quàm Martyrum qui sanguinem pro Christo fundendo, facti sunt Passionis Christi veri imitatores. L 2. de Ritibus c. 35.* Martyres itaq; soli in Missali libro ad altare recitantur, tanquã Domino Crucifixo & mortuo cognati & affines. Eo scilicet more qui est, ut majori cultu prosequamur conjunctiores sanguine Principi.

In Canone solùm mẽtio Martyrum. Dur.

Memo-

Memorabis itaque illos & meditatus referes Principes tuos Apostolos Petrum & Paulum cæterosque non sua morte mortuos. Ibi leges fortissimos Antistites, & Presbyteros, Marcellinum Presbyterum ex tuis Christianâ libertate magnanimum, Laurentium Diaconum in pauperes effusum, Petrum Exorcistam in eo gradu Gentium magistrũ. Ibi meam ad tanti amoris flammas ignaviam suscitabo, ibi inter illa cadentium corpora, mundo & carni emori solenne votum & officium, ibi dura & aspera declinâsse, dolor & pudor erit. Ibi delicatum esse detestabor inter illos, quibus mortes inter delicias habitæ & per tormenta quæsitæ. Pari intentione sancta Catholica Ecclesia hoc sacrificium altaris initium Martyriorum appellavit. *Sacrificium à quo omne Martyrium sumpsit exordium. In orat. secreta Feria IV. ante Domin. Lætare.* Hujus enim sacrificii sumptu & haustu incensi Martyres cæteriq; sancti

Hinc celebrantium commonitio idonea.

Sacerdotes, flammas, ferrum; cruces, tormenta expetebant. At ego de me queri debeo, Sacrificium hoc nullam in me partem martyrii relinquere. Præterfluere ora Christi sanguinem, cùm iisdem, vana, ludicra, fœda effluant. Viscera jam à tot Sacerdotii annis Virgineâ Domini carne penè impleta, eadem adhuc in libidines patêre & corrumpi. Illum Regem Martyrum nulla hucusq; in meis moribus stipendia mortis suæ legere, qui nullâ non die mortem ejus sacrificio incruento repetam?

Ad Martyrium affectum pravorum.

Primam verò sedem in Canone ante Martyres accepit, Beata Virgo & Mater tanquam Regina Martyrum. Certum enim videtur, à die quo cœlesti ex formulâ salutata est Mater DEI, cum tanto unà honore inter cruces jam constitisse. *Crucifixa Crucifixum concepit. Ordinavitq; summa Sapientia DEI, quòd eadem die concepit quo etiam passus est ait D. Bernardinus Senen. t. 3. sect. 6. art. 2.* Ab illa fausta & utriq; mundo auspi-

B. Virgo Regina Martyrum dicta.

cata luce Maria in suam & Crucem Filii consensit. Ab illo tempore tanquam Filium amiserit, gladium non summum accepit sed per intima hausit. Vidit enim in Filio sua viscera distrahi, sua violari membra, suas vestes sub jactu militari vænire, alieno tumulo pauperem inferri. Ah! ut vidit! ut periisset! neque periit, in tot lacerationibus viriliter matrem & fœminam gessit non exuit. Non muliebriter flevit, non remedia quæsivit, non cœlum, aut quod crudelius mortem, aut quod humanius, amicos invocavit. Non de conditione questa, aut sexu. Omnia vitia dolentium & amantium abfuerant. Aluit educavitq́; læta in crucem tanquam triumpho infantem efferendum. Deniq; funestæ mortis præludia; contumelias, probra, insidias, irrisiones adulti secuta, mox captum in tribunalibus palàm Filium professa, sub Cruce se erexit in Matrem. An sub illa trabe corpore dilecto onusta? an in funere

manibus suis effuso? Tot vulnera oculis & dolore admensa, consumendam se dedit, animo vel corpore collapsa? Stetit par tanto malo superstes, quo emori cæteris matribus felicitas fuisset. Loquentem ore Abbatis Ruperti in 1. c. Cant. audi.

Rupertus. *Non tunc quidem gladius animam meam pertransivit, longum per me transitum fecit. Prophetissa namq; eram, & ex quo mater facta sum, scivi illa passurum.* Quid ergo tu Sacerdos sumptam ex dolente Virgine Matre carnem Domini in altari quotidie accipies, & in nullam ærumnarum partem transibis?

Transibimus certè, si, quoniam tyrannorum desunt tempora, ipsi lene tormentum ultrò affligendis corporibus admoveamus. Hoc erit Martyria illa degustare, quâ parte concessum est, à manu propria & mandato suo. Hoc erit sacrificii istius à quo omne Martyrium, attrahere in se vim & consortia. Video hic D. Carolum Borromæum jam vestes

Ideo D. Carolo flagellatio sui,

vestes ponere, & honestiùs in suam, quàm Purpura Cardinalitia rubescere. Audio sævientem in se innocentiam & flagris in opprobrium & dolorem iratam. Hæc sponte suo corpore suscipere solenne isti erat, & in recessu montis Varallii ad imagines patientis Domini, præcipua actio. Fallimur si omnino gloriæ Martyrum nos subducimus. Martyres illi sunt quòd testimonium Christo ejusq; fidei & charitati, vulneribus, sanguine, morte dederint. Nos ultrò trunca membra & cicatrices Crucifixo Domino feramus. *Etsi in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subjicit mihi persecutor ignem, sed subjicit mihi desiderium Salvatoris. Aug. Serm.* 30. *de SS.* Excitabimus in nobis quietam hanc & sine sanguine persecutionem atq; nostri seculi. Vitia nostra hostes sunt Crucifixi, libido, cupiditas, superbia. Hos contra dome-

sticis & civilibus armis attollamur, & ut mancipia flagris contemptibilibus exagitemus. Non sit ullus aut rarus dies qui doloribus Domini sui non doleat. Ita ulciscêris quotidie si quid ab amore DEI & Crucifixi tepuisti, si oculo, manu, linguâ liberiùs incessisti, si irâ invidiâq; provectus es, si te in latus mundi affectus inordinatus deduxit.

D. Maximo Rhegiensi Episcopo Cilicium placuit ut Crucifixo placeret. *Teneros artus sui corporis perpetuâ cilicii asperitate domuit, quo pro interiori tunica utebatur, nec id unquam Crucis studio deposuit, sed in illo etiam se studuit sepeliri. Verba sunt Dinami Patricii apud Har æum XXV. Novembris.* Neq; Recentius Sacerdotium gloriæ hujus vacuum fuit. Matthias Pstrokoriski Plocensis Episcopus, primo die consecrationis suæ cilicium indutum, integro triennio portavit. Asper iste cultus est Sacerdoti, verùm levabitur illis Davidis verbis in personam Domini dictis.

D. Maximo cilicium.

Et Matthiæ Plocensi Episcopo in usu.

Ego

Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio Ps. 34. ex Hebr. S. Hieronymus reddit, cùm infirmarer ab eis induebam cilicium. Quo loco etsi non constet Domino fuisse usum cilicii; *Et quidem cilicium ejus non agnoscimus in Evangelio secundùm literam inquit Aug. hîc concione secundâ.* Commodè verò explicari potest cùm Commentario Parisiensi Psalterii quintuplicis, de pœnitentia internâ & dolore Christi Domini quo severiùs sanè quàm cilicio affligebatur, dum pro hostium peccatis pernox oraret. Nihil tamen obest quin ita verba hæc accipiamus, ut dicamus Dominum in animi præparatione, si ita ad conversionem opus fuisset, cilicium non exhorruisse, sicut ipsam mortem desideravit. Igitur sensus videtur esse Psalmi. *Cùm me tot molestiis afficerent, cùm gloriam nominis mei infirmare & evertere contenderent, ego autem non paria refundebam; sed partim interno dolore ad tantã malitiam ardebam, partim paratus eram ad*

Hier.

Domini cilicium, dolor internus,

Vel in animi præparatione,

ad illorum salutem exui vestibus & cultu qualicunque, pauperem asperumque induere, ac in cilicio & cinere contabescere, jejuniis perpetuis affligi, si id profuturum vidissem. Habes indè, vitam Domini communem & humanis accommodatam moribus, fuisse ex ingentis charitatis erga nos motivo susceptam; duram verò ultro depositam ac omissam; quòd prævideret, illâ quidem seminùs apud superbos & avaros, & invidos effecturum, hanc captandis peccatoribus & delicatis magis idoneam, & gratiorem. Hujus Domini tantæ tamque incensæ voluntatis tu Sacerdos fac experimentum, indues cilicium interdum, sentiesque quid ille amor tunc sentire voluit. Atque primum tempus cilicii statue festos, quibus ex honestate clericali vestem mutare soles, & commodiorem accipies. Alterum, quando officio poscente copiosiùs aliquantò vestiendi erit decentia: desit enim splendor tuæ vesti, pretium & fimbriarũ vanitas. Præcipuum: quando linguæ hominũ inces-

Domino vita communis ex charitate.

Tempora cilicii.

incessent, aut internæ tentationes invadent. Tunc intima corporis tui in cilicio feres, in amorem videlicet & exemplum doloris illius, quo pro inimicis, pro te ipso acerbiùs quàm omne cilicium perstringat, sauciabatur.

Sanctus Justinianus Patriarcha Venetus tomento paleari corpus declinabat, si somnus poscebat. *Erat cùm ægrotanti, manus amicorum lectum permutârunt: quibus ille: Mihi-né plumas paravistis? & manu ad imaginem Crucifixi porrectâ: En Dominus meus in durissimo lecto quietem captat! Haræus in vita. VIII. Januarii.* Ecce Sacerdotem Heliogabalum, cui plumæ, spina, palea, rosæ. Durissimum lectum dixit Domini: at ipsi Domino tam gratus erat quam verni flores. *Lectulus noster floridus, inquit Cant. 1.* Ambrosius ex LXX. in Psal. 118. Acclinatio nostra umbrosa & opaca, statimque de Cruce explicat: *Si quos adussit libido, hos Domini Crux refrigeret in qua se reclinavit.*

Durus lectus S. Justiniano.

Lectulus noster floridus: exponitur Ambr.

Tantus

Tantus amor erat dirissimæ Crucis, ut veluti æstivâ umbrâ sequeretur. Tam benè inter cadavera crux posita olebat, quàm hortus, lilia, flores.

Adverte illud: Dixisse nostrum, non meum: ut communem lectum sibi & aliis notaret. Uti durus & asper Domini, ita Sacerdotis esse debere, & ipsâ duritie mollem. Nega tibi Sacerdos Crucifixi, delicatos & exquisitos pulvillos. Indignum castitate nostrâ putaveris, illâ hâc muliebri indulgentiâ incestari, & tantò magis si profanæ manus thorum effeminârunt. Somnum nostrum in exercitationis partibus accipies. Erit tibi tanquam vigiliarum præfecto, aut in excubiis relicto militi statio, ex qua tu promptè excutiare. Continget ut ad subitos morientium casus nocte vocemur. Quâ facilitate assurget Sacerdos, qui excubias salutis alienæ non putat quietem suam? cui crapula soporem non necessitas inducit? cujus firma latera valetudine seniove intacta tanquam cunis mollities circumfudit?

Manus alii in Crucem latè eductas oraturi erexêre. Divum Ambrosium Paulinus epistolâ ad sanctum Augustinum, scripsit hoc gestu moriturum orâsse. *Ad Dominum, ab hora circiter undecimâ diei, usq; ad illam horam quâ emisit spiritum, expansis manibus in modum Crucis oravit.* Impetrandi fiduciam nasci indè S. Maximus hom. 2. asseruit. *Tunc citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* At D. Asterius eo situ orantem ait Crucifixum etiam affectu gerere & exhibere. *Serm. in c. 8. Lucæ ad illa D. Pauli verba: Levantes puras manus. 1. Tim. 2. Rectas, inquit, tendere in cœlum manus, formam est exhibere Christi Cruci affixi. Si verò oret & orans placeat DEO, non modò in figura Crucem repræsentat, sed & affectu.* Attollet manus Sacerdos privatim ita in Crucifixi amorem & figuram compositus. Audietur faciliùs qui corpore & animo Crucifixum quondam inter dolores

Alis in Crucem ductæ manus.

Ex affectu in Crucifixum.

Crucis

Crucis adhuc orantem expansis manibus in conspicuo cœli totius producet.

Non laborabo in materiam propè infinitam me inserere: quis te relinquet tacitum vir Beate Swentoslåe! gloria Sacerdotum quos in Cracoviensi circo domicilium commune collegit. Mansionarios inter, illum sua sanctitas deposuerat, & pariter simplicitas, at quantùm in illo ordine ordini nostro contulit? Orationem & silentium cognatas virtutes familiariùs habebat, quàm nos in otio & solitudine. Quotusquisque enim nostrûm qui horam orationi, eandemq́ue garrulitati tribuat unam? Ita cum DEO & vulgo parum loqui piget, tædetq́; momentum DEO dare, foro, mensis, angulis dies non dare? Est templo Cracoviensi Beatæ Virgini Matri sacro Crucifixi imago quæ vetustatis secula aliquot habere videtur. Materia illius unus lapis, & quod meritò commendes totus & integer, statura

B. Suentoslai elogium.

Oratio & silentium.

Quæ nobis rariora.

turæ corpus & Crucem ipſam ſolidè fundavit. Magnitudo Virum extenſum continet. Facies gravis & in mœſtitiam ducta, atq; ut morientium ſunt, neglecta. Aſpectus totius vultûs ſeverior tanquam peccata intuentium exprobrare paret: temperata nihilominus ſeveritas veluti metuentes unà advocet, deſertq́; ſuas in amorem ſi contempleris illecebras. Os quale extremo cum halitu pugnantium, dentibus ad labia aperta paulùm exeuntibus. Caput ad menſuram corporis perfectum, in pectus aliquantum labitur. In tres clavos tota moles nititur, manus in longum protractæ, reliquum pondus rectà in imum devenit, niſi ubi genua & plantæ clavorum pertinaciâ ſinuantur, deſcenſumq́ue ſiſtunt. A diligenti ferro opus exiviſſe conſtat ita omnia quæ corpus humanum ornant & continent artifex pius preſſit & expreſſit. Hîc Suentoſlaus orationem & ſilentium includere, noctes diesq́; Crucifixo

Crucifixi in circo Cracovien. deſcriptio. An. 166[illegible]

Hic Suentoslaus nudis genibus orare & silere altùm.

cifixo cogitando addere, nuda genua deponere, rigorem hiemis & ſaxorum duritiam pariter tolerare. Hic locutus nulli, nullum allocutus adeo ſeverâ taciturnitate vocem ſibi Crucifixus exemerat, cui ſolus interea diſertus erat. Ah! quorum Sacerdotum ora & riſus in templis non adſtringit Crucifixi effigies! vox, clamor, cachinnus & templo alia inſolita, alia infanda. Vix genua dejicere & caput declinare, oculis per fortuita vel grata petulantibus.

Atqui hoc fine orientem verſus Crux in Eccleſia ſtatuitur, ut qui à porta templum ſubeunt ſeu Sacerdotes ſeu populus moneantur ad ſilentium & modeſtiam. Orantem item in Cruce Dominum recordarentur & ſe ad parem reverentiam pararent. *Cùm in Cruce penderet, ait S. Joan. Damaſcenus l. 4. de Orthodoxa fide c. 4. facie ad occaſum versâ proſpexiſſe: eoq; nomine ita adoramus, ut eum obtueamur.* Ex quo ſua Dur. l. 1. de

Rit.

Rit.c.3. accepit. Discamus Sacerdotes corpori in Ecclesia non indulgere, si durior in sacris mora Crucem aspectare. *Cùm primùm, inquit Durandus, in ædes sacras accedimus oculis nostris oppositam Crucifixi effigiem proni facie ad ipsum conversâ, Christum versùs orientem adoremus.* Adoremus in templo & imitemur, & templi molesta ita temperemus.

Generale sed adultæ patientiæ monitum D. Nerius exseruit. *Servo DEI, inquit, maximam esse Crucem, carêre omni Cruce.* Nos crucem putamus carere honoribus, & per tacitum ignotos vivere. Crucem si non ex facili fluant omnia. At servo DEI, Sacerdoti nimirum cui solus DEUS cordi & solius cor DEI, cui semel hæc formosa & frivola mundi ejecta, qui alienâ fortunâ anhelare nescit, cui altare & castitas quâ Sacerdotio conjungimur in cura & cultu, Crux vera carere omni. Carêre molestiis, adversisque. Crux si nihil patiatur, si ab omni vulnere

D. Philippi dictum de Cruce.

Quæ est omnium temporum.

aut morsu saltem diem vel horam duxit. Crux si cùm illa non adest eam non provocet. Quanquam non ea est patiendi inopia ut requiratur. Invenies quod per omnia membra à teipso patiare. Lingua, oculi, aures, manus, pedes, instrumenta Crucis sunt, si deflectas, si frenes, premas, si excutias, si fatiges.

Omnium sensuum.

Postremò mihi tibiq́ue Sacerdos persuadere velim ipsum perfectionis & sanctitatis studium maximam Crucem esse, ut si per vires non liceat & curas tuas carnem afficere, totum laborem conferas in spiritûs Crucem consectandam. Hac de causa Crucis signo inter cætera Ordinationis mysteria initiamur, ut quantùm facultatis DEI gratiâ concessum nobis senserimus, Crucem Domini, quâ omnis peccati macula abolita est, in animo effingamus: peccata in nobis & affectus ad illa, etiam venialia sint, interimentes. Adscribam hîc Divini Areopagitæ Dionysii verba pro nostra hac actio-

Et in puritate conscientiæ sectanda Crux.

ne. *Signum figurâ Crucis impressum significat, omnium simul corporis cupiditatum cessationem, Divinaeque vitae imitationem, quae constanter humanam JESU Divinamque vitam intueatur, qui ad Crucem usque & mortem cum Divina non peccandi privatione venerit. Eosque qui ita vivant, ut similes imagine similitudineque suae à peccato libertatis, quae Crucis speciem praesefert, insigniat. Dion. L. de Ecclesiastica Hierarchia c. 9. ubi de mysteriis consecrationum quae sacros ordines attingunt.* Notemus Sacerdotes mysteria & verba. Cruce initiamur, ut corpus cessare à suis cupiditatibus faciamus. Cruce initiamur, ut soluti carnis desideriis & velut in altum ab illis elati, DEUM JESUM & hominem intueamur, & vivamus illius moribus usque ad mortem firmi, ac mundo vocanti ad sua, obstinaces. Cruce initiamur, ut hoc signum sit argumentum, nos à peccato esse liberos, & quò magis Sacerdotes sanctitati & perfectioni student, magis quoq; à seipsis pati. Ex D. Dyonisio.

ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex Moribus & Cultu Crucifixi

LIBER VI.

Seu

Dies constituti.

ACTIO I.

Feria VI. & Dominica Passionis religiosè habita.



Iversis officiis Feriam sextam Sacerdotes sanctam habuêre pro mortis Domini honore prout impetum à diversis causis ceperunt. *D. Joannes ille munificentiæ quàm Alexandriæ infulâ clarior, diem hunc accipiendis egenorum negotiis ponebat. Audiêrat alios à suis auribus prohiberi, plures eludi fallaciis janitorum Dominum in varias occupationes effingentium. Condoluit*

doluit viro sancto contracta sui custodia, qui semper tanquam ex pleno omnia omnibus concedebat. Quare ad fores templi palàm prodibat perpetuis comitibus Paulo Rhodio & Theodoro Ascalonita Presbyteris, & tamdiu sedendi amor fuit & audiendi, donec ipsis accedentibus reverentiam fecit Archiepiscopi facilitas. Admittebat enim promiscuos, & cùm aliqui sua desideria & querimonias premebant, manu & vultu ut auderent invitabat, neq; fastidium ponebat finem dicendi, sed suus cuiq; pudor. Fran. Haraeus in vita. D. Joannis Alexandrini facilitas.

Obsidio hæc domos & limina Antistitum sæpiùs tenet. Vix expugnes & perrumpas. Non satis existimatur Reverentiâ suâ Præsul esse munitus ac metu sacro, oportuit virgas, secures, excubitorum pertinaciam & cupiditatem addi? Venduntur aditus & conspectus. Admissionum Magistri, (utor Ammiani verbo L. 14. hist.) fora & mercatus ad januas Episcopales exercent, ac de aura, vel umbra Episcopi in manus Et Episcopis rara. Imò venalis.

nus conveniunt, illo more: *Quid dabis ut Cossum aliquando salutes?* Causa tanti mali partim ex numero domesticorum indelecto, atq; ignoratione, tum parcitate Dominorum; contra utrumq; Bernardus coram Eugenio Papa disseruit. *Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliviscaris. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumq; & studia. Non oportet ut vitia domûs tuæ ultimus scias, quod quàm plurimis novimus contigisse---. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super ejusmodi, tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu in habitu in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicũ, nihil indecens patiaris.* De Considerat. L. 4. c. 6. Contra alterum ita monuit. *Capellani & qui tecum jugiter Divinis inter-*

Ex causa duplici vitium Bernardo notatum.

Suorum in curiâ.

intersunt officiis, non sint sine honore. Tuum est tales tibi providere qui digni sint. Serviatur illis ab omnibus tanquam tibi. Necessaria de manu tua accipiant. His contenti sint, quæ tu provideris illis, tu vide ne egeant. Super hoc, quem fortè ab adventantibus petere deprehendes, judica Giezitam. Id de ostiariis, id de cæteris officialibus decernendum ibid. Contingit ut aulam Episcopi turba nullo morum ac meliorum discrimine cingat. Item ut nulla provisio familiares sequatur, solâ spe favoris illusos. Indè occursantis in obvios avaritiæ impetus, & ex nundinis deductionum inglorii proventus. Obstant quà iter ad Dominum & rima, & tanquam telonarii mercibus excutiendis invigilant, unde impleantur aut beneficium in vivendi modum emant,

Et in eosc parcitas Antistitis.

Submoverat hæc vitia D. Patriarcha & libertate in suos, & optimorum societate, ne quis domesticorum egeret, ne quis turpis esset, at ne janitoribus pretium parsimonia audien-

Mali remedium duplex.

dientiæ faceret, in Feriam sextam præsentiam dispensabat. Intelligebat enim, istum diem benignioris audientiæ fuisse Crucifixo apud Patrem, cùm in Cruce precatus gemitu & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia, ut ait Apostolus. Et tu Sacerdos eundem in persona pauperis ad te accedere, puta levamenti particulam postulare, & pro reverentia Crucifixi audi exaudiq́;. An non & ipse per tot vulnera & apertos hiatus, una tibi & omnibus hodie auris factus est?

Feria VI. hâc virtute illustris D. Joanni.

Amplificavit caput hoc quod agimus Antonius Cardinalis Perenottus, cui dies Feriæ VI. magnæ Cœnobia & Xenodochia aperiebat. Subibat limina pauperum mens tanta, & caput illud consiliis tot Regnorum & Principum fetum, dissimulare, purpuram egestati supplendæ involvere, è decoro fuit. *In oratione funebri.* Ibi sua liberalitas velut in theatro versata, non dixit tantùm sed etiam pauperum. Solatus oratio-

Et Cardinali Perenotto.

Cujus elogium.

oratione miseros, etiam stipem copiosam addebat. Cogitabat Cardinalis diem istum magnæ liberalitatis Festum fuisse Crucifixo. Prodigus non modò honoris ac vitæ sed omnium dolorum, quorum patientiam, altiùs merito ac salutis nostræ necessitate, exhibuit. Sanguis & aqua unâ eâdemq; viâ, & vulnere secuta sunt; ut scires, quàm aquæ tam sanguinis in illo corde parsimoniam fuisse nullam, atq; ut istius, ita illius profusum. Quod D. Antonius Paduanus Domin. 12. post Trin. contemplatus. *Cùm Christus extendit in Cruce manus & extensas clavo aperiri voluit, tunc per ipsius foramen misericordiæ thesaurum effundens, omne animal implevit benedictione.* Desitum nostro seculo exemplum visendi Xenodochia, imò Sacerdotibus proh! pudor! pudori est. Quos tamen verecundia nulla, palatia & gynæcea perambulantes, adurit. Visuntur intranturque thalami matronarum, jocos, & ineptias non plu-

Feria VI. dies liberalium Crucifixo.

D. Antonius.

Indè causa visitandi Xenodochia.

res cum maritis audias & ſpectes, annis, valetudine, paupertate, lecto affixæ anus ſordent. At non judicamus nos imminui, dum præſepia noſtra & fimos patimur, equorum corpora exploramus, colloquia aurigarum provocamus. Pauperum gravis odor lædat & dedecoret? Decretum igitur mihi eſto, Feriâ VI. quâvis noſocomiis ſtipem, operam, & ſolatium afferre. Pauperum lecti, Crucem; pauperes & ægri, Crucifixum facilè ſiſtent. Hâc meditatione D. Gregor. Magnus in Jobo ad ſterquilinium dejecto, Chriſtum in Cruce vulneratum accepit.

D. Gregor. M.

Licebit mihi aliquantum hîc pro Xenodochiis ſiſtere, ac ordinem juvandis ſcribere non præſcribere. Magnâ enim Chriſtianæ pietatis injuriâ Sacerdotes hanc partem negligemus, in quos jure proprio illa recidit. Ac *Primum* omni ſtudio enitendum, ut domus commoda, ut alimenta, ut veſtis pauperibus tuæ Parochiæ non deſit. Impetrabis id apud

Quorum forma ſcribitur.

apud Parochianos tuos, nunc voce publica nunc privatâ, ac in exemplis primis tuâ misericordiâ eunte. *Deinde* nullum ex Parochianis tuis pauperibus vagari per aliena oppida & templa circumcursare permittes, Sic enim graves aliis pauperibus mutuò eleemosynam eripiunt & liberalitatem turbant citiùs in pauciores exituram. *Tum* pueros ac puellas ab omni institutione & ope desertas opificio accommodabis ediscendo quo vivant adulti. At cæci exire limites Parochiæ penitus prohibendi. Trahunt enim secum pueros puellasque quæ divagando vitam virtutemque absumunt. Otium, licentiam scelera combibunt. Tali industriâ minuentur falsi & ignavi mendicantes, & mendicitas in quam deductu aliorum & societate protruditur à teneris deses ætas & futuri incuriosa. *D. Justinianus Patriarcha Venetus in cognoscendis penuriis hominum adhibebat viduas spectatæ virtutis & fidei, quòd & ille*

ille ſexus eſſet ad hujusmodi opera ferventior, aptior etiam ad indagandas paupertates occultas. Apud Bollandum in vita c.5.

Alii Sacerdotes ſextam Feriam viſendis levandisq́ue carceribus in memoriam vincti ligatiq́ue Domini ſeponebant. Aliis cilicinus thorax geſtabatur. Aliis quinque ictus ad manus, pedes & latus inflicti. Sacerdotes à Miſſionibus dicti ita de Feria VI. decrevêre. *Ut aliquomodo Paſſionem Chriſti honoremus, quisq; Feria VI. cujusq; hebdomadæ in ſerotina refectione contentus erit uno ferculo eoq; ex oleribus aut leguminibus, niſi in miſſionibus aut iter faciendo. Conſtit. c.10. §.16.*

Sacerdotes à miſſionibus.

Non fatigabor D. Carolum Borromæum ſæpiùs referendo, quoniam nec ille in affectu erga Crucifixum ſuo fatigabatur. *Quâvis ſextâ Feriâ ad populum de Cruciatibus Domini dixit.* Fuitné tantum in illo corpuſculo ſoni & aëris, quod abſtinentiâ pene exanime non tam ferebat quàm

D. Caroli conciones Feriâ VI.

quàm ingens anima trahebat. Tantum supererat otii Antistiti curis laboribusq; publicis diviso, ut concioni habendæ veluti liber tempus inveniret & Crucifixo suo redderet. Gemebat Mediolanum illo prægemente in ærumnis Domini, mirabaturq; quomodo tam firma, tam ardentia, de patiente tam fragilis orator conciperet & eloqueretur. Ergo satisfecit Archiepiscopali suo pallio, quod ideo tot Crucibus illustre iste Ordo induit, ut moneatur gloriari in Cruce Christi. *Condecet quoq; benè ut ipsa Apostolica dignitas Apostolicum virum faciat, ut plenâ devotione, sano sermone & digna operatione possit dicere cum Apostolo: Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce D. N. JESU Christi per quem mihi mundus Crucifixus est & ego mundo. Durandus de Rit. L. 2. c. 9. de pallio Archiepiscopali locutus.* Utinam talium exemplorum copiâ haberemus, contingeretq; nobis audire Majores Prælatos Crucifixum prædicare. Quis ille affluxus urbis! quod

Et elogium.

Dur.

Quæ optatur in Præsulibus.

quod populi silentium? quæ admiratio? verba & suspiria ipsa subscriberemus, notaremus lachrymas, & gestibus dicentis in Crucifixum incenderemur. Sed premo inane votum, & tutius in nostro gradu illud expecto, ad quos prædicandi labor arctatus est. Tu verò Dive Carole perenni famâ tuâ vives, imò Crucifixi, cujus cùm integram esse voluisti, communem tibi fecisti.

Ordior particulam alteram verbis D. Augustini. *Tempus est lugendi passio Domini celebratur; tempus gemendi est, tempus flendi, tempus confitendi & deprecandi. Et quis nostrûm est idoneus ad effundendas lachrymas pro dignitate doloris tanti? Præfatione in 2dam Exposit. Psal. 21.* Quàm intentus Augustinus erat in unum Crucifixum, quàm toto animo illi affixus! quantùm iste privatim doloribus Domini doluit, qui publicè lachrymas fudit?

Dominicæ Passionis nomen.

Hæc Dominica, erat quædam præparatio animorum ad Domini Passio-

Passionem uberiùs celebrandam, unde & illi nomen. At Sacerdotes tantò sanctiùs hîc versabuntur, quò magis sanctorum patrum præceptis tangi decet. D. Gregorius Magnus tomo 5. libro Sacramentorum, auctor præcipuus, ita precationem instituit in præfatione Dominicæ Passionis. *Te suppliciter exoramus, quatenus appropinquante unigeniti Filii tui passione, bonorum operum tibi placêre valeamus exhibitione.* Item Feria IV. precatur. *Ut per jejunia tuam valeamus percipere propitiationem, qui præparamur ad celebrandam unigeniti Filii tui passionem.* Et Feria VI. *Tuam ergo clementiam indefessis votis obsecramus ut nos jejunii victimis à peccatis mundatos, ad celebrandam unigeniti Filii tui Domini nostri passionem facias esse devotos.*

Et cultus à D. Greg. M.

Hæc quoq; ratio est ob quam isto tempore Ordines sacri conferuntur. Admonemur etenim officii Sacerdotalis esse, perpetuam patientis Domini memoriam animo condere,

Isto die Ordines conferuntur ex causa Crucifixi.

re, & in Crucem, cùm in Sacerdotium destinari. Accipite Gulielmum
Dur. *Durandum L. 6. Rationalis c. 59. Quia imminet tempus passionis Domini, in qua arctiùs se tenet Ecclesia, ad significandum quòd Ordinati arctiùs se tenere debent: ut qui modò ebrii erant, sobrii sint: & iterum se debent immolare DEO hostiã sanctam DEO placentem.* Ab hac Dominica singuli dies tibi Sacerdos ducentur lugubres, quos augebis lachrymis, arctiori solitudine ac silentio astrictiore sensuum custodiâ, interdictis visitationibus quantum cura proximi concedet. *Ab hoc die Dominicæ passionis celebratio inchoatur, & quasi longâ funeris pompâ præmissâ, demum sequitur ipsa salutis nostræ victima ingerens oculis ea quæ pro nobis pertulit vulnera & mortis insignia. Durandus ib.* Huc referes & illum laborem quem à Dominica ista audiendo Confessiones Paschales ut dicimus, invictâ patientiâ subire opus. Itaq; Crucem tunc tuam complectere, diem nocti conjunge,
ut

ut ad pœnitentiam acta sedeas. Postremò sacræ huic audientiæ vacabis tam innocenti animo ut nullum defectum committas impatientiâ aut curiositate, summâ comitate, prudentiâ, amore conditiones Parochianorum perpetiare.

ACTIO II.

Feriæ VI. Magnæ Ritus & Cærimoniæ legitimè ductæ.

Cardinalis Zbigneus Cracoviensis Episcopus hebdomadæ sanctæ cærimonias tam sanctè æstimavit, ut neq; per valetudinem negligeret. Tractavit item obivitq;, quâ gravitate sancta est opus. Gaspar Cichocius L. 2. Colloq. c. 5. Cardinalis Zbigneus.

Ut Crucifixo deferas mecum Sacerdos, accuratè leges prout Missali Romano continentur. Quid enim sunt aliud? *nisi honestum Sacramentorum passionis pallium, quo Catholici & Apostolici Patres, propter nos assumptam ornant & venerantur infirmitatem, ut Noe Sem & Japhet. Rupertus præfatione libri de Divinis officiis.* Cærimoniarum exactus observator. Causâ Ruperti.

Idem Abbas, Ritus qui circa imaginem Crucifixi observantur isto die, ita interpretatus. Græcè & Latinè Crux salutatur non Hebraicè. *Quia gens illa regem suum adhuc negat, titulumq; Crucis illum averso corde maledicit & detestatur. L. 6. cap. 19.*

Quas ille explicat.

Proceditur cum Cruce. *Quia Crucifixus Dominus à negantibus Judæis sese promovens ad confessionem Gentium proficiscitur.*

Velatur Crux & velamen rejicitur. *Quia velamen cordi Judæorum oppansum est, nobis autem Crucifixus revelatur.* Pius V. hoc in obsequio piissimus ac primus. *In Parasceve domesticam in ædiculam prope cubiculum suum, Dominicam Crucem jussit afferri, quam excalceatus maximo charitatis affectu pronus adoravit. Auctor vitæ L. 5. c. 10.* Ad istam Crucis adorationem cæterasq; Cærimonias tristes Rupertus L. 6. c. 4. invitat. *Circa nonam horam conveniamus & nos, & supremo funeri non tam Missale officium*

Pius V. hoc die pius.

Rupertus.

um quàm funebrem exhibeamus planctum. Adoremus in imagine Crucis *charitatis solium, gratiæ vehiculum,* *verba sunt Ruperti.*

Congruum est ut vacuo aliquo die Sacerdos ordinet ea quæ ad exactum cærimoniarum decorem facere possunt. Curabit ut chorus edicat benè cantum diei, neq; deproperet neque transiliat vel immutet. Genua paulatim & demissè submittantur, clamor, tumultus, & risus procul absint. Maturè omnia necessaria præparentur, ne mora molestiam pariat. Denique omnia à te & tuis ita exiges, ut sacrosancta mysteria dolore patientis præsentes permoveant. Ediscendæ & ordinādæ.

At cui tantùm artis & virium adest dabit vocem Crucifixo, & opportunam in isto luctu musicam, passionem, ita vocamus, cantabit. Unicam adjicio conditionem, ut purâ conscientiâ & omnino tali. Insolens enim & funestum, suam ab impuro Sacerdote vindicantis Do- Historia Passionis cantanda.

Sed animo casto.

mini passionem, exemplum jam paro. Magnum illi ab auctore testimonium. Petrus Skarga quondam Canonicus Leopolien. in Additionibus ad vitam S. Macarii Alexandrini X. Jan. recensuit. *Nostra, inquit, ætate, anno M. D. LXXII, hâc ipsâ in urbe Vilnâ, Sacerdos erat ad D. Stanislai in arce, libidinibus infamis ac etiam sermone publico damnatus. Videbatur interdum ad altaria, tanquam videlicet sacer ignis inter sacra. Differebat ultionem cœlum hactenus, dum voluptuarius ille in patientis veluti ludibrium, historiam de ejus cruciatibus cantu pro Polonæ Ecclesiæ more tentat, quam Feriâ IV. Hebdomadæ sanctæ sibi sumpserat. Sed quæ moribus eadem cantui defuit harmonia. Errabat penè suî impos, & quam callebat musicæ. Ingrata vox Crucifixo vix tandem silentio defecit. Et cygnus ater iste suo alienoq; funeri visus præcinere. Erat è domestico famulitio cujusdam hæretici adolescens in quo præter robustam juventam laudares nihil. Post sacram confessionem*

Alioque quàm iste.

annos

annos decem & septem neglectam, Feriâ V. magnâ excutere conscientiam tot scelerum cogitaverat, ultra cogitationem res non cessit. Itaque silentium in pertinaciam peccandi facilè desciscit. Aderat idem concioni de passione Domini in arce Feriâ VI. cum captivi mentione illatâ illis verbis: Funes peccatorum circumplexi sunt me, adolescens fremere, ululare ac insanientis omnia dare. Elatus templo admonitusque, sui ut esset memor? Optimè, inquit, eorum quæ in DEUM admisi criminum. Templi septo recessurus videt hunc ipsum Sacerdotem, comiterque salutatum pro nonnullâ ante consuetudine, in loco relinquit. Pontem attigerat quo ab arce in urbem itur, cùm vox quædam, rediret. Attonitus paret, atque cujus crudele imperium fuit, dæmon æthiopilli specie ducebat; quò iste nisi ad exitium? Ecce autem vicinum Sacerdos sacrificium Divinæ severitatis, & læsæ toties castimoniæ aræque futurus, neglectâ concione ad portam otiosus securusque stabat. Accedit adolescens, mox osculum

audax figit, quale rabidi iratiq́ canes, in faciem dentes immittit & quà potest infigit. Depellere primùm Sacerdos voce, tum manibus, ac vitare impetum, deinde furenti impar, cedere, fugere. Hic stricto ense persequi, ad templum, ad aram. In asylo suo fera deprehensa & confecta est. Digitos in primis quibus sacrosancta mysteria ferimus, præcîdit, sparsiq́ toto templo sementem boni metûs ad Sacerdotes fecêre. Multi equestris ordinis Viri, tuendo Sacerdoti intervenerant, irrito conatu, unus omnium vim repulit majore humanâ audaciâ. In frusta ferè concisus, ac in templi medio lugubres inferiæ, relictum cadaver. Cæde perpetratâ infelix sicarius animo æger & corpore vincula ultro poposcit, & subivit eodemq́ die pœnitens tot facinorum finem tragœdiæ vitæq́ capitis supplicio fecit. Relinquo te sacri ordinis dedecus, aliò me vocat ejusdem religio.

Eo usq; seculum in Crucifixo ludit, ut diem funeris istum jocis & histrioniâ publicâ incestare audeat.

Initia

Initia ejus licentiæ ut solent scelerum leviora, à rudibus oppidorum scholis, quæ mox prô dolor & labes! templa corripuit. Ad ludicra hæc vulgus noctis horas sedet, audit & ridet. O templi & diei infamiam! Quis tandem sacrilegam petulantiam & alienâ materiâ ludendi audaciam infrenet & claudat? Non sustinuit tam mali exempli theatra Synodus in Volhynia Luceoriensis, quæ inter Ecclesiæ curas, diei hujus luctum lege latâ instauravit. *Repræsentationem passionis Christi Domini in concionibus populo, maximè Feriâ VI. magnâ ad Ecclesiam confluenti, à certis concionatoribus cum intermediis modo comico fieri inaudivimus. Quocirca tales repræsentationes sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrendæ volumus esse eliminandas. Rubrica 2. de Ecclesiis & earum cultu. c. 5. de Concionatoribus.* Ecce sanctissimam legem, quâ Sacerdos graviter in sua Ecclesia prohibebit, ne quid in mœrore mundi spectaculorum levitas delin-

Scenæ Comicæ proscriptæ hoc die.

A Synodo Luceoriensi.

Sub pœnis.

delinquat. Personas ridiculas & versus proscribet. Serius ipse erit. Nulla actio dictioq; ad risum excidet. Tempus flendi nugamentis non corrumpam, quo cœli terræq; lætitia, meus tuusque Dominus dolet.

At non raptim relinquetur dies Dominicæ mortis. Illum ego semper honoratum, semper acerbum habebo. Dederunt illum in omnem memoriam sancti Præsules & Sacerdotes publicis concionibus. Patent apud Gretserum tomo 2. de Cruce D. Joannis Chrysostomi curæ quibus orationes in sanctâ & magnâ Parasceve scripsit & dixit. Unum locum è Græco sic trado. *Ubi sacrificatus est? In alta Cruce. Novum & inauditum sacrificium, siquidem nova & commutata victima. Ipse enim idem & sacrificium & altare erat. Sacerdos quidem secundùm spiritum, sacrificium quoad corpus. Et idem offerebat idem offerebatur.* Ultro cæte- r[illegible]o, Augustinum non po-

Conciones habitæ ad populum à Græcis PP. Chrysostomo & aliis.

Augustino.

tui,

tui, qui propiùs in hæc mysteria nos deducit. *Sic est in tota Quadragesima abstinere, orare vel psallere, & in passione Domini id est in Parasceve de Ecclesia se subtrahere, quàm si aliquis studeat cum magno labore terram colere, & messem non mereatur accipere. Et ideo rogo vos ut nullus se de Ecclesia subtrahat Aug. ser. 127. de tempore.*

D. autem Chrysologus *aliquando sacratissimam Domini passionem populo explanaturus, proferre nequivit præ teneritudine amoris in ipsum DEUM. Ait Dominicus Mita Parochus in ejus vitâ editâ Anno M. DC. XLII. & operibus Bononiæ impressis præfixâ.* Quod silentium tanquam piaculare & progressus die resurrectionis excusavit. Inter ejus sermones est septuagesimus septimus. *Plenum satis & perfectæ devotionis indicium. quòd tempore passionis tota Creatori suo compatitur creatura. Quæ caro terra tremente non tremuit? quæ mens non torpuit? quod ingenium non defecit? cùm sol ante tempus occidit, lux* Chrys[ologus?] go.

refûgit. Deniq; fratres & noſtra occubuêre tunc viſcera, ſenſus eſt commortuus, ſermo noſter ſuo eſt conſepultus authori, ut ejus totam nunc ſuſcitaretur ad gloriam. Iſta exitit ſilentii mei cauſa, iſta debiti mei devota dilatio fuit. Nec mirum fratres ſi providè ſermo meus toto affectionis obſequio, ad inferos etiam ſuum eſt ſecutus largitorem, quia ſine ipſo vobis talibus ac tantis creditoribus, quod redderem non habebam. Vixit D. Petrus juxta Joannem Tritemium Abbatem Spanhemenſem Anno CCCCL. ſub Martiano Auguſto. Unde elicis quàm vetuſtus mos iſto die Crucifixum dilaudandi, quàm ſollicita Patrum facundia, quàm inſolens non audire, non audiri, quanto item ſtudio fidelium frequentia in Eccleſiam ducta & collecta.

Quos auctor impar ſecutus tamen.

Accedam ego quoque tantis oratoribus infecundum licet ac ſterile ingenium, fracta vox & impar fiducia, & à longe veſtigia adorans Patrum, atrato cultu premam. Mens mihi

mihi est *Evangelicæ Ethices DEO duce & auspice Propositiones in annum totum* educturo, *Rorarias*, ut ita dicam, istas de Christi passione præmittere. Tu ô Verbum in Carne & Cruce verbo ullo & linguâ indefensum favebis linguæ & calamum tua per vulnera & dolores errantem comitabere. Ergo *in Crucis arbore tota mentis vela tendamus. Chrysol. ser.* 8.

Rorarias, militare verbum de exercitûs levi armatura à qua pugnæ initium.

ACTIO III.

In Parasceven Sermones.

PErtento aliquot propositionibus grandem materiam & nullo ingenio satis circumvectam. Mare hoc amoris & doloris est, quo navigantibus nullus portus est nisi ut in priora vestigia cursum repetas. Non me latent aliorum labores plenâ manu in ornandum Crucifixũ congesti, mihi autem tam disertum hactenus esse non licuit. Si brevior voto legentium sum, sciant esse me & meo. Augebo tamen ubi ab otii culpa liber, Editionem alteram instruxero,

ſtruxero, ipſo dante quem ſcribimus. Neque item in exemplar has deſtinavi, aut in fiduciam ut cœteros juvarem. Conferre partem meam volui, nihil præferre.

D. PAULUS Ad Philippenſes. II.

Et Habitu inventus ut Homo.

PROPOSITIO I.

Chriſtus verus in Paſſione homo idemq́ non-homo.

ÆTernus humani generis dolor & nova ſemper clades, funeſta Domini mors & omnia ſolennia noſtra confudit. Templa, altaria, Sacerdotes, ſacra & voces, in ſqualore & ſilentio veluti hoſtis ad portam eſſet. Video ego humeſcentes oculos veſtros, & admiſſi in DEI Filium ſacrilegii verecundia ſuffuſos vultus. Video celſas mentes atrocitate diei iſtius perculſas. Ingredior cogitationes à mundo in ſe reductas. Audio tacitos gemitus, ſentio languentes cordis afflicti

ictus.

ictus. O lucem nunquam ſatis deplorandam! Hodie Regis Regum Majeſtas capta & ſervilibus proſciſſa notis: plorate Principes. Hodie æterna ſapientia inter ſtultos rejecta eſt, lugete Academiæ. Hodie virginitas militari licentiæ proſtituta, plorate delicata gynæcea. Hodie accuſata juſtitia causâ cecidit, flete tribunalia. Hodie DEUS in homine aſſumpto irriſus & damnatus eſt, lugeat Sacerdotium. Ideo crediderim per horas tres ſolem obſcuratum fuiſſe, & in eum finem ſolenne carmen omitti, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. *Quoniam tunc maximè ſanctiſſima Trinitas dehoneſtata eſt, inquit Durandus Epiſc. Mimaten.*

Cur per tres horas ſol obſcuratus?

Quodnam igitur ex Divinis nominibus illis Domino reliquum fuit? Dicit Apoſtolus *ut homo.* Quare ſententiam non concludit inventus ut ſervus, quod commodè videbatur ſequi. *Formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habit:*

bitu inventus ut homo. Sed extremã duo opposuit S. Doctor, DEUM & hominem, tanquam homo vilior sit servo, & servi titulus dignior homine. Equidem scimus servorum aliquam curam fuisse ut *Catonis matri quæ filios servarum suis adhibebat uberibus. Plut. in Cat. Maj.* Fuisse defensionem ut *Onesimi Paulo apud Philemonem.* Fuisse honores habitos ut in Saturnalibus Romanorum quibus cautum erat *ut exæquato omnium jure passim in conviviis servi cum Dominis recumbant. Justin. L.* 43. Fuisse in amicitiis. *Ejusdem arrogantiæ proverbium jactatur: Totidē esse hostes quot servos. Sen. epist.* 47. asserit: posse esse amicos. Postremò illatam servo injuriã Dominus suam reputat: Hominem esse nihil horum infert, ideo vilius nomen. Quia Dominum nemo in sua passione defendit, nemo curavit, nemo honoravit, omnes ut hostem exosi. Ideo nec ac Herode, cujus de potestate esse audivit Pilatus, vindicatus. *Hominis naturã gessit duntaxat absolu-*

absolutam, ne aliqua illi relatio ad aliquem, in doloribus suffragaretur.

Hac inductum hominis persona Hieremias ut vidit, *& non reputavimus eum* inquit. At LXX. interrogant. *Homo est, & quis agnoscet eum?* Notatur difficile esse in Domino hominem agnoscere. Ita homo ut supra hominem. Utitur item Apostolus verbo *inventus ut homo.* Nam quæ inveniuntur solicitè sunt quæsita. Significat D. Apostolus magnâ consideratione opus esse simul, ut Christus in tormentis homo deprehendatur. Nam licet verus homo, tamen latet in Divinis ille operibus & hominem communem doloribus involvit. Hoc ut scirent illius hostes ita egêre. *Gloriatur se habere DEUM.* Subjiciunt: *Contumeliâ & tormento interrogemus eum Sap.* 2. Fallax sumpserunt argumentum quod potiùs hominem manifestat: Deum frustra tormento explores, superiorem doloribus, ferro impervium. Locutus in Davide Dominus. *Ego*

autem

autem sum vermis & non homo, *Psal.* 21. Augustin. exposit. 2. hîc. *Est & homo vermis, sed ille vermis & non homo: unde non homo? quia DEUS.* Omnes homines vermes sumus, at iste etiã, non homo tantùm, sed & DEUS, quo à nobis differt nomine. Junxit hæc duo in passione Dominus, *Homo* & ita inventus est. Homo genuinus qui subiverit quæcunq; homini accidere possent absque peccato. *Non homo* quia ut DEUS, sed hunc quis agnoscat? Patientia, misericordia, charitas illum prodidit esse DEUM. Huc Augustinus respexit. *In alterutra enim parte vel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit conditoris gloriam: vel qui solum DEUM, negabit misericordiam Redemptoris. Ser.* 176. *de Tempore.* Et nos inveniamus per omnia hominem, credamus & agnoscamus quantum fas DEUM, ut Conditoris gloriam ut Redemptoris misericordiam fateamur. Ex D. Pauli & Augustini verbis propositio mea eruitur. *Dominus in passione homo non homo.*

CAPUT

CAPUT I.

Hortus. Sudor. Oratio. Captivitas.

HOmo legitimus in Paſſione Dominus, quoniam definitiones & attributa hominis expreſſit.

Juven. Sat. 8. - - *Ede quid illum*
Eſſe putes? quemvis hominem ſecum
adtulit ad nos.

Quid enim eſt homo? Utiliùs quàm Dialectica S. Job. *Homo quaſi flos egreditur c. 14. LXX. Mortalis natus mulieris ſicut flos, qui ubi floruit, decidit.* Adeo fragilis ut inter ejus ver & occaſum nihil intercedat, ac ſæpe ſine fructu in herba pereat. Notam & in proſpectu floris & hominis comparationem relinquo. Plinius totum abſolvit. *Reliqua uſûs alimentique gratiâ natura genuit, ideoque ſecula annosque tribuit iis: flores verò odoresque in diem gignit, magnâ ut palàm eſt admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere. L. 21. c. 1. naturalis hiſt.* Ita Alexium Angelum Imp. Orientis commendabant

Flores caduci admonendis hominibus.

legatis Henrici V. Imp. Græci sui. *Gemmas & vestes aspicerent, quibus ille ut floridum aliquod pratum; aut Alcinoi hortus variè nitet. En vel in media hyeme veris opes & gratias usurpate. Nicetas apud Lipsium in Notis Pol.* Ambitiosè & verè Græci Imperatoris sui fortunam prædicant, & flori caduco adjungunt.

An non & JESUS Nazarenus à Nazareth, hoc est, florum patriâ, oriundus ut homo? Psalmum 68. qui est de passione illius, inscripsit Chaldæus & Hebræus *Pro liliis, seu super lilia* quo indicatur, Dominum fragilitati humanæ obnoxium sicuti sunt lilia. Appositè quidam lilia foliis exuta inscripsit, hominis conditionem respiciens. *Huc refer exitum.* Flos ajebat Job egreditur & conteritur. Dominus egressus est trans torrentem Cedron, & in horto illo Gethsemanico quàm pulcher & formosus, candidus & rubicundus apparuit. At mox vide ut procidit in faciem! ut expalluit! ut mutatus est color optimus!

optimus ! ut proprio sanguine & sudore suffusus ! ut calice pleno à Patre irrigatus contabuit ! Hortuli olim inscribebantur. *Hospes hîc benè habebis, hîc summum bonum voluptas est. Sen. ep. 21.* Ah! quàm tristis hortus fuit, in quo summus dolor, voluptas fuit, & nostra voluptas summum Domino malum. Quàm lethalis ille liquor à quo affectu hominis se excusat. *Transeat à me calix iste.* Quæ oratio *affectum naturalem hominis, quo nolumus mala contraria nobis, cum adjuncta moderatione rationis superioris DEO præsentat, inquit Cajet.* Scyphus conjurationis tessera in terram abjectus erat sociis in sertorium armatis. *Plut. in Sert.* Suscipe quæso Domine mi scyphũ hunc tuæ mortis tesseram, suscipies inquam & bibes, jam pridem in Benjamino filio doloris ad mortem destinate. *Apud quemcumq; inquiebant fratres Gen. 44. fuerit inventum servorum tuorum, quod quæris, moriatur.* Apud te repertus est scyphus nostrorum ple-

Hortorum inscriptio olim usita.

Scyph⁹ tessera proditionis

nus ſcelerum, morieris. Iſta in te *conjuratio, conjuratio* 4. *Reg.* 11.

At unde ſudor? Hominem prodit noſtrum. *Etiam conſtantiſſimis in conſpectu populi ſudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & æſtuantibus ſolet. Natura vim ſuam exercet & illos vitii ſui etiam robuſtiſſimos admonet. Sen. ep.* 41. Tibi Domine peroranti pro nobis, in conſpectu Patris & tot ſcelerum non erumperet ſudor? Tenemus te hominem, ſed non vitii tui ſed noſtri index eſt iſte ſudor. Quidam egenus & nudus à Rege Scytharum interrogatus copioſâ nive lapsâ, an frigeret? Viciſſim interrogavit Regem, rigeretne frons ejus? neganti: *Ergo ne ego quidem, qui totus frons ſum. Ælianus l.* 7. *c.* 6. Tu Domine frons humani generis es, primus & primogenitus, & ideo rubes totus, totus ſudas, ſudas in conſpectu tot ſcelerum, quæ ſe in hunc calicem infudêre penitus. Omnes huc non guttatim ſed ex pleno ſymbolas fecimus. Ego in primis Domine,

mine, bibe & pro me morere. Tu adulter & adultera voluptates tuas, litigiosi iras vestras, superbi ambitiones, juventus voluptuaria illecebras vestras affudistis. O Domine in horum salutem bibe & morere. Neque detrectat venenum. *Fiat inquit, voluntas tua.* Stilla nos doloris mergit, Domini cor flumina non obruêre.

Videntur sibi contrariæ duæ propositiones de persona Domini dictæ, altera est in Ps. 87. *Traditus sum & non egrediebar*, altera ex S. Joann. c. 18. *JESUS itaq; sciens omnia quæ ventura erant super eum processit.* Non egressus & processisse simul dicitur. Iterum à S. Jobo, *tacui neq; egressus sum ostium. c. 31.* Ad hoc negotium S. Greg. ita explicavit. *Egressus esset, si occultam Majestatem suam ostentare voluisset, sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in eo quod persecutoribus incognitus mansit, ad eos minimè exivit.* Tradebatur Dominus à Juda, at ille non egressus suæ D. Greg.

Divinitatis arcano, uti infirmus injectas manus ſubivit. Iterum *proceſſit & dixit*. Verbo enim *ego ſum* Judæis noto ex lege, hoſtes proſtravit. Proceſſit cùm auriculam ſanavit, cùm omnia ventura ſciebat, cùm ultionem ab Angelis paratam inhibebat. Nam quis ex puris hominibus in ſumma vindicandi facultate, ſummam adhibeat patientiam?

Claud. -- tunc duriùs iræ
Conſulimus, cùm pœna patet.

Pſalm. 28. diſtinguit inter patientiam hominum & Divinam, & affert hoc diſcrimen, quòd *DEUS ultionum Dominus, DEUS ultionum liberè egit*. Homines verò ulciſcuntur injurias ſuas iracundiâ plerumque neceſſitatem quandam imponente. Potentiâ utuntur ad impotentiam. DEUS cùm in ejus manu ſit pœna, liberè eam imponit, liberè condonat, utpote liber ab omni affectu, qui ejus judicium pervertat. Hoc indicio Dominus ſe DEUM probare intendit, cùm poteſtate vindicandi abſtinuit,

Diſcrimen inter patientiam Dei & hominis.

nuit, Petri gladium rejecit, cœlum ulturis ſpiritibus clauſit. O Divinam manſuetudinem! ô libertatis clementiſſimum uſum! Generali epiphonemate Tertullianus de Domino pronuntiavit. *Qui in figura hominis propoſuit latêre, nihil de impatientia hominis mutuatus eſt. L. de Patientia c.3.*

Eumenes Athenienſium dux ab Antigoni Regis inſidiis circumventus & captus, rogantibus *Qui ſe tractari vellet, ut leonem, inquit, ut elephantum. Plut. in Eum.* Quonam modo Domine in his vinculis & funibus te velles haberi? Non hîc accubuiſti ut leo, non ut grande ac mole timendum elephanti corpus. Tractari ut homo voluiſti, homo videri & pati. DEUS manſiſti ignotus, ſed in patientia non-hominis ſi quærere velimus, inveniris. Sapientes ſuos Philoſophus cohortatus ad patientiã. *Ferte, innuit, fortiter, hoc eſt quo Deum antecedatis, ille extra patientiam malorũ eſt, vos ſupra patientiam. L. de Provid. c.6.*

c.6. Aliter dicamus, qui Deum-Hominem fatemur cum Apostolo. *DEUM patientiæ. Rom.* 15. Feramus mala fortiter, hoc illud est, quo DEUM sequimur patientem, ille intra patientiam nos infra. Christus in passione homo qui patitur. Non homo qui nihil de impatientia hominis mutuatus est. Homo quia infirmitatem prodidit. Non homo, qui gnarus & potens vindictæ, vindicandi libertatem omisit.

CAPUT II.

Annæ & Caiphæ Concilia. Pilati Tribunal.

DAvid Psalmo 38. *In imagine inquit, pertransit homo* seu ut Hier. ex Hebr. *Ambulat* hoc est homo exemplum inconstantiæ & mobilitatis. In imagine homo dicitur: Quia DEUS homines velut imagines pingit & delineat. At quævis imago initia à rudi carbone & cretâ habet: ita hominis quantumvis summi principium vile & terrenum. Carbonarii

Homines uti imagines,

à Carbone & Cretâ.

&Car-

& Carbonum ex familia naſcimur atque Cretenſes, hoc eſt, mendaces filii hominum, concupiſcentiâ invicem incendentes & incenſi : Conſumptis lignis & igne extincto Carbo, nos aliorum poſt mortes, ſucceſſionibus, honoribus Divina manus depingit & expolit. Chaldæus veluti blandiretur homini. *In imagine, inquit, Domini pertranſit homo.* Seu tanquam Dominus cui præſto famulatur Divina beneficentia. Seu in imagine Domini, hoc eſt non ſuâ ut omnem ſplendorem DEO homo debeat acceptam ipſe ſervus. Seu in imagine Domini id eſt in perſona ut legatus, ut procurator, non plenus Dominus ſed in imagine ſeu ad inſtar Domini. Chald.

Iisdem coloribus hunc hominem depictum videte. Pertranſit, ambulat, olim benè faciendo, nunc malè patiendo. Hominem geſſit coram Anna ad probroſam alapam. Hominem coram Caipha totâ nocte illuſus, deſputus, damnatus reusque

mortis à Sacerdotio toto proclamatus. *Nocte, inquit, os meum perforatur doloribus. Job. c. 30.*
LXX. *LXX. Nocte ossa mea combusta sunt.* Tunc enim Dominus magnis exustus doloribus ad illas lucernas, & illo ipso igne ad quem Petrus Dominum *negavit esse hominem.* Quem tantopere Dominus probare dignatus est. Adjecit Job. *Et qui me comedunt, non dormiunt.* Quod comeditur dentibus premitur, & in partes minimas digeritur. Ita Dominus nocturnis cruciatibus penè absumptus. Hominem Præses dixit. *Quam accusationem adfertis adversùs hominem hunc?* Ah! errat in persona Præses. Iste ergo reus?

Quid reus hic fecit? frustra vult quærere, factis,
Si se defendat, non erit iste reus.

Sed ego qui tot criminum reus ac cæteri. Adversùs hominem hunc nulla accusatio. Homo iste singularis est. Solum hunc nemo accusabit, seipsum nemo coram hoc homine

mine excusabit. O homo Christe JESU! ubi imago in te vel umbra Domini? In forma servi, mancipii tractaris & tribunalia pertransis.

Quondam Dominus *venit in partes Cæsareæ Philippi & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis. Matt.16.* Venit Dominus in partes & judicia Cæsarei Præsidis, quis hîc audietur filius hominis? Non Joannes Baptista, non Jeremias aut unus ex Prophetis. Sed malefactor, populi aversor, seditiosus in principes, impius in templa & religionem, sacrilegus in Deum ejusque usurpator nefarius. Ubi illud nomen tuum grande. *Ego Dominus.* O homo! quomodo in imaginem Domini reliquisti & eam pertransiisti. De viis quibus ambulat Deus S. Rex ait. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Ps.24.* Heu viæ Domini apud humana tribunalia, sine misericordia sine veritate. *Cùm pertransires in deserto terra mota est, inquit Ps.67.* Cùm pertransit

ſit homo iſte & DEUS quid terra noſtra non moveatur?

Ingreſſus hominis enuntiant de illo. Eccleſiaſtici. 19. Videamus quid de homine noſtro ingreſſus enuntiet. *Stetit JESUS ante Præſidem.* Hoc non hominis. Stetiſſe infractum animo, teſtibus undique & populo & Sacerdotio ad ſupplicia & flagella poſcentibus. Stetiſſe cùm ſeniores eâ ætate quos benè *ab inferis illum ad accuſandum remiſſos dixeris Val. L.* 6. *c.* 2. cruentis vocibus inter latrones Crucem deſtinarent. DEUS *Stator* dictus Philoſopho Romano, *quòd per illum omnia ſtarent.* Licebit in re ſacra prophano uti vocabulo. En Stator Dominus meus, qui calumniis tot impetitus nec affectu ullo collapſus, per ſe nullo adjutore ac patrono ſecurus in judicio *ſtetit.* Meritò mirabatur Præſes vehementer. *Mirabatur, inquit Paſchaſius Abbas, conſtantiam ejus. Fortior namq; erat in eo virtus quàm hominum natura ſe habeat.*

Deus Stator unde Sen.

Paſchas.

Quid

Quid miramur ſtetiſſe, miremur etiam ſeveriſſimo ſilentio tacuiſſe, quod non-hominis. Parcus verborum in ſua præſertim quiſnam ſit cauſa? Damus vela dolori damus indignationi. *Quare tacens conſumor? inquit Job 13.* Humanum quid paſſus. Non queſtus tot ærumnis, doloribus, ulcerationibus conſumi. Silentio, inquit, conſumor. Silentium homini dolenti tormentum & tabes putatur. Superioris Ordinis homo qui tacet & dolet. *Tacebit, inquit Hier. Thren. 3. & mox cauſam ſubjicit, Quia levavit ſe ſuper ſe.* Quamdiu homo intra vulgus eſt, non tacebit. Tacuit Dominus patiens, & ideo quaſi nonnullo *Credibilitatis motivo* Deum manifeſtavit. Illud Pſalmi 64. *Te decet hymnus DEUS, Hieronymus communiter explicat: Te decet ſilentium DEUS.* Hoc decorum DEI & mores ſervat Dominus JESUS ut non-homo. *Quoniam taceret ſine ulla defenſione ſua, id quod quiddam Divinum halabat. Ait dictus Abbas Corbeienſis.* Quo-

Silentio Deus probatur.

Paſchaſius.

Quonam modo qui olim per Prophetas, novissimè locutus est in filio suo, à S. Davide dicitur, *Semel locutus est DEUS*. 61. Nisi dicamus, semel hoc est aliquando vel quadam vice, seu interdum locutum DEUM. Hoc invenimus DEI attributum in Christo patiente. Ita enim abstinens sermonis erat quo defenderet se ut licet nonnihil locutus fuisset, semel locutus esse dicatur. Licentiùs in M. Pompejum Ælius Formianus invectus, non retulit ab illo nisi patientiam. *Itaq; eo tempore & fortissimum erat Cn. Pompejo maledicere, & tutissimum ait Val. Max. L. 6. c. 2.* Vertamus hunc stylum in tempus funestum accusationis in Dominum institutæ. Tempus erat sanè quo religiosissimum fuit illi sanctitati maledicere, illi Silentio Divino tutissimum.

Patientia M. Pompeji.

CAPUT III.

Herodis Aula.

HOmo Aristoteli, Fortunæ Ludibrium. Plautus Captivês.

Dî

Dî nos quaſi pilas homines habent. Sapientia Divina dicitur. *Ludens in orbe terrarum. Sap.* 8. *Ubi Lyra notat, Divinam ſapientiam ludere more pilæ, dum hos ditat, hos depauperat.* Pertinax Cæſar dictus. *Pila fortunæ victor in Pertin.* Non referam infinita, aliqua priſca & nova ſuggeram. *Alcibiadem quaſi duæ fortunæ partitæ ſunt inquit Val. l.* 6. *cap.* 11. *Altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes divitias, formam præſtantisſimam, favorem civium propenſum, ſumma imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantisſimum ingenium aſſignaret. Altera quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret.* Hæc ille. Jam Gallia talium mutationum theatrum eſt. *Margarita Valeſia Navarræ Regina, aulæ deliciæ & gloria primùm fuit, inquit Gramondus hiſt. Gallicæ L.* 1. *mox ludibrium. Sic in Regina fortuna luſit.* Addimus alterum ex eodem L. 2. Ad annum M.DC.XVII. Aſcræus Mareſchallus

Lyra

Alcibiadis duplex fortuna.

Margaritæ Navarræ.

lus Galliæ & uxor ejus Galigaya, mundi Domina dicta, quòd Reginæ vestes servaret infaustum exemplum. *Nescio inquit, an creditura sit posteritas quæ vidit ætas nostra. Dum erant apud conjuges prima Gallicarum rerum imperia, vidimus acceptam promiscuè ab omni Ordine pro ipsorum arbitrio legem, vidimus curru triumphali vectos in bysso & purpura: nec multò post infami plaustro traductos, tædiferos membraq; nudos. In momento successêre triumphis opprobria. Ita fortunæ ludibrium sumus.*

Afcræi Mareschalli Galliæ.

Herodes in aulam Dominum accepit, sed tractavit ut hominem. *Illusit* ludicra scena levitati aulicæ Christus meus factus, & jam hoc in aula Gethæa egerat. *Vidistis hominem insanum, inquiebat Achis Rex Gethæorum, quare eum adduxistis ad me?* 1. *Reg.* 21.

In Africa. Plin.

In Africa solitudinibus hominum species obviæ subinde fiunt, momentoq; evanescunt. Hæc atq; alia ex hominum genere ludibrium sibi, nobis miracula

cula ingeniosa fecit natura. Plin. nat hist. l. 7. c. 2. O Domine ingressus es hanc solitudinem homo, ut momento evanuisti? Solitudinem aulicam inquam in qua Herodes iste *draco ignitus* Syriacè dictus habitat. At tuo ore *Vulpes*, idem Joannis interfector Leo *de pellibus glorians juxta Bedam* antrum regale tenet. Momento evanuit Majestas tua ubi aderat Levitas regia. Evanuit veritas tua ubi regnabat fraus & astutia. Evanuit omnipotentia ubi furor & vis dominabatur. Evanuit castitatis vox ubi adulteria, libidines, luxus, petulantia stabulabantur.

O aulas principum! *Qui ædificant sibi solitudines Job. 3.* Quomodo solitudo in tanta prementium turba? Solitudo ubi hominem vix invenias. De aula meritò asseramus quod Epictetus apud Lips. in not. Sen. ep. 103. *Quosdam homines lupis similes esse, infidos, insidiatores noxios: alios leonibus, agrestes, feroces, immanes, plerosq; vulpeculis, detractores & fraudulentos.*

Aulæ.

lentos. Aula Herodis ſolitudo talis, quæ cùm ex Chriſto homine ſibi jocos & ludibria fecit, tum nobis miracula. *Inter inconditas & diſſonas voces, hoc JESUS mirabiliter elegerat ut taceret. S. Leo. ſerm. 6. de Paſs.* Non audit ludibria, & hoc fecit ut DEUS. 4. Æn.

Silentium Chriſti mirabile.

- - placidas DEUS obſtruit aures.

CAPUT IV.

Columna.

QUid eſt homo? D. Chryſol. ſer. 45. ad verba Pſalmi 6. Quoniam infirmus ſum. *Quid infirmius homine, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deſerit.* Plinius l. 7. c. 50. præcipuum humanæ imbecillitatis argumentum ex odore lucernæ extincto affert. *Tu qui te DEUM credis, aliquo ſucceſſu tumens, tanti perire potuiſti.* Poſtquam ergo laternæ & faces ad quas in horto captus, Dominum afflàverunt ita penitus extinxère. *Tunc manus injecerunt & tenuerunt*

Odor lucernæ cauſa abortûs Plin.

nuerunt eum. Indè ad columnam trahitur & deligatur. Stat nuda virginitas & manus carnificum expectat. Me miſerum! quia primum pro ſceleribus meis vulnus DEI Filius accepit. Afferuntur interea plures manus, fervent verbera & tota curia exhortantium clamoribus reſonat. Unus ille 4. Æn.

- - Non fletu ingemuit non lumina flexit
Non lachrymas victus dedit.

Ah! *Pectus DEI capax flagellis ſecant.* Hier.

Iſaias c. 8. jubetur ſcribere ſtylo hominis, hoc eſt ut paſſim Commentatores explicant, ſtylo manifeſto quem quivis hominum facilè poſſit legere. Quiſnam verò iſte ſtylus quo homines utuntur! ſequitur. *Velociter ſpolia, detrahe, citò prædare.* Stylus hominum quis? Iſte mundanæ curiæ ſtylus, ſpoliare, prædari, detrahere infirmiores. Idem ſtylus in hominem iſtum incidit. Quàm manifeſti characteres!

Legite legite peccatores mecum, opes manuum noſtrarum. Spoliatus, detractus, omni decoro & honore everſus. O Pater æterne! *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus. Hier. Poſuiſti quaſi tineam omnia deſiderabilia ejus.* Omnis illa ſpecies quæ Dominum amabilem & deſideratum oculis faciebat ad columnam contabuit. Sicut Aranearum & tinearum intima undique pellucent, ita viſcera Domini per plagas aperta inſpici & numerari poſſint.

Sicut Aranea amor tuus ô Domine tibi eſt factus. Ille hæc vincula hos funiculos de teipſo emedullato nêvit & indidit ut me caperet. Ille idem amor Tinea tua fuit. Qui non veſtes modò, ſed ipſa præcordia abſumpſerit, teque eviſceratum reliquerit.

Nimirum te ô homo ignorantia noſtra tetigit. *Congregata, inquis, ſunt ſuper me flagella & ignoravi. Pſ. 34.* Tanquam interrogantibus reſpondeat,

deat, cur thesaurizaverit sibi tantam DEI hominumq; iram? Ignoravi, nescio causam, raptus sum, flagris cæsus sum & ignoro. Ah! Domine tu quidem ignoras, & ignorantia tua non habet delictum. Verùm nos ignorare nec possumus nec debemus. Si ignoras causam ô pulcherrime sanctorum, abi & memoriâ percurre tot meorum ac totius generis peccatorum vestigia. Ibi scies nostri causâ congregata esse super te flagella, virgas, scorpiones, spinas, dedecora, contumelias, mortem. Ergo *Vidimus eum Virum dolorum, scientem infirmitatem. Græcus. Hominem in plaga. Is. 53.*

Benè autem profitetur se ignorâsse causam qui ut non-homo patiebatur, hoc est innocens, segregatus à peccatoribus. Patimur more latronis in Cruce digna factis, hic autem quid? Indè non-homo. Homines nisi flagellentur superbiunt. *Cum hominibus non flagellabuntur. Quid ergo? Ideo tenuit eos superbia.*

 Ps. 72.

Pſ. 72. Atqui de Domino ſecurum erat, qui humilis corde. Ideo reſtat innocentiſſimè flagellatum. *Pro dolor! jacet extentus ante hominem DEUS, & ſupplicium patitur Rei, in quo nullum veſtigium peccati potuit inveniri. Chryſoſtomus Ser. 1. in Fer. V. Paſſionis.* Nunc etiam ſi quando verum apparuit quod Seneca epiſt. 31. dixit. *DEUS nudus eſt.* Nunc & illud Epicureorum *omnia illi tela, omnis detracta potentia, & ne cuiquam metuendus eſſet, projectus extra Metum. L. 4. de Benef. c. 19.* Hâc in nuditate te DEUM meum agnoſco, quia bonorum meorum non eges, malorum pro me abundas. D. Auguſtinus ſuperiùs verba relata ita tractavit. *Domine quid ignorabas? Itane tu aliquid ignorabas? Nonne & in te inſurgentium corda noveras? nonne eorum dolos ante proſpexeras? nonne in eorum manus te ſciens dederas? nonne ut ab eis patereris veneras? Quid ergo ignorabas? Ignorabat peccatum, & hoc peccatum ignorabat non quaſi non judicando, ſed non*

DEUS nudus.

Et ignoravi, Auguſtinus explicat.

non committendo. Et infra. Iniquitates ignorabam de iniquitatibus interrogabar. Conc. 2. de 2. parte Ps. 34. Ergo ista ignorantia non-hominem sed DEUM ostendit. In novo Mexico mirus ad inaugurandos duces Ritus. *Circumligant eligendum columnæ, & atrocissimâ verberatione lacerant, deinde mille gestis & jocis provocant ad risum. Qui si utroque periculo sensum temperent, nec fletu, nec cachinno inconstans, tunc probatur. Eusebius Nerembergius in historia naturæ L. 8. c. 28.* Ah quid agis furor? non iste homo tuos affectavit honores? non candidam induit ut rogaret. Fugit etiam cùm ad regnum raperetur. Superest ut sine causa flagellari judicetur, nullâ ambitione, nullo peccato suo ut DEUS. Teneamus vocem Isaiæ lugentis & protestantis Isaiæ 5. *Non solùm percussum à DEO, sed etiam ex Hebræo fonte, percussum DEUM.* O bonitas! ô DEUS! & quî hæc connectere possum? Percusse. *Et quanquam stylo hominis incisus, tamen*

Ritus inaugurandi Reges Mexici.

Hebr.

Speranza. *men atq; inscriptus est DEUS. Inquit devotè Speranza puncto 19. in affectibus.*

CAPUT V.

Corona Spinea.

EXivit ergo JESUS portans spineam coronam, Joan. 19. Ecce homo, Ecce lilium inter spinas. De se Salomon Sap. 7. *In similiter factam decidi terram.* Græcus. *In spinis obnoxiam.* Abi Salomon tuas post voluptates. Iste Rex solus in spinosam terram delapsus hæsit. *Persarum Reges subjectâ nunc pedibus suis sphærâ, ut polum se calcare vices mentiuntur: nunc radiato capite nè sint homines, Solis resident in figura. Nunc impositis sibi cornibus quasi viros esse doleant, effœminantur in lunam. Nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant formam. Chrysologus serm. 120.* Non erubescit homo iste se hominem esse, videri, proclamari. Exit in publicum! ah! quantùm mutatus ab illo! Sen. Fur.

Reges Persarum mirè soliciti ne homines credantur.

Chrysol.

Quem-

Quemcunque miserum videris, hominem scias. Hoc in te intelligimus Domine. *Semper hoc egit dictis & factis suis ut DEUS credatur & homo. Aug. tr. 28. in Joan.* Et certè in Domino præcipuè verum est. *Nil admirationem habet tantam, quàm homo fortiter Miser. Sen. de Consol. ad Helvium.* Ecce homo. Videte miserum, ut hominem sciamus, videte unà fortiter miserum quod magnã admirationem habet. Homo iste supra hominem, ut DEUS credatur. Sen.

Describit miseros quosdam homines Job eò usq; ut *esse sub sentibus delicias putent. c. 30.* Homo noster ita miser est ut post horridam noctem opprobria, illusiones, verberationes esse sub his sentibus delicias putet. Quid nos horrentem spinis metuimus? Sub Rhamni allegoria jam pridem invitat ad se. *Venite requiescite sub umbra mea. Judic. 9.* Rhamnus densissimæ sunt spinæ, tamen arbuscula philæteris & alexica-

ca, hoc eſt, ſocialis & medica apud
Del-Rio. Delr. in adagiis ſacris. *Naturam in-*
Plin. *quit Plin. L. 22. c. 7. hiſt. non defuiſſe nobis & inviſis quoq; herbis inſeruiſſe remedia, quippe cùm medicinas etiam dederit aculeatis.* Ergo iſti aculei amoris non ſolùm ſunt, ſed etiam medicinæ. Expungant Domine iſtæ ſpinæ tuæ mei capitis faſtum, lætitiam, vanitatem, mundum, ſint remedia cogitationum quæ animum peccatis exulcerant. O admitte me in ſocietatem ſpinarum tuarum. At quæ conventio ſpinarum ad tuum caput ſacrum illud? quid iſta terra benedicta horret ſentibus, ex qua meritorum noſtrorum fertilitas omnis profluxit? Intelligemus ex naturæ operibus. *Indè excogitavit aliquas aſpectu hiſpidas, tactu truces, ut tantùm non vocem fingentis illas, rationemq; reddentis exaudire videamur, ne ſe depaſcat avida quadrupes, ne procaces manus rapiant, ne negleCta veſtigia obterant, ne inſidens ales frangat--.*
Cur ſpinæ roſis? *Ita hoc quoq; quod in iis odimus hominum*

num

num causâ excogitatum est. Plin. L. 22. c. 7. Sed adhùc Architam interjiciamus. *Ajebat, ut piscem sine spina, ita hominem sine dolo & extra spinam ut invenias, negotium est. Ælianus. Var. L. 10. c. 12. ex Græco.* In ore hominis istius inventus non est dolus. Ah! quòd in capite spinas gerit nemini nocituras. Audiamus jam vocem inter spinas illius. *Hominum inquit causâ excogitatum est.* Quòd vulneror configor, cruentor hominum causâ excogitavit militaris licentia. Matthias Bohemiæ Rex Imperator à Cardinali Dietrichsteino sub coronatione interrogatus. *An gravis nimirum Corona esset? Coronam, inquit, quidem non adeo gravem, cæterùm conditiones de libertate Religionis longè oneri esse.* Gravis hæc Domine mi corona capitis tui est, sed plurimùm graves hominum causæ ob quas excogitata est. Propter internos voluntatis in peccata consensus, propter phantasmata liberè concepta, propter vanos capitum ornatus,

Plin.

Matthiæ Regis in Coronatione dictum.

ornatus, propter licentiosos oculorum jactus, propter pertinacem pauperum repulsam, corona spinea excogitata est. O CHRISTE JESU *venit contritio super te. Hier. 7.* id est corona ex Hebr. per irrisionem dicta pro malorum undique cingentium cumulo. Delr. in adagiis sacris. Ecce corona non honorans sed illudens Dominum!

Nolite quærere cur DEUS in rubo apparuerit? Magis illum eundem in rubo isto adoremus. Illustrior nunc appares DEUS meus in viridi Rubo quàm Moysi in ardenti. *Contemplare anima mea Eliam sub spinosâ junipero requiescentem, & DEUM in rubo ardenti. S. Petrus de Alcantara hîc.* Verè DEUS meus es qui ureris charitate non combureris, vulneraris non conficeris, cumularis tot doloribus non consumeris. Promiserat DEUS Ephraimo. *Ego ut abictem virentem Osea 14. id est me exhibebo.* LXX. Ego quasi juniperus densa. Ex S. Clem. Alex. sensu apud Delr. in Adagiis

Petrus de Alcant.

LXX. S. Clem. Del-Rio.

Adagiis sacris, quod significat eos fore sub protectione DEI tutos sicut illa arbor odoris vi serpentes fugat. Ad istud tempus servabatur singularis DEI protectio ista. Ergo umbram adeo salutarem Divini verticis subeamus. Ad illius formam oculos, caput, sensus flectamus & renovemus, si quos fastus, libido, ira adussit, in contemplatione DEI in rubo dolentis extinguamus.

CAPUT VI.

Gesta in Cruce.

HOmo Aristoteli *animal sociale.* Hoc ipsum DEUS dixit: *Non est bonum hominem solum esse.* Sen. 4. de beneficiis rationem adduxit. *Fac nos singulos quid sumus? Præda animalium & victimæ, ac vilissimus & facillimus sanguis---. Nudum & infirmum societas munit.* Latâ sententiâ Crux imponitur & in montem supplicii itur. Socialis-homo noster viæ mortisq; comites latrones duos adscivit, nimiùm felices, si par pœna

Sociale animal homo quare? Sen.

pœna & exitus fuissent. *Homo quidam descendebat jam ascendit iste ab Hierusalem & incidit in Latrones.* Adscivit & matrem. *Stabat juxta Crucem*, quam more humano ad tutelã cōmendaret. *Commendat homo homini hominem Aug. tr. 8. in Joan.* Phocioni olim Atheniensium justissimo, cur secum tot alii innocentes ad mortem ducerentur, *Magistratus, quia inquit, amici tui sunt. Plut. in Phocione.* Heu Domine! nos ad tuam mortem non trahimur? nimirum hostes & inimici tui Societatem istam Crucis abominamur. Verùm quanti tibi constitit Socialis natura nostra? Fuerit Primo homini non bonum esse solum, tibi certè bonum fuisset si ego, si ille, si cæteri nati non fuissent. Bonum esset si tu pater materque filios & filias tot non genuisses, tantò pauciores optimum hunc Parentem ad mortem compulissent. Bonum fuisset si tu adulter natus non fuisses, JESUS tantis doloribus voluptates tuas non luisset. Bonum fuisset

ſet ſi invide natus non fuiſſes, nunquam homo Chriſtus, neque milites pecuniâ corruptos, neque tyrannidem ſuſtinuiſſet ab invidiâ accuſantium. Bonum ſi nulli iniquisſimi judices nati fuiſſent, Chriſto ſua innocentia etiam apud ſeveriſſima tribunalia conſtitiſſet. Bonum denique ſi nullus hominum iſtorum extitiſſet, tu ad Crucis opprobrium non veniſſes. En homo ſocialis? quàm plurimos naſci bonum eſſe judicavit, ut quàm plurimos in Societatem meritorum colligeret.

Adhuc de homine Job.14.ex LXX. *plenus iræ.* Iſte homo vindictæ vacuus, & manſuetudine manſuetius pectus. Hoc homines vel in ſuis extremis ignorant. Statius Theb. 11. Irâ mortuî & iraſcentes.

- - O! me moriens hic ſceptra tenentem
Linquat & hunc ſecum portet minor umbra dolorem.
- - Ultrices animam ſervabat in ictus:
Erigit occultè ferrum, vitæq; labantis
Relli-

Relliquias tenues odio supplevit, & ensem
Jam lætus frater fratris sub corde recondit.

Stat. Duorum fratrum Etheoclis & Polynicis novissima ita graviter & verè dedit Papinius. *L. Sylla convulso* L. Sylla. *pectore spiritū cruore ac minis mistum evomuit. Igitur in dubio est Syllane prior an iracundia Syllæ sit extincta?* Theophilus. *Val. Max. L. 9. c. 3.* Theophilus Orientis Imp. moriturus, Theophobum de affectato imperio suspectum interfici jussit, & allato capite atque manu tractato. *Neque ampliùs ego* Bar. *Theophilus, neq; tu Theophobus. Baron. ad an.* 842. Adeo vel in limine vitæ homines se meminêre hominem hoc est iram, ejusq; officinam.

Dominus meus probavit hominem se esse societate naturæ, negavit Dimitte illis explicat. vitio iracundiæ. Homo. Non homo sed DEUS qui mitis & multæ misericordiæ. Pater, inquit, dimitte illis. *O DEI voces non hominis. Act.* 12. Illis. Erant tyranni, sicarii,

carii, oppressores, carnifices, tacet. Illis. Non istis tanquam viciniori-bus quasi à longè nocerent, qui cru-delitate adeo accesserant. *Illis pe-tebat veniam à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quòd ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Aug. tr. 31. in Joan.* Pa-ter dimitte illis. Non admonere voluit milites modestiæ, pietatis, neque misericordiam sacri Ordinis implorare. Pater, inquit, dimitte. Non dico, non exaggero factum, non exprimo. Quale quantumve sit, scimus. Tu dimitte, ego rogo. *Qui delicti memorat speciem, moram veniæ facit; qui spernit injuriam, Di-vinam patientiam nescit. Intelligit probè DEUS & sustinet.* Levis illa pa-tientia fuit. *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisquis occur-rebat dejiciebat oculos & ingemiscebat, non tanquam in hominem justum, sed tanquam in ipsam justitiam animad-verteretur. Inventus est tamen qui faciem ejus inspueret. Poterat ob hoc molestè ferrè, quòd sciebat neminem id*

Augusti-nus.

Non sper-nenda est injuria sed sustinenda.

Nec irri-denda ut A-ristidi.

ausurum purioris. At ille absterſit faciem & subridens ait comitanti ſe Magiſtratui. Admone iſtum ne poſtea tam improbè oſcitet. Sen. L. de Conſol. ad Helv. matrem. Sanctior tamen robuſtiorque D. Martini Epiſcopi. *Tantam adverſum omnes injurias patientiam adſumpſerat, ut cùm eſſet ſummus Sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur. Verba S. Sulpitii Severi in vita.*

Sen.

Verior D. Martino.

Sulpic.

DEUS Moiſen in aulam miſſurus *Conſtitui te DEUM Pharaonis, Ex. 7.* Cur nòn legatum ſummum? inſolitus titulus & à nullo principe datus. Exiſtima DEUM Pharaonis ideo conſtitutum, quòd opera majora humanis viribus patrandi licentiam accepiſſet. Potiùs verò intelligo, Moiſen hoc titulo admonitum à DEO Divinæ manſuetudinis. Impius & pervicax Pharao erat, multa in Moiſen commiſſurus, eluſurus toties datam libertatis promiſſionem, igitur oportebat ut Moiſes ſæpe commoveretur. *Conſtitui te DEUM*

Moiſes Deus Pharaonis patientiâ.

DEUM ut ad DEI exemplum multoties offensus, adhuc parcas, toleres, imò pro delictis ores. Hæc te DEUM probabunt. JESUS meus ideo DEUS cui proprium est misereri & parcere audio & miror orantem. Dimitte, & hoc illis à quibus moriebatur, quos ita dilexit, ut inter eos esse voluerit, pro quibus moriebatur. Utinam Domine mi habeam quod condonem, in quo iracundiam meam frangam, DEUM charitatis te imiter. Non erit unquam tanta materia mihi iracundiæ, quantam sumpsisti & exhausisti. Ecce leviora mea, gravatè feram?

Audio hîc inexpectatam vocem. *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*, clamat & orat Latro. O quis posuit verba hæc in ore tuo? Agnoscit Regem non hujus regni quo vi depellebatur, quod in partes jam scissum erat, alterius regni cogitatio Latronem invasit. *Ingens, inquit, ambitio mea, sed fiduciam facit bonitas & misericordia tua. Ego de-*

Memento mei explanatur.

ſperem pro quo moreris, quum ores à quibus moreris? Aliter formabant Latronis animam illa peccandi in vita conſuetudo, deinde tot Chriſti opprobria, poſtremò Sacerdotum exempla. Sed ſubita converſio argumentum DEI præſentis in Cruce data eſt. *In Cruce ſuſpenſus ſolummodò Latronis adverſariam mentem valuit commutare, ut ex omni parte ejus Divinitas ſentiatur. Chryſoſt.* Latronis converſio ideo perfecta fuit ut Divinitas ejus ſentiretur. Perpendo particulam *Solummodò*, quæ mihi quæſtionem movet. Cur ſolus & unus latro converſus Divinitatis Chriſti Domini pro argumento aſſumptus? Cur non Herodes, non Pilatus, non Annas vel Caiphas? Nimirum inquam, quoniam omnes iſti pollebant judicio, omnes religionem aliquam prætexebant, ejusque ſcrupulis tangebantur. Pilatus audierat Filium DEI vocari *undè magis timuit Joan.* 19. Herodes *multa audiebat de eo Lucæ* 23. Sacerdotibus ejus pro-

Latronis converſio Divinitatis Chriſti argumentũ. Chryſ.

Cur ſolus latro aſſumptus!

prodigia penè noſcebantur ſingula. *Quid facimus, inquiebant, quia hic homo multa ſigna facit, Joan.* 11. Ab illorum converſione non ita validum erat pro Divinitate argumentum, cujus efficaciam cauſæ dictæ minuere poterant. Jam verò iſte cædibus & latrociniis aſſuetus, templa & concurſum vitabat, nullo ante niſi in extremis DEI metu aliquo & charitate in proximum tunc primùm contactus, quem contra injuriam ſocii latronis defendit. *Increpabat eum dicens: Neq; tu times Deum? Lucæ* 23. Poſtremò à cura ſuorum Sacerdotum ſpirituali deſertus, nec ullâ voce ad bonam mortem admonitus. Ideo conſumptis mediis humanis ad ſalutem, à Chriſto ſuſceptus convertitur, ut Divinitas ejus ſubitâ latronis pœnitentiâ ſentiretur, ad quam diſpoſitio non videbatur præiviſſe. Rurſum dico, non aſſumptam illorum quos dixi converſionem pro Divinitate Chriſti: nè miracula absq; neceſſitate DEUS

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

multiplicare videretur, si aliquis Principum aut uterque latro fuisset conversus. Quod utique singulari DEI providentiâ gestum, ne Principes, ne plures quicunque alii, talem aliquando sibi gratiam pœnitendi in extremis promitterent. Quæ uni concessa, idq; tam justâ causâ & necessariâ, qualis erat ut Christus declararetur DEUS. Deinde quod ad alterius latronis causam pertinet, meritò ab hac gratia exclusum fuisse: qui vocibus impiorum audiendis potiùs quàm Christi attendisset. Unde & illorum verba didicit & repetivit. *Si tu es Christus, salvum fac te & nos.* O sortem periculosam, deferentium in finem vitæ pœnitentiam! qui uni DEO salvandi & magnæ illius & extraordinariæ misericordiæ relinquuntur. Frustra hîc Sacerdotes excitent, actum est nisi DEUS agat. Acutè sed Christianè de hoc latrone bono *eum longè plures post suam mortem hominum occidisse, quàm in vita. Aloysius Juglares*

Cur non alter latro?

Jugl.

in

in C. Elogiis Hominis-Dei, dilatione inextrema pœnitentiæ. O vim Divinæ omnipotentiæ! ô charitatem tuam bone JESU! Clamores cohortis, risus populi, voces carnificum, vestimenta diripientium rixæ obstrepebant; murmurantem quid nescio aure solicitâ accipere, audire, exaudire, spe certâ regni cœlestis solari.

At septem verba in Cruce locutus est, tanquam legitimus homo, hominis Patris David Filius, qui de se *Septies, inquit, laudem dixi tibi.* Septies item locutus est ut ex ista etiam parte Divinitas ejus sentiretur. Componamus enim DEI verba: *DEUS dixit fiat lux.* Ut omnia paterent iste tenebras indixit ut scelera quodammodò hominum DEO Patri contegeret, meritoq; diceret: *Pater dimitte illis.* DEUS dixit *Fiat firmamentum*, iste dixit cœlum latroni pollicitus *Hodie mecum eris in Paradiso.* DEUS dixit *Producant aquæ omne reptile & volatile* iste dixit tan-

Septem in Cruce verba ut se Filium Davidis hominem.

Et DEUM probaret.

quam piſcibus infelicior *Sitio.* Ille dixit *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, iſte dixit *Ecce mater tua ecce Filius tuus.* Maſculum & fœminam ad imaginem ſuam charitate conjungens. Ille dixit *Congregentur aquæ & appareat arida*, iſte fluctibus tot oppreſſus dixit. *DEUS meus, DEUS meus ut quid dereliquiſti me.* Ille dixit *Producat terra animam viventem*, iſte dixit *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Ille die ſeptimo, iſte verbo ſeptimo *Conſummatum eſt* requievit ab opere omni quod patrârat. Ecce DEUS. *Septem diebus omne tempus comprehenditur.*

Greg. *Greg. hom. 33. in Evang.* Septem Chriſti verbis omne Redemptionis opus peractum.

CAPUT VII.

Clamor & Mors.

HOmo D. Jobo *Vermis c.* 25. hæc eſt illius familia, Mater & Soror & Pater. S. David in throno Regali ſuæ conditionis illo elogio admonitus.

monitus. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter Tres.* Quo vultu in illa majestate visus est historico Spiritûs sancti? Leo? aquila? *Ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus* 2. *Reg.* 23. Regum gloria in vermes desinit. Noster homo inter duos latrones quis erit? Ligni tenerrimus vermiculus. Sen. Fur. In throno regali memoria mortis.

- - huc ille decrevit Gigas!

Fuit homo missus à DEO. Grande munus Legati Divini personam tenere. Quæ autem illius definitio? *Ego vox clamantis.* In suo ligno vermiculus stridet, homo clamat, quid clamat? Non illud quod jussus Isaias, Omnem Carnem esse fœnum, aut quod Joannes, Parate viam Domini. Quidam Sacerdos apud Indos pro Christiana fide interfectus exanime multis circumstantibus jacebat cadaver, cùm vox è pectore eluctata auditur. *Cur me occidistis qui animas vestras diligebam in mort. Illustr.* Quâ tanquam magicâ barbari irati in corpus sævi-

reausi. Quàm magnâ voce vermiculus iste & homo vox clamantis contra nos queritur? *Occidistis qui vox dilexi.* Queritur contra superbiam nostram illius humilitas, contra iracundiam mansuetudo, contra odium amor, nuditas contra luxum, oratio contra acediam, sitis contra gulam, dolor contra delicias, innocentia contra scelera, virginitas contra libidinem. Proh! quoties tenerrimus ligni vermiculus Crucifixus meus conscientias nostras rodit, hujus atque illius peccati admonet! heu! quod non conterit, non aures mollit. *Irrisus est vermis iste cùm penderet in Cruce. Aug. ep. 49.* Irridetur nunc etiam. Dicitur *vermis eorum non morietur, Is. 66.* Credo in pœnam hujus vermiculi mortui & irrisi olim à peccatoribus. Vetus dictum Comici Plauti

Christus in Cruce vermiculus ligni.

Aug.

Plau.

- - *Homo homini lupus.*

Quid hominibus maximè infestum, Anacharsis *Ipsi sibi ipsis inquit.* O verus homo cui homines lupi.

Pende-

Pendebat agnus & duo lupi. Chry. Ser. 2. in Parasc. Quid duo ? Unus erat. Nos lupi. Nos hunc Agnum DEI devoravimus, ex nostris bonis omnia huic homini mala, ex nostris voluptatibus vulnera, ex nostra vita illi mors. *Erras si istorum vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum Sen. epist.* 103. Quid lupi tantùm ? In Psalmo 21. Lego canes, unicornes, leones, tauros pingues. Chrys. Sen.

Putasne quidquam cæteris hominem feris
Distare? non id, sed figurâ non nihil
Sunt prona pecora, recta surgit hæc fera.

Lycurgus Græcus Poëta, sic converto. Lyc.

Paravit DEUS vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam & exaruit. Jonæ 4. Hoc egit Pater æternus nobiscum, qui hunc vermem, sicut ipse se dixit, paravit ut omnes mundi delicias & commoditates nobis exemplo suo excuteret. Paravit Deus vermem, accommodatur.

O si

O si percutiat in nobis florentes blanditias seculi & carnis. O si exarescere faciat vanos splendores dum pendet in isto Crucis ascensu vermis noster. Equidem in pluribus sanctis efficaciter patientis Domini virtus hoc præstitit. Ubi enim iste ascendit vermis, en ut passim ponuntur mundi illecebræ & umbræ! ut cadunt omnia mundi decora ad contemptum! ut fluunt ex capite, vultu, digitis, manibus puellarum, matronarum, Regum, principum coronæ, gemmæ, adamantes, annuli & omnis fastus. Nimirum vermis in ascensu suo hæc percussit & arescunt.

Tantumnè vermiculus iste homo? Erigamus ad clamorem. *Videns autem centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirâsset, ait: Verè hic homo Filius DEI erat. Marci 15.* Clamor Divinitatis argumentum. S. David diem mortis ejus admirabili elogio vocavit diem virtutis. *Tecum principium in die virtutis tuæ, Ps. 109.*

Clamor morientis Divinitatis documentum.

Pſ. 109. Tot virtutes in ſua morte Dominus oſtendit, clementiam in hoſtes, ſilentium inter provocationes, patientiam inter injurias, in doloribus fortitudinem, curam erga latronem, amorem in omnes, quid ergo dies ille unius virtutis erat? Scio hoc loco virtutem pro potentiâ & robore poſitam, & ſignificatur, potentiam & fortitudinem à Domino Divinam manifeſtatam fuiſſe, quâ non ſolùm externos, ſed magis ſpirituales hoſtes humani generis moriendo debellavit. Dies virtutis Divinæ in Cruce ille fuit. Sed accipiamus virtutem hîc pro animi perfectione, & quæramus quænam iſta virtus ſpecialis adeo ut cæteras extinguat? D. Hier. hîc, notat hanc virtutem voce magnâ morientis Domini indicatam, cùm diceret, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hac enim voce adeo clarâ & intensâ, palàm teſtatus eſt Dominus amorem erga homines ſuum extraordinarium ac Divinum eſſe.

Tecum principium explicat. Hier.

Dies virtutis in Cruce.

Hoc eſt charitatis Divinæ.

esse. Nam cùm cæteros vox in morte deficiat, iste solus clamavit ut robur sibi & vires sufficere amorem suum ad plura patienda, & mortem aliam atque aliam oppetendam ostenderet. Quo quidem charitatis tam arduæ actu DEUM se probavit, qui *DEUS charitatis* antonomasticè & *charitas* vocatur. Itaque illud *Vox Domini in virtute, DEUS majestatis intonuit*, huc referri necesse putes. Non enim humanæ virtutis est dum quis moritur, iterum velle & posse mori pro salute hominum, si expediat, quæ in Domino charitas perfectè inventa est. Hæc itaq; virtus singulariter dicta, & dies mortis huic quasi soli consecratus erat: ut diceretur *Dies virtutis*. Sola hæc laudata, sola in argumentum Divinitatis assumpta. *Tecum principium in die virtutis tuæ, hoc est*, inquit *Hier.* Hier. *Eo tempore quo patiebaris & dicebas: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, non quasi imbecillus rogabas, tecum enim erat principium*

pium seu Divinitas. Quæ illum amorem certum suî indicem in te produxit, patuitq; tunc, non infirmitate rogâsse, sed potentiâ, & voluntate adhuc plura perpetiendi, quæ non-hominis virtus.

O virtus! ô charitas! utinam aliquâ exempli particulâ sequar te, quo me hominē tuum esse probem. *Clamavit* in negotio Redemptionis qui in opere creationis tantùm *Dixit*.

Clamavit. Sui amoris ipse præco, ut omnes distinctè tanti amoris testimonium audiremus. Audiamus.

Clamavit. Ut ad vocem Filii hominis mortui excitarentur. Nos vivi excitemur.

Clamavit. Ut omnes ad suî miserationem percelleret. Moveamur.

Clamavit. Ut hostium omnes blasphemias clamore apud aures Patris obrueret. Excusemus.

Ocothoclus mirâ charitate animal, *cervos necat & jejunus ipse conscendit*

Aimal innocuum miræ charitatis. Neremb:

scendit in proceram pinum, & indè contento ululatu convocat epulatum alias feras, quæ notam vocem secutæ exsaturantur, extremus prædâ Ocothoclus fruitur. Neremb. in historia naturæ lib. 1. c. 20. O charitas Domini! Ad istam Crucem vocat, nostra scelera interfecta ut videamus. Videamus at nè ampliùs tangamus.

Clamavit. Ut à voce magna Angelorum & Judicii cavere possemus. Caveamus. Ah! si nunc moriturus clamat quantùm iratus clamabit! *Clamavit.* Ut mortem suam voce magna prædicandam Sacerdotibus insinuaret. Prædicemus. *Clamavit.* Ut publico edicto mortem toto mundo ejectam sciremus. DEO vivamus. Extremum vale jam omnibus dicit. Primùm vobis ô Sacerdotes, animasque testamento legat. Vobis Reges, Principes, nobilitas, pauperum causas & justitiam commendat. Vobis delicata juventus & de licentia vivendi admonet. Vobis quotquot obstinati peccatores,

non

non ampliùs illum visuri nisi cùm istam charitatem, ista vulnera, mortem istam exprobrabit & exiget. Et jam venit summa dies & à tota æternitate destinata, quâ mori nos potiùs quàm vivere expediebat & omnes non vivere quàm unũ istum mori, causam omnium seculorum, spem & amorem. Videte oculos lethali caligine cadentes, viscera invicem collisa, cor oppressum sanguine, venas abruptas, caput suo oneri impar, itaque *inclinato capite emisit spiritum.*

D. PAULUS.

Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem. Hebr. 12.

PROPOSITIO II.

Olim peracta Christi Passio recens & hujus Diei est.

Solatii loco Apostolus Hebræis Christum Crucifixum proposuit. *Recogitate inquit eum qui talem susti-* Recogitate eum. Explicatur

nuit à peccatoribus contradictionem. *Recogitate*, hoc eſt non ſemel cogitate, ſed iterum atq; iterum cogitationem iſtam reſumite: *Si conſervorum tormento, inquit hîc Theophyl, quis ſecum animo reputet, in ſuis maximè quæ ſuſtinet ſolatium accipit, quantò magis ſi repetit contradictionem id eſt irriſiones, opprobria & faciem cæſam?* Vult ergo Apoſtolus ad perpetuam rei memoriam Chriſtum mortuum in nobis vivere. Commune vitium humani generis illud. *Pleriq; utuntur beneficiis ceu floribus, tamdiu gratis quamdiu recentibus.* Ab eo ſicut Apoſtolus ita ſancta Eccleſia avocare ſtuduit, dum non tanquam ante mille annos, & ſæcula ferè ſeptem peractam redemptionem noſtram, ſed tanquam hodie geſtam & præſentem oculis exhibere contendit. Indè iſtæ tot extra morem adſcitæ cærimoniæ, & doloris inſtructæ ſcenæ, voces, lamenta & ipſum triſte ſilentium, quæ acerbiſſimam hodie capti, hodie flagellati, hodie damna-

à Theophylacto.

Strada.

damnati hodie crucifixi hodie mortui cogitationem nobis inducunt. *Passio Domini sicut scimus semel facta est. Semel enim Christus mortuus est justus pro injustis. Et scimus & certum habemus & fide immobili tenemus---. tamen ne obliviscamur, quod factum est semel, in memoria nostra semel in omni anno fit. Quoties pascha celebratur, nunquid toties Christus moritur? Sed tamen anniversaria recordatio, quasi repræsentat quod olim factum est: & sic nos facit moveri tanquam videamus in Cruce pendentem Dominum non tamen irridentes sed credentes. Aug. præfat. in sec. exposit. Ps. 21.* Juvabo hanc piam dolentis Ecclesiæ intentionem & optimo sensu propositionem deducam. *Olim effusum sanguinem Christi, recentem & hujus diei esse.* Augustinus.

Primò. D. Berengosius Abbas tr. de septem verbis Domini in Cruce illam cærimoniam de qua Levitici c. 24. præscribitur: *Per singula Sabbatha mutabuntur, ut ponantur panes* Bereng.

calidi 1. *Reg.* 21. interpretatur hâc allegoriâ. Mutatione panum calore destitutorum significari antiquanda vetera sacrificia, & unum in Cruce secuturum, quod semper recenti igne veluti & arderet, & peccata combureret absumeretque. Quò etiam Ecclesia verba apud Jeremiam c. 11. retulit Christi inimicorum: *Venite mittamus lignum in panem ejus*, hoc est in corpus Crucem. Mensa ergo illa Crux, panis recens & calidus Christus Crucifixus, & cùm illa vetera evanuerint, hoc unum in Cruce semper ardet nunquam tepescit, semper amore bullit, subsidet nunquam. Suffragium huic figuræ D. Paulus attulit illâ propositione *Christus inquit Hebr.* 13. *heri & hodie.* Ubi S. D. loquitur de Christo ut Redemptore, Liberatore & Salvatore, interprete D. Cyrillo hîc apud Cornelium. Ut sententia sit Pauli. *Christus heri & hodie Redemptor est, Liberator & Salvator.* Adde S. Maximum Martyrem centuriâ 1. cap. 8.

Christus heri & hodie explicat

Cyrillus.

Corn.

S. Max.

Sciens

Sciens hoc mysterium (Redemptionis) semper novum & animi comprehensioni nunquam antiquandum. Christus heri, hoc est, ante mille sexcentos & ultra annos Redemptor est, & hodie Redemptor est. Recens est & calet adhuc. O nos Christiani! si heri non amavimus, amemus hodie Redemptorem. Si heri peccata lachrymis non redemimus, hodie redimamus, hodie cum flagellato excutiamus, cum coronato compungamus; hodie cum damnato damnemus, hodie cum moriente mortificemus. Ita enim heri est, ut etiam hodie sit Redemptor. Maria post Henrici II. Galliæ Regis funestum casum, hastam cujus fragmine ille periit, inscripsit, *Hinc dolor, hinc lachrymæ*, tanquam quotidie cerneret hastam in pectus incurrentem, quotidie equo labentem, quotidie infelici arenâ cadentem, exspirantemque. Ah! cecidit Christiani Christus heri, vos cùm ejus flagella, spinas, purpuram, clavos, funes, co-

Mariæ Gallicæ, Symbolum: Hinc dolor, hinc lachrymæ.

lumnam, Crucem, montem ipsum Calvariæ recogitatis, singula instrumenta inscribite. *Hinc dolor, hinc lachrymæ*, hodie dolorem novum elicite. Nolite acerbissimos ejus cruciatus obliterare, recens mysterium esse ille voluit, nolite antiquare.

Secundò. Doctorem gentium discipulus dilectus pari elogio sequitur. *Sanguis JESU Christi emundet nos ab omni peccato.1.Joan.1.* Viderat Joannes Christum Dominum fudisse sanguinem inter flagella, ferrum, catenas, ac in ipsa cui adstabat Cruce & in tempore præterito omnia descripsit. *Continuò exivit, sanguis & aqua.* Cur in præsenti ait *Emundat?* Sciamus necesse est, nullum tempus quo sanguis Christi non redundet. Postquam semel effusus est & nos emundavit, huc usq; suo affluxu emundat, nec præsentibus solùm seculis detinetur, etiam futura more fluvii ripas egressi comprehendit. Jam hoc illo die agebat Christus ut hunc etiã diem

Emundat nos. Explicatur.

diem consecraret morti suæ, fieretque ejus sanguis semper præsens. *Emundat, ut sub præsenti præteritum & futurum complectatur.* *Corn. hîc.* Illustre naturæ miraculum à Magistratu & Præfecto totius Belgicæ observatum refert doctus Medicus Levinus Lemnius L. 2. de occultis nat. mir. c. 7. *Cadaver demortui, si vel minimo motu incalescat, præsente amicorum aliquo sanguinem fundere, sicut & præsente cædis auctore. Et hoc in antipathiam illud in sympathiam reducit, qualis reperitur in magnete & succino nonnihil calefacto, ad paleam.* Invênit natura viam in emortuo corpore quâ per reliquias sanguinis conjunctos amet, contra hostes judicia imploret. Invênit amor Christi viam quâ se recenti semper sanguine amicis & inimicis probet. Sed amicos hic sanguis exigit, non enim pœnas sed amorem poscit, non auctores cædis vocat, sed emundat. Mundavit in horto sanguine & sudore perfusus, eodem hodie in tem-

Cadaver sanguinem fundit amico vel inimico præsente. Lemnius.

plo pœnitentes emundat. Emundavit spinis coronatus, emundat gloriâ & honore in cœlo coronatus. Mundavit dum clavis configeretur, emundat dum clavum mundi tenet. Emundavit dum flagris premeretur, emundat cùm extra patiendi conditionem adoratur. *Sub præsenti præteritum & futurum complectitur.* O præsens beneficium! ô Christi sanguinem nunquam evanescentem! ô semper recentem misericordiam! ô quotidianam Divini sanguinis prodigalitatem!

Tertiò. Ab epistola illius ad Apocalypsin ordo est. *Vidi, inquit, agnum stantem tanquam occisum, Apoc.* 5. Quomodo stantem si tanquam occisum, quonamodo vulnera non debilitârunt penè occisum? Significatur hoc situ Redemptoris tanquam occisi & adhuc stantis, ille Divinus illius amor: ex quo licet verè occisus, se tanquam occisum & stantem habet. Ita paratus iterum obire tribunalia, stare coram Præside iterum, iterum bajulare

bajulare Crucem, iterum mori. Mors ipsi tanquam mors visa magnitudine amoris, cùm occidebatur tanquam occideretur, vivit Christus Crucifixus, stat, valet. Proinde justa est illa querela Domini. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde, Ps. 30.* Quænam ista tam ingrata mens quæ ita me oblivioni dat & à corde removet sicut solent demortui, *quorum parata oblivio. Plin.* Non sum extinctus penitus; tanquã mortuus sum, ita enim mortuus, ut in pretium hominis hodie & cras stem in cœlo expeditus, hostibus verè occisus, mihi tanquam occisus. Adverte adhuc illud *stantem* hoc est juvare parantem & pro salute humana quidvis agere gestientem. Collige ex D. Pauli verbis: *Christo confixus sum Cruci: seu ut Græcus, eâdem Cruce configor.* Qui scribebat, prædicabat, provincias, urbes obibat, ille eâdem Cruce fixus Christi? *Corn. hîc. Christus in me docet, concionatur, orat, laborat, patitur, omniaq;* Gal. 2.

 opera

Crucifixus in Paulo docuit.

opera in me operatur. Jam Christus docere, orare, prædicare cessaverat, adhuc in Paulo eadem facere dicitur. En stantem, agere prægestientem Crucifixum, ut suo sanguine in actiones aliorum influat. Similia Isaias c. 53. promulgat. In vulgata quæ in præterito legimus. *Ipse peccata multorum tulit LXX. reddidêre in præsenti. Iste peccata nostra portat & pro nobis dolet.* Usus D. Chrysologus hâc lectione Serm. 45. ad illa verba: *Convertere Domine. Homo peccat, inquit, DEUS convertitur.* Certè enim averti debuerat ab homine DEUS qui se à DEO prior averterat. Nonnè potiùs servus converti debet ad Dominum, quàm Dominus ad servum? Et respondet. *Ita fratres, quia juxta Prophetam iste peccata nostra portat & pro nobis dolet.* Et infra: *Convertere Domine. Unde? ubi? de DEO in hominem, de Domino in servum, de judice in patrem: ut pium conversio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur.* Sensus est: Ideo conver-

Et

LXX.

Chrysol.

In nobis conversionem operatur.

converti ad peccatores facilè DEUM, quia ille conversus in hominem sibi illum uniendo, factus est peccatorum bajulus, eaq́; hucusque portat & tanquam pro suis dolet. Nullius enim pœnitentia nullius justitia, nullius confessio DEUM ad se converteret, omnes peccatorum ponderi succumberemus nisi ille portaret, doleret. Portat & dolet ideo portamus dolemusq́ue. Generali verbo S. Trid. Concilium dixit. *Nemo potest esse justus nisi cui merita passionis D.N. JESU Christi communicantur. Sess. 6. de Causis Justificationis. c. 7.* Tridem.

Quartò. Sæpiùs à SS. PP. excussa est illa D. Pauli quam è vinculis Romanis scripsit propositio. *Adimpleo quæ desunt passionem Christi in carne mea. Colos. 1.* Nec satis intelligitur, nisi sciatur occasio scribendi, quæ erat, ut in Prologo epistolæ Theophylactus Archiepisc. Bulgariæ notavit. *Persuasi à nonnullis Colossenses populi Asiæ minoris, credebant non per* Adimpleo quæ desunt explicatur Theophylact.

Christum

Christum DEI Filium, sed per angelos viam ad Deum & Patrem patêre, quandoquidem in Veteri Testamento omnia per angelorum ministeria gererentur. Quam opinionem ut everteret Apostolus, vult persuadere Colossensibus adhuc Filium DEI pro ipsis pati & per eum ad DEUM deduci, quanquam hæc fieri videantur ministerio, passionibus & laboribus suis. Nam sicut si Princeps peregrè absit, interim belli dux pugnando fortiter locum principis tuetur, vulnera excipit: universus belli labor, & sumptus, & victoriæ honor, in summum Principem redundat, quoniam illius voluntate & impensis gesta sint omnia. Ita Christi curæ deberi quidquid Paulus pateretur. Illius enim vices & munus gerere. Et cùm per gloriosam in cœlo conditionem pati ipse non possit, hanc ipsam passionem & labores, illius jussu & mandato in carne sua implere. Hæc mens Pauli.

Occasio istorum verborum Paulo.

Hinc colligamus licet, quantus ardor Christi est ad patiendum pro nobis, ut illum in aliis suo exemplo,

ſuo impulſu promoveat & incendat, quandoquidem ampliùs ſibi pati non liceat. Ille providentiâ ſuâ dirigit, ille intus movet Sacerdotes, Prædicatores, Confeſſarios ad procurandam ſalutem hominum, per dolores, vias, ſudores, famem, ſitim, vigilias, tanquam adhuc ſibi aliquid deſit ad copioſam redemptionem. Illi ergo ut principali omnia referenda, adeo ut ſicut olim per Apoſtolos, ita nunc per cæteros ſervos ſuos doceat, oret, concionetur, laboret, patiatur. Nam qui per alium tanquam inſtrumentalem cauſam & impulſam à ſe agit, per ſe facere videtur. Ergone Chriſtus Crucifixus non vivit? non viget? non ejus ſanguis in alienis pectoribus bullit & effervеſcit? Pulcherrimam explicationem Theophylacti ſubjicio. *Ideo autem quæ deſunt, dixit: ut arguat tantam Chriſti fuiſſe in nos charitatem, ut nec debitum omne ſe perſolviſſe credat. Et tanquam nec ſatis ſit quæ antea tulerit ſed poſt mor-*

Crucifixus in Sacerdotibus omnia agit.

Theophylacti verba.

tem

tem etiam nostri gratiâ patiatur. Et in meo corpore, hoc est in mei corporis passione. Neq; enim morte suâ duntaxat contentus, quin & infinitis nititur modis ut facere satis nobis pro suo desiderio queat. Ita ergo liberalis Christus ut in omnes actiones suorum nunc etiam defundatur.

Justus Lipsius gaudebat se mori Quadragesimæ tempore. *Nunc enim inquiebat, sanguis Christi fervet.* Sed hoc de omni, hoc de isto verum esto die. Gramondus historiarum Galliæ L. 13. ad an. 1622. rem satis dignam hoc loco refert. *Toto anni circulo ampullæ crystallinæ partem infimã occupat sanguinolentus pulvis, donec in diem passionis Dominicæ ventum, qualis in Ecclesia Romana quotannis recurrit. Ubi illuxit dies lentè intus condensari rubicundo nimbus vapore, nec multò post assurgere velut attrahente sole, crystalli color subalbescens sensim sacro murice obvelari, hæc inter fervêre intus sanguis, exundare, calescere, donec quo momento anniversaria commemora-*

Ampullâ sanguis à D. Magdalenâ delatus fervet.

Gramond.

memora-

memoratione exspiravit Christus, posito æstu dilabitur sanguis, pulverique restituitur pristino, velut exanimato corpore. *Hæc ille suo stylo* de ampulla à D. Magdalena in Massiliam delata. Sed quidquid sit de his prodigiis, satis aliis argumentis constare videtur Christi passionem peractam olim, nunc recentem, sanguinem olim effusum, etiam modò, quoad efficaciam ejus esse præsentem ac fervescentem. Aspicite hodiernum diem, ite per templa, fora, cathedras, pœnitentiæ tribunalia, pauperum xenodochia. Quidquid agitur, hoc sanguis Christi agit. Oramus? Christus Crucifixus in nobis orat. Ultrò flagella patimur? Christus Crucifixus hæc suscipit. Docemus? Crucifixus per nos docet. Peccata detestamur? Crucifixus in nobis dolet. *Deesse putat aliquid charitati suæ nec omne debitum persolvisse. Non satis esse quæ tulerit, ideo nos animat sui calore sanguinis, ut post mortem etiam, in nobis nostri gratia patiatur.* Et antiqua-

antiquatam Christi passionem putetis? Sanguinem deferbuisse, qui tot vitales Spiritus Ecclesiæ, mihi, vobis, omnibus subministrat? ô Sacerdotes! quotidie manus per nostras sanguis Christi fluit. Nos unius guttam sudoris salvandis animabus negabimus? O nostram parcitatem! Licentiosa juventus, quotidie Christus sanguinem fundit. Cur à tot sceleribus conscientias vestras non eluit? O insaniam juventutis! Delicatæ puellæ ac mulieres quotidie Christus deliciis vestris ingemiscit & dolet. O liberalitas! cur in vobis amorem mundi & luxum non extinguit? O inhumani contemptus! Inveterati peccatores quotidie Crucifixus vos ad pœnitentiam vocat. O bonitas! Cur tot gemebundi voces cor durum non emovent aliquando! O durissimam animi conditionem!

D.PAULUS.

D. PAULUS.

Dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Galat. 2.

PROPOSITIO III.

Cùm pro universis tum pro uno quoque mortuus Christus.

INter hominum mores versatur illud. *Gratia in commune sparsa ab omnibus accipitur, à nemine redditur.* Stra. Infelici loco ponitur beneficium, cùm in sinum omnium projicitur, conditurque potiùs & sepelitur, ex quo nulla danti reverentia nullus amor enascetur. Stoicus quoque Rom. abjectè tractavit beneficium humanum omnibus datum. Nam ubi rogâsset: *Si Princeps civitatem dederit omnibus Gallis, si immunitatem Hispanis nihil hoc nomine singuli debebunt?* Respondet. *Quidni debeant? debebunt autem non tanquam proprium beneficium, sed tanquam publici partem---. non tanquam pro me solvam, sed tanquam pro patria conferam.*

Beneficium commune, vilius.

Sen.

Negat proprium quod commune beneficium. Sit hoc in humanis usibus. Unius DEI beneficia etiam cum omnibus accepta, in eandem pertrahere conditionem nefas est. Absit à nobis ut non proprium ducam beneficium, nec tanquam pro me solvam quod cum omnibus accepi. Proinde cùm cætera ejus beneficia in commune profusa tum hoc Redemptionis publicū ita æstimare debemus ut mihi soli, ut tibi soli collatum. Quo affectu Apostolus dixit habuitque: *Dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Ubi Theophyl. in Enarrationibus. *Etsi pro omnibus seipsum tradidit Christus, æquâve omnes prosecutus est charitate, Paulus tamen advertens, quantis nos ille exemerit malis, & quibus donis affecerit, charitate ipsâ accensus, quod cunctis erat commune, proprium facit.* Unde S. Th. 3. p. q. 1. a. 4. salutare decerpsit monitum. *Illam quisq; ita meditetur, tanquam licet pro omnibus, pro se specialiter peractam.* Quod dicta

Dilexit me explanatur à Theoph.

D. Th.

dicta propositio explicat. Cùm pro omnibus, pro unoquoque Christus passus.

Primò. Meritò dictus Seneca L. 6. de Benef. Beneficium commune removit à nomine beneficii specialis. *Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor aut candidatus (hoc est in campo) aut reus (hoc est in foro) ad exsolvendum tamen hoc, portionem meam dabo. Sic istius muneris quod universis datur, debitorem me nego.* Cujus sententiæ bonas dat causas. *Quia mihi quidem dedit, sed non propter me: & mihi quidem, sed nesciens an mihi daret. Propter me factum esse debet, quod me obliget.* Humana scilicet beneficia in numerum jacta eximiam suî reverentiam amittunt, quia non propter me, nec in unius meî gratiam: deinde, quia dans ignoravit penitus accipientem, & in turba confûdit. Ex quo discursu Philosophi liquet, beneficia DEI atque hoc itidem Redemptionis &

Senecæ de beneficiis communibus sententia.

In Divina non cadit.

mortis pro omnibus obitæ, uniuscujusque deberi censeri proprium, atque unumquemque in singulari ejus esse debitorem.

Quæ propter singulos

Primùm. An non enim propter Tè, propter Mè, factum est? Quid utilitatis in DEUM rediit? si ego, si tu, si omnes salvi simus? Semper ille integer etiamsi perièramus, semper suus, & totus, & perfectus. An iste legitimus DEUS esset, si ego, si tu, si ille, aliquod instrumentũ commodi ejus esse possemus? An sol & luna cæteraque astra dum prosunt nobis, ideo prosunt nobis, ut & sibi prosint? Isto loco DEI beneficia tene. O quam vera charitate Paulus *Tradidit inquit semetipsum* quo fine? quâ causâ? quo fructu, *Pro me*, seu propter me. Ego solus, mea unius salus, mea utilitas in consilio illius traditionis, osculi, vinculorum, flagellorum, spinarum, dolorum contumeliarum, mortis deniq; fuit. Pro me propter me.

Rursum

Rursum an etiam ignorare me potuit Christus accipentem ? DEI beneficia non sunt ignorantis, & temerè & sine discrimine singulorum spargentis. Me, te, illum, vidit clarè, distinctè. Effugere ne unus potuimus uti manum ita scientiam dantis. Hoc de DEO Seneca. *Adjice quòd destinatò juvat. Ideoq; obligati sumus quòd non in beneficium ignorantis incidimus, sed hæc quæ accepimus, accepturos scivit---. Cogitavit nos ante natura (DEUS) quàm fecit, nec tam leve opus sumus ut illi potuerimus excidere.* Ite homines Christiani, ignoratos putate vos, & procul delectu aspectos in Redemptionis munere, quos lumen naturale hominis Philosophi perstringit, & singulos notâ propriâ accepisse ostendit. Propter Te redemit te, sciens, volens, redemit, & cùm omnes vidit redimendos, Te prospexit.

Et DEO omnes scientes.

Secundò. Pro Me seu inquam propter Me. Longiùs produco hanc

disputationem ex communi PP. D. Thomæ & Theologorum sententia. *Christum venturum non fuisse si Adam non peccâsset.* S. Athanasium breviter habete. *Necessitas indigentiaq; hominum anterior est, quâ sublatâ carnem non induisset. Athan. Serm. 3. cont. Arrianos.* Jam Latinus Augustinus Serm. 8. de verbis Apostoli. *Si homo non periisset Filius hominis non venisset.* Ex quo principio assumamus. Atqui singuli in Adamo peccavimus, & proprium cujusque peccatum originis ex illo habemus, ut docet sancta Fides per Trident. & præterea ultra peccatum originale, etiam actualium tot rei sumus. Quare & uniuscujusque causâ Christus Redemptor venit. Ideo Jansenii Propositio V. ab Innocentio X. Anno 1653. ut falsa, temeraria, scandalosa damnata est ista. *Christum non pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quo fidei articulo constat, non tantùm ad omnes in genere, sed etiam ad singulos

Athan.

Aug. Singulos Redemptos de Fide est.

Et Jansenii contraria propositio damnata.

lo; & omnia individua pretium salutis ex sanguine CHRISTI defluxisse. Verùm cur ego tam gravia induxi argumenta? Ah! quàm dolendum & summo cum opprobrio nostro dicam? Statuat se quisq; ad conscientiam suam & ibi discet, an Christus illius causâ non venerit? non illum redemerit? *Nulla causa veniendi fuit nisi peccatores salvos facere*, ait cit. *August.* S. Paulus hoc in exemplum nostrum asseruit. *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*, 1. *Tim.* 1. Ita ergo unusquisque dicere debet, Primus ego sum. Altare, altare si liceret loqui tibi, quanto asseribus istis aliquot insistentē rubore suffunderes? Et ego tot scelerum reus ego redemptus non sim? Quid tu seculo addictus homo inquis? Te tuus mundus iste, tuus luxus, tua ambitio, tua theatra accusant, & tu reus non sis! non sis Redemptus? Quid vos compositi juvenes puellæque? ecce ille dies, ille locus te condemnat, illa

Aug.

cogitatio, vos innocentes vos redempti non ſitis? Quid vos Reges, Principes, Domini, Judices, à quibus publicæ injuriæ populorum, regnorum latrocinia, judiciorum tyrannis auctoritatem habet, vos immunes ſcilicet & non redempti? Meritò ſinguli Auguſtini voces imitemur & meditemur. *Ego ſum tui* Aug. *cauſa doloris, ego tuæ culpa occiſionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ paſſionis livor, tui cruciatûs labor.* Ergo me me obligare debet tua paſſio quæ pro me pro me facta eſt.

Tertiò. Similem aliquando David inciderat in errorem, qui nos in beneficio Redemptionis cogitando tenet. Nathan Propheta graviter accusârat raptorem unius ovis dilectæ & à Rege vindictam poſcebat. David ratus alibi hunc reum reperiri ideo mox ſententiam tulit non auditâ parte alterâ, ut in aliena ſumus expediti. *Vivit Dominus quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc!*

Nos ipſos in Redemptione cogitemus.

2. Regum

2. *Regum.* 12. At ecce in palatio, in throno, in conclavi Rex filius mortis. *Tu es, inquit Propheta, ille vir.* Obstupuit deprehensus & dicit *Peccavi.* Quis Agnum DEI istum ad tollenda mundi peccata cœlo diripuit, sinu Patris abstraxit? Non digrediamur ad alios, Tu es vir ille. Petrum negantem cogitas? Tu es. Magdalenam peccatricem? Tu es. Davidem adulterum? Tu es. Amnonem incestuosum? Tu es. Nabalum temulentum? Tu es. Jezabel crudelem? Tu es. Ah! quàm sequi deberemus istâ voce. Peccavi, ego peccavi. D. Bernardus hâc viâ Redemptionis beneficium contemplabatur, & missis omnibus in suam personam adstrinxit. *Ludebam ego inquit Serm. 3. de Nat. foris & platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis.* Ego ego inquam non alium hîc substituo. *Audivit hoc Unigenitus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes flens & ejulans, quod morte damna-*

tus esset servulus ejus. Ergo non ignoravit me, ergo propter me ut obliget me.

Quartò. Ordinaria illa Prophetarum oratio erat. DEUS meus, DEUS meus. S. David *Ps.24. Tu es DEUS Salvator meus.* Quid dicit suum? etiam meus, etiam tuus: verùm non respicit hoc gratissima voluntas, suum tantùm DEUM, suum Salvatorem facit. Ad hoc exemplum dixit S. Paulus. *Dilexit me & tradidit semetipsum, prætermitto alios, pro me.* Theophylacti est sententia. *Quod cunctis erat commune, proprium facit; quemadmodum & Prophetæ, cùm dicerent, DEUS, DEUS meus.* Venit Christus salvos facere peccatores, & salvavit in templo adulteram, ad puteum Samaritanam, in lecto paralyticum, Matthæum in telonio, Paulum in via. At ego oblivìscar omnes, excipio omnes, DEUS cùm Salvator omnium, tum meus & singulariter meus. Seniores à D. Joanne describuntur. *Ceciderunt coram*

Deus meus Oratio in usu Prophetarum.

Theophyl.

ram Agno habentes singuli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt Orationes Sanctorum. Et cantabant canticum novum dicentes. Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo, Apoc. 5. D. Isidorus Hispalensis Episcopus, Bernardus & alii citandi alio loco, Passi & Crucifixi Christi figuram hîc notaverunt. At cur singuli & cytharam tenebant & de morte Domini pæana lætum agitabant? Significabatur in cœlo hanc esse beatorum Spirituum mentem unam, ut quisque pro se DEO gratias agat pro Redemptionis beneficio, singuli tam D. Adam quàm Abraham, tam David quàm Isaias, singuli agnoscant se Redemptos & dicant DEUS meus Redemptor meus. Utriq; scripturæ loco accomodabo verba Theophylacti. *Patefecit Paulus, haud secus debere singulos DEO gratias agere, ac si pro privata duntaxat eorum salute mortem obièrit.* Itaque sicut in cœlo

D. Isid.

In cœlo singuli se Redemptos profitentur.

cœlo ſinguli Crucifixo ſuam ſalutem debere fatentur, ita ſinguli in terris Redemptorem agnoſcamus. DEUS meus, Salvator meus.

Quintò. Duo magnifica & amoris pleniſſima fidei noſtræ myſteria Chriſtus in cœna extrema conjunxit, Euchariſtiam & Paſſionis ſuæ memoriam. De utraq; D. Paulus. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & bibetis calicem, mortem Domini annuntiabitis, 1. Cor. 11.* Quænam ſit cauſa utriusque Sacramenti connexi? ex proportione Euchariſtiæ ad mortem Domini conſtabit. *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille, nec ſumptus conſumitur ait*
D. Th. *de Euchariſtia D. Th.* Jam de morte
D. Chryſ. Domini D. Chryſoſt. ad dictam D. Pauli ſententiam. *Quid intereſt ſi & aliis præſtitit? quæ cùm tibi præſtita ſint, ita integra ſunt & perfecta, quaſi nulli alii ex his aliquid præſtitum ſit.* Indè cauſam elicitis cur Euchariſtiam mortis ſuæ annuntiationem eſſe Dominus voluit? Euchariſtia enim

licet sit commune beneficium, tamen etiam singulorum: In eodem beneficii genere mors Domini ponenda, commune donum, sed ita ut unicujusque. Sumunt mille, sumit unus, corpus Christi, Redempti mille, redemptus & unus. Hoc de Eucharistia, hoc de morte Domini dicamus, credamus, confiteamur. Quid interest? si & aliis præstitit? adhuc mihi utrumque beneficium constat. Nec sumptus nec Redemptor consumitur. Ita datur mihi in cibum & redemptionem, tibi, illi, atq; si tantùm mihi non tibi, non illi. O verè dilexisti me! Redemisti me Domine DEUS veritatis. Non in corpore imaginario, non ad scenam, non per favorem sed ad veritatis & justitiæ rigorem & pondus. Concludo verbis D. Paulini Episcopi Nolani *epist.* 4. *Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit? quid pro bonis suis quæ contulit referam? Quid pro suscepta carne? quid pro alapis? pro opprobriis? quid pro flagellis? pro Cruce, obitu,*

Ut Eucharistia, ita Passio Christi singulorum est.

D. Paulin.

tu, sepultura rependam?---. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro pecuniâ. Amabo *DEUM qui benefecit mihi. Ps. 56.*

D. PAULUS.

Commendat autem Charitatem suam DEUS in nobis: quoniam adhuc cùm peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Rom. 5.

PROPOSITIO IV.

Nimia in Peccato Malitia, nimia pro Peccato Charitas.

NImia in peccato malitia. Ulteriùs propositum meum hoc non prosequar, verùm in ipso exordio figo pedem, & te ô ipsi justitiæ metuenda ô nullis precibus donisque venalis Divina appello justitia. Si in peccato nimia sit malitia, sit etiam nimia contra peccatum severitas. Malitiam persequatur & apprehendat justa ut ita dicam malitia. Utique hi mores hominum malum reddere

dere malo. Crudelissimus principum Sylla sepulchro suo jusserat incidi: *Se nec beneficiis ab ullo amicorum, nec ab ullo inimicorum victum malefactis, Plut. in Sylla.* Scimus homines stulti hæc jungere, *Malè inquam, vult malè eidem volo.* Malâ famâ aspersit malâ rependam. Amphipolitanus Zoilus à quodam eruditorum interrogatus, cur malè omnes sermone tractaret. *Facere enim, inquit, cùm velim, malè non possum. Ælianus hist. Variarum L. 11. c. 10.* Cùm nimia in peccato nostro malitia sit! ô quid eloquar! quàm inusitatum apud nos, ut offensas officiis solvamus! DEUS correspondet nimiâ charitate pro peccato. *JESUS Christus cùm essemus inimici propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis DEO satisfecit. Trid. sess. 6. c. 7.* Energiam in connexione harum sententiarum advertite. *Propter nimiam charitatem. Et, cùm adhuc peccatores essemus mortuus est.* Cùm adhuc, hoc est, in eo statu

Syllæ sepulchri inscriptio. Plut.

Zoili dictũ inhumanum. Ælian.

Trid.

ſtatu in quo eramus indigni omni gratia & favore, digni æternis cruciatibus, indigni aliquo charitatis argumento, digni perpetuo odio, ecce charitas DEI, minus id eſſet, ecce magna, neque id ſatis erat, ecce maxima, ſufficiebat talis. Ecce inquam Nimia, & ſupereffluens & quidem in nos quibus maximum fuiſſet beneficium ſaltem non perire. Breviter utramque propoſitionem dabo. Nimia in peccato malitia hominis nimia charitas DEI pro peccato.

Primò. Non adducam huc ſeveram illam Theologorum concluſionem quâ dum de negotio incarnationis agunt, aſſerunt peccatum eſſe infinitam offenſam, ut Paulus Roſmer diſcuſſit in Concl. Theologicis Græcii. 1654. datis. Ajunt iſti, quòd dignitas perſonæ offenſæ & vilitas perſonæ offendentis, ſeu inæqualitas quæ intercedit inter DEUM & hominem offendentem & offenſum conſtituit eſſentialiter & formaliter

Peccatum infinita offenſa nonnullis Theologis.

maliter conceptum majoris gravitatis offensæ. Sicut enim opera Christi Domini sunt infiniti valoris quia in esse meritorii constituuntur essentialiter & intrinsecè per personalitatem Verbi : ita offensa erit infinita; quia in esse talis constituitur intrinsecè per infinitam inæqualitatem quæ est inter DEUM offensum & hominem offendentem. Adjice. Si quis Consulem percutiat, gravior erit offensa, quàm si quis eundem ob officio depositum percusserit. Ut docet Aristot. L. 5. Ethicorum ad Nicomachum c. 5. *Nam si is qui Magistratum gerit alium percutiat, non est repercutiendus : at si quis eum percusserit, non solùm percutiendus, verùm etiam supplicio afficiendus.* Ita ergo tu ô homo, cùm infinitè distes à DEO & tamen DEUM audes offendere, incurris apud DEUM offensam, quæ dat jus DEO ut tibi irascatur & indignetur. Anne hoc malum homini non est? Reum esse offensæ quam conditio finita hominis non adæquet. O momen-

Ex his causis.

tūm peccati! ô infinitū offensæ! Nō adduco hæc inquam & relinquo in medio. Verùm interim contentus ero contemplatione pia Divi Bernardi Ser. 3. de Resurr. Ait ille. Cùm homo peccatum audet, ita se gerere videtur tanquam si DEus suum proprium ignoret contemptum, aut si non ignoret, punire nolit, aut si velit, adhuc non possit. Quo stultitiæ genere quantum DEI gloriæ detrahatur, quis non videt? Huc usque DEI potentia extentam super tot damnatorū myriades manū tenet, quâ illa tot æterno carcere monstra stringit & premit. Peccate si aliqua vis ejus potentiam effugere vel infringere potest? Ergo potest punire. A tot seculis severissima judicia & decreta sua in peccatoribus DEI justitia exequitur ignibus, aquis, terris, aëre, cœlo, fulminibus in ultionem missis. Audete peccare si DEUS inermis aut mollis judex est. Ergo punit. Tot incestus, adulteria, homicidia, occultissimos etiam dolos & scelera spelun-

Contemplatio circa hoc D. Bernardi.

Non incongrua.

ſpeluncis, cubiculis, palatiis, deſertis clauſa vel ſecura, per Legatos, Prophetas, Conciones publicavit, Lothi, Sodomæ, Onan, Ægyptiæ Dominæ, Davidis, Amnonis peccata in notitiam produxit. Audere peccare ſi ſuos neſcit contemptus. Ergo novit. Heu! quòd ſcientem, & juſtum, & potentem offendimus? *Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ DEI ſapientiam, juſtitiam, potentiam perire deſiderat, inquit cit. Bernardus.* Ejus verba. Accipiamus cum rubore noſtro pium hunc diſcurſum & elevata cum Publicano manu percutiamus pectus: *DEUS propitius eſto mihi peccatori.* Aut cum Davide: *Propitiaberis peccato meo Domine.* Quare ita? *Multùm eſt enim.* Ipſa multitudo, magnitudo, malitia adhuc DEO noſtro pro cauſa veniæ. Et videamus quàm *nimia pro peccato charitas DEI.*

Secundò. Certum eſt nullam majorem charitatem eſſe quàm mori pro amicis. Hæc eſt propoſitio Do-

mini. *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ad quam Domini nostri conclusionem, duo annotavit

Corn. Cornelius hîc. *Primò charitatem majorem non haberi, quàm mori pro amicis, sed inter homines intelligendum id esse. Alterum. Quòd Dominus non*

Pro inimicis mori non est hominis.

dixerit, pro inimicis, causam esse: Quoniam id nunquam inter homines esset. Unde patet, inter homines maxima charitas, mors pro amicis, at pro inimicis mori nunquam reperiri inter homines, neq; charitatem istam esse hominum. *Nec quàm citò dici-*

Nec facilè pro amicis.

tur aliquis pro alio mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitra-

Val. *bitur. Ita determinat Val. Max. L.6. c.8.* Magni scilicet vitam suam æstimant homines. Quid enim illi tuendæ, urbes, mœnia, arces non assurgunt? non exercitus stant? quid gladii, quid satellites per stipendia collecti, quid medicinæ agunt nisi ad vitam servandam excubant? Verùm hunc thesaurum si opus, aliquando

quando pro solis amicis, non tamen ex facili & quàm citò dicitur, expendere pergunt. Et hæc inter homines virtus charitatis maximæ celebratur. *Damon & Pythias Pythagoricæ disciplinæ sacris initiati, inquit Valer. L. 4. c. 7. tam fidelem inter se amicitiam junxerunt, ut cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atq; is tempus ab eo, quo priùs quàm periret domum profectus res suas ordinaret, impetravisset: alter vadem se pro reditu ejus tyranno dare non dubitavit. Solutus erat periculo mortis, qui modò gladio cervices subjectas habebat, idemq; caput suum subjecerat, cui securo vivere licebat. Appropinquante deinde finitâ die, unusquisq; stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat: eodem autem momento & horâ à Dionysio constitutâ, qui eam acceperat, supervênit.* Concludit. *Hæ sanè vires amicitiæ mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem extinguere potuerunt.* Et alibi idem. *Mistum cruorem amicorum & vulneribus innexa vulnera,*

Val. Damonis & Pythyæ amicitia.

mortemq́; morti inhiantem videre hæc vera amicitiæ judicia.

Mittamus profana hæc & quæramus in Christianis. An charitas reperiri possit pro inimicis mori. Eamus in theatra illa Romana, fora, plateas, arenas, circos, campos quibus Martyres Christi moriuntur. In cratibus ignitis hi extenduntur, illi gladios, secures, excipiunt, his flammæ, sartagines, carbones subjecti, hi semianimes resinam, plumbũ, acetum, aquas ferventes bibunt. Hi bestias expectant, hi præcipitia & culeos. Illi pedibus manibusq́ue post terga revincti lacerantur, minuuntur, franguntur saxis. O immane spectaculum! florentissimos juvenes, formosissimas virgines, veverandos senes, dignissimos viros, lectissimas fœminas, per tot perire tyrannidis species, unâ virtutis, religionis, castimoniæ causâ! Sed neq; ista charitas pro inimicis adhuc inter homines & humana est. Pro dilecto DEO, pro optimo DEO, pro

Martyrum tormenta, levamentũ ex causa habuêre.

Quia pro dilecto Deo.

spe

ſpe æternitatis emoriebantur. Hinc illis ardor, hinc in morte ipſa voluptas. DEUS ac beatitudo. *Talis custodia mentis erat, jus hoc animi morientis habebant. Lucanus L.* 8. Ubi tandem inveniamus charitatem non hominis? Ubi pro inimicis? Quærite in triſti horto Gethſemani ibi factus eſt ſudor JESU ſicut guttæ ſanguinis. Et hoc pro inimicis. *Sinite hos abire.* Ubi quæramus qui vincula, flagra, ſpinas ultrò ſubeat, caput, tergum libens ſubjiciat & militi exponat, ut inimici ſolvantur? Quærite ad columnam prætorii Hieroſolymitani, ubi latro, & homicida, & ſeditioſus dimiſſus ut innocens Chriſtus occideretur. Et hoc pro inimicis. Ubi quæramus in quo mortis funeſtæ contemptus eximius? vitæ dulcedo extincta? rogata apud Patrem cum lachrymis venia, ut vivant inimici vivant? Quærite in monte Golgothæ, in præalta Cruce, ibi Crux ſuſcepta *confuſione contemptâ*, ibi amor inter odia auditus. Et hoc pro inimicis.

Lucan. 8.

micis. *Cùm adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est: cùm essemus inimici, propter nimiam charitatē in ligno Crucis pro nobis DEO satisfecit.* Concludamus ergo talem charitatem nusquam inter homines esse, fuisse aut futuram fuisse Dei-hominis virtutem propriam, & hanc in Cruce primùm orbi universo apparuisse. Si mortui amici pro amicis, hoc inter homines fuit. *Tu majorem habuisti Domine, ita alloquitur Bern. Feriæ IV. Serm hebdom. Pœnosæ, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus & Patri. Quænam alia videbitur esse vel fuisse vel fore huic similis charitati.* Si Martyres pro te mortui, sed pro amico. Tu majorem habuisti Domine, ponens animam pro inimicis.

Bern.

Tertiò. Joab Dux exercitûs Israelitici pro maximo opprobrio objecit, ac simul non dolendi motivum attulit Davidi cùm cæsum Absolonem filium lugeret. *Diligis odientes te.*

te. 2. *Reg.* 19. q.d. Stultitia ingens est Rex, amare malum, seditiosi deflere cædem. Pretiosa res amor, non quocunque expendendus est. Dandus solis amicis & bonis, negandus inimicis, malis etiam filiis si improbi & hostes. Quâ oratione motus Rex, *Surrexit & sedit in porta*, luctu ob justam reprehensionem aut abjecto aut dissimulato. Intellexit Rex sapiens suos cuique rei affectus dividendos, amorem in cives, severitatem in contumaces, in hostes odia & arma distringenda. Immeritò illum fleri vixisse qui se regnare doluerit. Ita & C. Cæsar auditâ M. Catonis morte. *Invideo tibi ô Cato mortem tuam, nam & vitam meam mihi tu invidisti. Plut. in Catone.* Atqui hoc argumentum valet apud homines, apud Dominum JESUM nullius momenti est. *Cùm adhuc peccatores cùm adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est.* Ecce quomodo diligis bone JESU odientes te! Non valuit contra nimiam

Cæsaris dictũ à morte Catonis.

Plut.

charitatem tuam titulus inimicitiæ, odii quo te ah ! prosecuti sumus.

Cornel. Ponderavit sapienter & piè dictam Apostoli sententiam, Corn. cit. *Vide hîc & obstupesce amoris Divini immensitatem. Objectum amoris est Bonum. Quid in nobis Domine boni invenisti, quid pulchri quod amares?* Sapienter inquam dicit, *Immensitatem Amoris Divini.* Immensitas enim DEUM quovis loco etiam infimo abjectoq́ue ac etiam spatiis imaginariis sistit: sicut cùm nullus locus adhuc erat ante rerum mundiq́; creationem, DEUS tamen immensus erat & ubique esse, dici poterat. Ita Divinus Amor non bonos solùm sed etiam malos & quidem futuros etiã ac nobis imaginarios peccatores complecti rectè dicetur. An gustus amor creatus bonis solis & pulchris movetur. At immensus DEI amor in fœdissimis aliquam pulchritudinem, in pessimis bonitatem reperire novit. Non enim uti creatus, cæcus est. Obstupescamus Divini Amo-

Amoris & immensitatis Divinæ comparatio.

ris

ris immensitatem. *Diligit odientes se.* Quod ipsum S. Paulus innuit quando hæc connectit. *Charitatem DEI & patientiam Christi. 2. Thesal. 3.* Sicut enim charitas DEI omnes etiam malos amat, ita patientia quæ propria est solius Christi pro omnibus etiam inimicis patitur. Immensa DEI charitas, immensa Christi Domini patientia. *Amare & sapere vix DEO conceditur, ait P. Syrus.* Amor & sapientia non inveniuntur simul apud homines, qui aut stultè falsa bona amant, vel ita bona, ut mala judicii infirmitate aversentur. DEO amor & sapientia unà conveniunt, qui scit & in malis bona discernere & amare. Cùm amat etiam inimicos amat, cùm patitur etiam pro inimicis patitur.

Amare & sapere DEI solius.

Syrus.

Quartò. Magni amoris indicium est illa Domini vox. *Nemo tollit animam meam, sed ego pono illam à meipso. Joan. 15.* Tria illa: *Nemo tollit, Ego pono, A meipso*, energiam singularem habent. Quibus antequam suum

ſuum ſenſum dem, quæſtionem Theologis celebrem in hac materia præmoveo. *An Chriſto Domino præceptum rigoroſum moriendi potuerit imponi?* De quo Theologi dicunt. *Primò.* Non potuiſſe dari præceptũ comminatorium, quale datum erat Adamo, *In quacunq; die comederis morte morieris*, cujus transgreſſio pœnam & odium DEI ſequitur. *Ratio* hujus eſt. Quòd impoſſibile eſt ut DEUS à Chriſto averteretur. Deinde. Quòd minæ & timor non posſunt ſtare cum perfectiſſima Chriſti charitate inter DEUM & Chriſtum. *Dicunt ſecundò.* Neq; potuiſſe dari tale præceptum Chriſto Domino, cujus oppoſitum eſſet peccatum. *Ratio eſt.* Quòd in hoc caſu deberet à DEO cognoſci poſſe, eſſe ut Chriſtus peccaret, & ab illo DEUS averteretur: quod ipſum eſt impoſſibile. *Dicunt igitur Tertiò.* De facto Chriſtum Dominum non habuiſſe rigoroſum præceptum moriendi ſibi impoſitum. Quibus poſitis.

De facto Chriſtus non habuit præceptum rigoroſum moriendi.

Reſumo

Resumo locum illum D. Joannis. *A me inquit pono.* Quem in nostrum Chrysostomus propositum. *Quòd si præcepto indigeret quomodo à seipso ponere dixisset : qui à seipso ponit, præcepto non indiget.* Ex quo deducitur facilè, præceptum rigorosum moriendi non fuisse impositum, sed ultrò ac liberè mortem suscepisse. Quòd autem Dominus dicit sibi à Patre præceptum datum D. Chrysost. ita explicat. Præceptum autem de quo Christus Dominus loquitur sæpe, fuisse ordinationem Patris potentis quidem obligare, non tamen obligantis. *Hoc præceptum inquit Chrys. in c. 1. Joan. illa verba. Hoc mandatum accepi à Patre meo : quodnam? Mori pro mundo. Priùsne ergo præceptum accepit & inde paruit? & priùs quid esset faciendum ut disceret opus habuit? Et quis non expers rationis hæc dixerit? Sed quemadmodum superiùs dicendo, propterea me diligit, spontaneam indicavit voluntatem, contrariam amôvit suspicionem : ita hoc in loco præ-* Chrysostomus.

ceptum

ceptum se à Patre accepisse dicens, nil aliud ostendit, quàm idem videri Patri quod ipse facit. Idem Theophyl. in Enarr. Epist. ad Philipp. c. 2. *Ubinam sunt qui invitum hunc ut patris jussa exequeretur, asserunt descendisse? Audiant quemadmodum seipsum ut Dominus & sui juris non alieni exinanierit.* Ideo Dominus, Ecce ascendimus, inquit. *Ubi Imperf. Videte, inquit, quia voluntariè vado ad mortem. Nemo me vocat, nemo me admonet. Nullius potestatis præceptum timeo, nullius violentiæ potestate compellor.* Amore itaque mortuus non necessitate Præcepti. Pater voluit, voluit Filius, nullo præcepto Pater, nullâ obligatione Filius, oblatus quia voluit, quia voluntariè sacrificavit. Non hostium rapuère manus, amor tradidit. Non testium pervicacia & doli, amor convicit. Non judicum iniquitas, amor sententiam tulit. Non ex manibus hostium Crucem accepit, amor injecit. Non invidia Cruci affixit, amor clavos adêgit.

Theophylactus,

Imperfecti in Matth. Auctor.

git. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè. Oseæ. 14.* Oseas.

Insigne factum servi Dominum servantis refert *Val. Max. L. 6. c. 8.* Val. *Antius Restio proscriptus à Triumviris, cùm omnes domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quàm maximè poterat dissimulatâ fugâ se penatibus suis intempestâ nocte subduxit: cujus furtivum egressum servus ab eo vinculorum pœnâ coercitus, inexpiabiliq; literarum notâ per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, atq; vestigia huc atq; illuc errantis benevolo studio subsecutus, lateri voluntarius comes arrepsit. Quo quidem tam exquisito tamq; ancipiti officio, perfectissimum inexpectatæ pietatis cumulum expleverat: his enim quorum felicior in domo status fuerat lucro intentis, ipse, cùm nihil aliud quàm umbra & imago suppliciorum suorum maximum sibi esset emolumentum, ejus à quo tam graviter punitus erat, salutem vendicavit.* Concludit epiphonemate ad rem gestam magnifico.

Servus amor in Dominum crudelem.

Cumq;

Cùmq; abundè foret iram remittere, adjecit etiam charitatem. At nos istum Dominum inexpiabilibus scelerum notis proscidimus ipsi, ei cùm abundè esset iram remittere, adjecit etiã charitatem, & hoc pro inimicis. O nimiam hominis contra DEUM inimicitiam! ô nimiam DEI erga hominem amicitiam! ô miserum te hominem! quàm nimius es in amore peccati? ô afflictissimum te JESU quàm nimius es in amore peccatoris? Stultus & ignavus amor interdum quos amat occidit. *Non committam, inquit Stoicus L. 2. de Benef. tanquam amoris hujus cautior, ut possit quandoq; dicere: Ille amando me occidit.* Non vereamur ne nos Dominus JESUS amando occiderit. Ah! amemus quòd se occidendum dederit amando nos. Ah! vereamur ne sic amati nos ipsos occidamus.

Amando occidimus.

Sen.

Quintò. Amnon languoris causam amico suo Jonadabo fratri: *Quare sic attenuaris Fili Regis per singulos dies?* arcanum animi elocutus.

Amo inquit 2. Reg. 13. Ita hunc incestuosus amor penè confecerat, at *M. Plautium Romanum ad sepulchrum & rogum uxoris Horestillæ coëgit, ut Tarenti hodie extet sepulchrum* Τῶ φιλόντων *Val. L. 4. c. 6.* id est Amantium. Interrogemus hunc filium Regis æterni, cur in horto pallore, cur ad columnam flagris, cur in curia spinis attenuaris fili Regis? Non aliam vocem exprimetis præterquam *Amo.* Quos? inimicos, non suos fratres, non sorores, hostes Amo. Non in illis formam & speciem, non mea commoda & voluptates, hominem id est inimicum Amo. Eamus per instrumenta dolorum ejus. Cujus hæc est nuditas & laceratio? Amantis. Cujus flagella, funes, spinæ, clavi? Amantis. Cujus purpura, alba vestis, Crux, acetum? Amantis. Bona est præceptio liberalitati formandæ illa. *Si gratos vis habere quos obligas, non tantùm des oportet beneficium sed ames. Sen. L. 2. de Benef. c. 11.* Copiosè Domine JESU huic humanæ

Sepulchrũ amantium.

Val.

Sen.

nostræ Ethicæ & disciplinæ satisfecisti, dedisti vitam, sanguinem, opprobria, vulnera, mortem & amâsti. Ergone ingrati erimus? duræ & rigidæ animæ nos non respondebimus danti sic & amanti, dedo & amo? Dixerat olim Dominus verissimam veritatem licet paradoxam mundo. *Qui amat animam suam perdet eam. Joan. 12. Intelligi potest, inquit hîc August. Qui amat, perdet, id est, si amas, perdes.* O Domine hæc ipsa vox te periit. Amâsti animam tuam & perdidisti, si non amâsses non perdidisses. Amâsti, ô si animam tuam illam amore dignissimam tantùm amavisses, sed ita amando non perdidisses. Ah! quia nos, hostes, vile retrimentum inferni amâsti, perdidisti, periisti. Et nos non amemus hunc? non perdamus nos ipsos! Pereamus si non amemus hunc qui ita perierat. Videat quo sensu dixerit ille. *Vita multa debemus, morti nihil. Sen.* Plurima nos vitæ tuæ optime JESU, at omnia certè morti

Qui amat animam perdet explicatur Augustino.

tuæ debemus. Si vitam tuam honorare, mortem etiam amare obligamur.

S. DAVID.

Redemisti me Domine DEUS veritatis. Psal. 30.

PROPOSITIO V.

Solus homo vivendo peccatum facit: solus DEUS moriendo pro peccato satis facit.

PEccat homo, DEUS moritur. Quidnam ego elocutus sum? Peccat homo. Quid deinde? Deus ne mori debuit, & quænam hæc sequela? Peccat homo, moriatur homo, sicut ei dictum: *In quacunque die comederis morte morieris.* DEO immortali sua gloria & honor constet semper. Succensuerat de justitiâ suâ querentibus injustè DEUS. *Quid est quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel? dicentes: Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupescunt?*

Et mox subjicit: *Vivo ego dicit Dominus DEUS, si erit ultrà vobis parabola hæc in proverbium in Israel---. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Ezech.* 18. O Domine ubi iræ tuæ stylus? Comedimus filii hominum uvam acerbam, cur Fili DEI pateris, & in stuporem hostium venis? Luamus pœnas quibus peccatum voluptas fuit. Sed aliâ viâ Divina bonitas divertit; imò nisi sic divertisset homo qui peccatum fecerat, nunquam pro peccato satisfecisset. Quod S. David Rex intimat illis verbis: *Redemisti me Domine DEUS veritatis.* Cur qui redemit DEUS? Quia nullus Redemptor nisi DEUS. Hoc illius inter cætera attributum; quod nulli hominum proprium esse potuit; Redemptor. *Ille solus pro peccato satisfacit quod solus homo facit.* Hæc propositio mea erit.

Primò. Facilè fidem habet, solum hominem peccare. Impiè Calvinus sanctissimum DEUM traducere volebat tanquam causa sit pec-

cati,

cati, ut non minùs Pauli conversio, quàm Judæ proditio DEI opus fuisse censeri debeat. O impudentiam oris & mentis! Ille peccati causa sit, quod sub jactura gratiæ & æternitatis per omnes scripturæ suæ libros interdicit? Melius digniùsque Seneca DEUM æstimavit. *Ille bonorum amantissimus qui nos esse quàm optimos atq; excellentissimos vult. Lib. de Providen.* Veritas hæc postremò explicata à Tridentino *Sess. 6. can. 6. Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona DEUM operari, non permissivè solùm sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium opus ejus non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Ita Isaias de DEO præclarè locutus. *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. Is. 28.* Hugo Cardin. *Opus suum id est Redemptionem nostram*, at opus peregrinum quod impii dicunt ejus esse, peccatum est: *peregrinum* inquam

Seneca melius Deum æstimat Calvino.

Trid.

Isa. Opus DEI proprium Redemptio.

Hugo.

Peregrinũ à Deo peccatum. quam quòd nunquam apud DEUM consistat aut resideat, *peregrinum* quòd illud DEUS non nôrit, *peregrinum* cui semper dicitur, Foras canes, cui nulla in cœlo hereditas & patrimonium. Articulum hunc fidei nostræ optimè distinxit Propheta. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Osee c.13.* Advertamus vocem *Tantummodo* & *Tua* hoc est, tui operis peccatum est, ex quo fluit perditio, ita ut propriè dicatur tua, cujus causa voluntas perversa tua est. Ego meam operam huc non addo. At verò auxilium tantummodò in me & meum est. Hoc ego ad salutem fero. Hoc in me tantummodò collocatum est, ut frustra aliò respicere possis in nullo hominum, nec in teipso salutarem gratiam reperturus, quâ vel à peccato erigaris, vel pro peccato satisfacias. Quare solus homo est auctor peccati sui. Et hæc soli homini propria ut ita dicam, omnipotentia, omnia peccata posse peccare, & quod Publius

Ex Isaia.

& Osee.

blius ille comicis tragicisque vehementior ingeniis *apud Stoicum* L. de Tranquillitate animi ajebat. P. Syrus.

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. Aut sicut ille nescio quis ex Senioribus audito alterius peccato. *Illi inquit hodie, heu! mihi cras*. O miseram omnipotentiam! Humiliemur inde coram DEO, & ita se quisque nôrit, ita æstimet. In vitis PP.

Secundò. Solus DEUS satisfacit pro peccato. Hîc primùm ad Theologiam, cujus hæc communis ferè conclusio. *Satisfactio pro peccato mortali ad æqualitatem à pura creatura impossibilis est.* Quæ licet ardua & difficilis sit, tamen ex auctoritate PP. communi suam auctoritatem & pondus accêpit. Hoc enim ex loco contra Nestorianos & Arrianos arguebant, Christum Dominum fuisse DEUM consubstantialem Patri, *Quod condignè satisfecerit pro peccatis.* Quæ argumentatio contra illos astutos & pervicaces non fuisset efficax, si pura creatura, hoc est, non

Impossibile pro mortali satisfactionem.

Patrum est conclusio.

unita DEO posset condignè satisfacere. Cedamus ergo Sanctissimis Fidei Magistris, & longè perspicacibus quàm nostra sint ingenia. Videbant quâ parte illi erant premendi, absit ut putemus tantùm lusisse argumentis. Unus ex pluribus Cyrillus adest. *Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus, justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si passionem illam puri hominis esse dicamus? Epistolâ ad Valerianum.* Idem L. 1. ad Reginas de recta fide. *Quomodo sanguis communis sanctos nos efficeret? sed sanctificavit nos sanguis Christi: DEUS igitur & non simpliciter homo. Ita ille Hierosolymitanus Antistes.* Rei adeo sacrosanctæ liceat ex gestis profanorum intertexere similitudinis alicujus causâ. *Erant inter Athenienses & Dorienses simultatū veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de eventis belli oracula consuluerunt. Responsum, superiores fore, nî Regem Atheniensem occidissent. Cùm ventum esset in prælium, militibus ante omnia*

Cyrilli.

Declaratur simili.

omnia custodia regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore Rex Codrus erat: qui & responso DEI & præceptis hostium cognitis, permutato Regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur. Ibi in turba obsistentium, à milite quem falce astu vulneraverat, interficitur. Cognito Regis corpore Dorienses sine prælio discedunt. Atq; ita Athenienses virtute ducis pro salute patriæ se offerentis, bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriæ nominis ejus tributum est. Verba Justini L. 2. Simile in negotio tanto actum erat. Peccatum, mors altera, infernus superiores nobis bello fuissent si Christus mortuus non fuisset. Remedium victoriæ ac salutis humanæ nullum erat in homine vulgari & puro. Ecce DEUS indutus formam servi occiditur, unde salus nostra ab unius istius interitu. Nisi ego fallor figuram totius istius materiæ DEUS imperaverat Moysi ac nobis insinuabat. *Dixitq; Dominus ad Moysen,*

Codrus Rex in suos amoris argumentum.

Justin.

Declaratur secundò scripturâ.

sume tibi aromata, stacten & onycha. galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis eruntomnia, faciesq; thymiama compositum. Quid hoc quàm Christus duabus ex naturis & unâ personâ constans Divinum scilicet & sanctissimum compositum? in quo æqualis ponderis omnia non quoad naturas, sed quoad actiones theandricas seu Dei-hominis, quarum unaquæq; ad æqualitatem satisfacere Deo, & illum conciliare poterat. Addit Dominus ad Moysen. *Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicunq; fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis. Exodi 30.* Significatur non fuisse, neq; esse, aut fore in potestate hominis ullius, talem satisfactionem potuisse offerre, qualem DEUS in Christo nobis composuit, adeoq; illũ solum esse thymiama ad æqualitatem Divinæ complacentiæ, illum solum Patri & Spiritui

Sensu accommodo.

tui ſancto æqualem, potuiſſe DEUM iratum placare. Heu! adeone grave peccatum meum erat cujus nulla pura creatura ſatisfactionem afferre poterat? *Talem compoſitionem non facietis.* Sumamus unum conſenſum internum mortalem, unum ictum adulterini oculi ad concupiſcendum, hunc nulla creaturæ ſimplicis ſolutio explebit? *Talem compoſitionem non facietis.* Solus ille incenſus amor Chriſti ſolvit & diſſolvit, *Talem compoſitionem non facietis* homines, & ſi præſumatis, peribitis, & perdetis vos non ſalvabitis. Rectè igitur D. Cyrillus interrogat, Quonam pacto? ſi puri hominis paſſionem illam dicamus. Quo pacto? nullo pacto.

Ponite hîc Abrahami fortitudinem, Filiùm tenellum, unicam ſpem domûs, ſub ictu gladii trementem hoſtiam immolatum euntis. *Non ſunt æqualis ponderis hæc omnia.* Et Cyrillus inſtabit. *Quo pacto?* Ponite Jobi patientiam omnibus everſi fortu- Et amplificatur.

fortunis, usque ad fimum DEO fidelis, cute detractâ ingemiſcentis, exſolvet putatis unum illum conſenſum? *Non ſunt æqualis ponderis. Quo pacto* ſi non homo DEUS patiatur? Cogitate Martyrum certamina & tormenta ac unam in corporibus tyrannidem. Excurrite ad ſolitudines. Hi ſepulti inter cadavera, mundo moriuntur vivi, hi à columnis & rupibus pendent, hi ſpeluncis & antris deliteſcunt, hi noctes diesq; lachrymis & gemitibus exigunt. Ergo hi mortale unum ſcelus exſolvent? Reſpondet Cyrillus. *Quo pacto? Si purus homo patiatur? Non ſunt æqualis ponderis omnia. Talem compoſitionem nunquam faciemus.* O peccatum quàm grave apud DEUM, quàm leve apud homines cenſêris. O leve peccatum quod ſolus homo facere! ô grave peccatum pro quo ſolus DEUS facere ſatis poſſit?

Tertiò. Glorioſis hoc ipſum verbis DEUS enunciavit per Iſaiam. *Ego ſum, ego ſum Dominus & non eſt*

absq; me Salvator. Iſ. 43. Notanda illa duo. *Ego ſum & non eſt absq; me Salvator.* Conjunxit hæc nomina, quorum primo DEI nomen proprium uſitatum: *Ego ſum qui ſum* commemoratur, altero nomen Salvatoris adjungitur. Quæ connexio ſatis docet DEUM qui eſt ſolus, ſolum eſſe Salvatorem. Atq; ne Salvatoris gratiam puræ creaturæ poſſe competere ſuſpicaremur, *Absq; me non eſt Salvator*, hoc eſt absque me qui ego ſum qui ſum. Absque me unito ſcilicet homini non eſt Salvator. *Non eſt* particula malignantis naturæ, ut ita cum Dialecticis loquar, negat aliquem poſt DEUM potuiſſe eſſe Salvatorem. Hinc deducitur dogmaticè non hyperbolicè & concionatoriè, nullam potuiſſe eſſe Redemptionem, ſalutem, condignam ſatisfactionem pro peccatis noſtris absq; Deo-Salvatore. O bonitas quæ ſic voluit ſatisfacere! ô malitia noſtra! quam ſic quotidie audemus facere! Impono finem huic

Abac 3. Abſcindetur de ovili pecus & non erit armentum in præſepibus. Hoc eſt nullum ſacrificium præter JESUM in quo gaudebo ut Deo Salvatore.

Nolite confidere in filios hominum. huic Prophetico loco D. Augustini verbis. Ad Psalmi 145. verba. *Nolite confidere in Principes & in filios hominum in quibus non est salus. In uno filio hominis salus, & in ipso non quia filius hominis, sed quia Filius DEI. Non propter id quod suscepit ex te, sed propter id quod servavit in se. Ergo in nullo homine salus: quia & in illo ideo salus, quia DEUS qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula. De Christo dictum est, ex quibus Christus secundùm carnem. Ex quibus? ex Judæis ex Patribus secundùm carnem. Sed nunquid hoc totum Christus quod secundùm carnem? Non. Neq; enim secundùm carnem, id est, super omnia DEUS benedictus in secula. Ideo in illo salus, quia Domini est salus.*

Aug. in nostrum sensum explicat.

Quartò. Tulit DEUS legem quandam de emptione. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat. Levitici 25.* Nota quòd solus propinquus potestatem habebat redimen-

mendi eodem pretio & venditam rem revocandi. Quòd si non habebat & pauper erat: *Habebit emptor quod emerat, usq; ad annum Jubilæum.* Ex textu legis Divinæ sumamus proportionem licet ad propositionem nostram. Omnes homines ab Adamo & Eva trahentes, amiseramus gratiæ possessionem, & jus quod ad illã habebamus recuperare non poteramus, postquam semel amisimus. Deinde, neque ullus propinquorum Adæ tantum pretium habuit, unde restat, gratiæ & gloriæ possessionem ad nos redituram nunquam fuisse. Quid ergo consilii misericordia DEI cepit illius, qui dives in omnes est? qui neque regalium Davidis bonorum egebat, cujus orbis terræ totus est? Voluit fieri homo ex Adami progenie, quò sic noster propinquus & frater fieret, & pretio ad æqualitatem oblato, remissionem peccatorum impetraret, amissam hereditatem restitueret, atque in salutem æternam induceret

Ex proportione legis probatur.

Christus noster propinquus.

ret extorres atque egenos. Obtulit inquam solus iste propinquus & consanguineus, cùm nobis omnia omnesq; alii deessent. D. Anselmi est oratio ista: *Conveniebat ut esset qui redimeret nos DEUS & homo: homo quidem ut hominum propinquus esset & pati posset: DEUS autem ut sanctissima humanitatis operibus infinitum daret valorem. Cur DEUS-homo.* O verè *DEUS DEUS salutis meæ.*

Anselmi verbis.

Quintò. Solicitè D. Job interrogavit. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Job.* 14. Et ubi omnes sacrificiorum veterum ritus & Patrum sanctitatem tanquã huic sanctificationi invalidam intellexisset. Ad DEUM solum revertitur: Nisi tu qui solus es. Hebræus habet: *Nisi tu cùm solus es.* Investigemus verbum hoc: *Solus.* Notatur enim DEUS esse auctor sanctificationis, sed cùm solus est. Non obstat dici id de Salvatore DEO Christo Domino, qui solus ideo, quia unius personæ in duabus naturis. Solus ergo iste sancti-

Tu qui solus es: explanatur.

Hebr.

sanctificat. Solus item cùm in Cruce. Nam licet in præsepio natus extra frequentiam urbis, habuit tamen Matrem, & Josephum & Pastores & Magos sui cultores. In solitudine & deserto jejunavit, sed angelos ministros adsumpsit. In horto elapsis in diversa discipulis, adhuc angelorum solatia audivit. At in Cruce solus est, ideo & sanctificat & Salvator. *DEUS meus, DEUS meus ut quid dereliquisti me? Quasi quædam enim derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis. Bern. Ser. 5. de verbis Isaiæ.* Itaque sciamus tunc nos emundatos cùm solus esset ille, hoc est & in persona unâ DEI Filii, & in Cruce relictus. Bias Atheniensium exercitu obsessus, rebusque in arcto & præcipiti quid agendum esset rogatus. *Ut vos inquit servemini, ego moriar. Plut. in Apophtegm.* Domini mei vox erat, *Ego moriar. Frustra vos hîc pugnetis: non opis est vestræ salus vestra, ego solus moriar ut vos rei*

Christus in Cruce solus.

Bern.

mortis mundemini, ſalvemini. En Salvator meus quia ſolus.

Quidni Crucifixus ingratitudini noſtræ ſuccenſeat & vel per prodigia puniat? Quid enim cenſetis? Si clariſſimâ luce Crucifixus trucibus oculis, irâ per vultum fluente, ſe in hunc locum daret? Mox ſuccedat ſonus tubæ arma & pugnas vocantis & his verbis *Sentietis iram DEI.* Tum fulgura, fulmina, tonitrua, imbres & totum penè cœlum pluviis vehementibus deſcendat? Venti tempeſtateſque ſonoræ omnia miſceant? Multi in ſublime rapti dejectiq; coram oculis veſtris decidant ſemineces? Tum vos liberos, amicos, uxores, hortos, deliciarum veſtrarum arcana, omnes gazas terra magnis hiatibus abſorbere paret? abſorbeat etiam, ſuperſtites verò ſaxea grando obruat? Quo ſenſu hæc acciperetis? Quis in antiquum chaos omnia relabi diceret, quis Crucifixum tunc gemitu non appellaret? Atqui tam prodigioſam vin-
dictæ

dictæ speciem exhibuit urbe Tholmâ in Indiis, luxu & deliciis corruptissima sede. *Ibi mare vicinum ad milliaria quatuor effusum. Naves LXX. mercibus onustæ, in altum abreptæ sorptæque. Cruces ante per vias erectæ publicas evanuere, quarum loco, proh! infamiam Christianorum & peccatorum! patibula conspecta. Retulit hæc idoneus auctor & scriptor Hadrianus Lyræus L. 5. de Imitatione Patientis JESU c.18. asseritq; gestum Anno* 1618. Sed linquamus hæc utcunq; facta & parciùs nobis usurpanda. Dico ego quidni nostræ ingratitudini non irascatur, non indoleat? Licebit hîc uti Originis verbo : *Salvator meus luget etiam nunc peccata mea, & tamdiu est in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore*, quæ benè D. Bernardus accepit. *Habet etiam nunc ineffabiliter ampliorem affectum & efficaciorem quàm habeant qui lugent. Serm. de verbis Origen.* Hoc sensu ajo, quidni non doleat? non affectu miseriæ, cujus in cœlo capax non est, sed cha-

Lyræus.

Origenis verba explicat D. Bern.

ritate & voluntate salvandi. DEUS in horto sudore sanguineo diffluit. Homo lachrymas ultro tenet. DEUS sub pedibus sicariorum vinctus jacet: homo contra DEI præcepta assurgit. *Et quidni doleat?* DEUS ad columnam toto laceratus corpore gemit: homo in gratiam sui corporis quæque fœda sibi indulget. DEUS pro peccatis irridetur homo in peccatis ridet. DEUS contumeliis oppressus tacet: homo impudenter, licentiosè vix lacessitus loquitur. *Et quidni doleat?* DEUS sanctissimo capite spinas portat; homo in suo altas, vanas cogitationes alit. DEUS in purpuræ centone in publicum nudatus protrahitur: homo vestes vestibus, aurum auro, luxum luxui accumulare non desistit. DEUS formam hominis pene perdidit: homo formam suam in luxuria & libidinibus prostituit. DEUS mortis reus proclamatur; homo seipsum peccando damnat. *Et quidni doleat?* DEUS sub Crucis pondere fatigatus labitur: homo in pecca-

peccatis liberè progreditur. DEUS in Cruce pro peccatis moritur: homo in peccatis vivit. DEUS exsolvit peccata, homo se resolvit in peccata. DEUS pro peccatis satisfacit, homo peccatorum finem non facit. *Et quidni doleat?* Ampliorem & efficaciorem habens affectũ in cœlo erga ingratos quàm habeant qui lugent.

D. MATTHÆUS.

Joseph qui & ipse erat discipulus JESU, hic accessit ad Pilatum & petiit corpus JESU. c. 27.

PROPOSITIO VI.

Dominus Crucifixus à morte sua amabilior.

QUestus est Romanus consul. *Rara in amicitiis fides, & parata mortuorum oblivio, ut ipsi etiam nobis debeamus conditoria extruere, omniaque heredum officia præsumere. Plin. 2. epist. L. 6. ad Albinum.* Felicior hîc noster Dominus est cæteris mor- Plin.

tuis, cujus tam parata apud vivos posterosq; memoria, ut suo ipsi cedant sepulchro & corpus demortui ad sepulturam honoris gratiâ deposcant. Quantus enim iste ardor in occulto ac timido primùm discipulo, deinde in divite, nobili, ac civitatis Arimatheæ seu Principe seu Decurione seu Domino, sepeliendi pauperis & omni honore ejecti hominis? Mirabatur ille Valerium Publicolam, quòd *fastorum illud columen, patrimonio, ne ad exsequiarum quidem impensam sufficiente, decessit. Val. Max. L.4. c.4.* Nos sicut divitem nobilemque miramur audacter Præsidis curiam intrantem, corpus unius inter latrones damnati tanti æstimantem: Ita miremur & pauperem Deum-hominem de quo liceat dicere. *Abundè enim patet quid vivus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuerit. Val. suprà.* Quæ autem causa tantum stimulum Nicodemo subjecerit videbimus in contextu. *Petiit corpus JESUS inquit.*

ValeriiPub. paupertas.

Val.

Corpus & cadaver mortui in ejus tantùm animo valuit, ut quem viventem fateri vereretur, mortuum etiam peteret à patibulo maximi loco muneris. *Donavit corpus Joseph. Marci* 15. Item Angeli mulieribus ab ejus morte locuti declaraverunt. *Scio enim, ait unus illorum, quòd JESUM qui Crucifixus est quæritis. Matt.* 28. Scio, nota : Quo verbo dicit, sibi constare certò illarum voluntatem & studia, inde, quia illum quærerent, qui Crucifixus. Ideo quæritur, amatur, honoratur, colitur quia Crucifixus. Habebimus ex hac annotatione propositionem nostram. *Crucifixum Dominum à morte sua, seu post mortem esse amabiliorem redditum.*

Primò. D. Petrus Chrysologus Archiepiscopus Ravennæ magnum mysterium recognoscit in Symboli Apostolici additamento, ubi non solùm Crucifixum & mortuum credimus, sed insuper profiteri jubemur *JESUM sepultum.* Non satis erat

Credimus epultum Dominum. mortuum credidisse? Morte sanè illius omnis satisfactio & Redemptio humani generis peracta est: quid addo, sepultum? Ex quo genere officii aliorum manibus & in mortuo exhibiti, nil meriti in nos redundâsse intelligimus. Ait tamen D. Chrysol. divino id factum consilio quòd voluerit Dominus sepeliri, meritòque ad fidei professionem spectare *Sepulturam*. Quòd hæretici futuri fuissent qui eum mortem simulavisse jactarent, perfunctoriè non verè Mortuum, quæ hæresis facilè hoc actu Nicodemi & Josephi testium idoneorum convinci poterit. Loquatur ipse S. Pater. *Sepulturam patitur, ne mortem non adiisse ut vinceret, sed simulâsse ut eluderet ab impiis jactaretur. Ser. 58. in Symb. Apostolorum.* Item Ser. 60. ib. *Sepultum dicis ut veram carnem Christi mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ.* Agebatur Domino de humani generis erga se amore sincero & vero, qui debuisset languesce-

Causâ gravissimâ.

D. Chrysologi.

guescere si vel minima suspicio data fuisset mortis perfunctoriæ & simulatæ. Itaque sepeliri voluit ut probaret seriò se homines amavisse. Jam non relinquitur ulli dubio locus de morte vera, ubi Josephus & Nicodemus cadaver deposuerunt, ligârunt membra, unxerunt vulnera, tractârunt, versârunt non unius horæ spatio mortem seriam quæsierunt & repererunt. Atque ideo crediderim mulieres divinitus ab hac pietate depulsas, utpote quibus fallacia & error subesse possit; electos Viros, Nobiles, in lege doctos, prudentes quorum testimonio blasphemi refellerentur, nos in amorē ejus inflammaremur eò magis, quò pluribus argumentis mortem ejus veram fuisse pro nobis constat. Debemus igitur sanctis curatoribus Dominici funeris, quòd illum mortuum plus diligere obligemur: debemus inprimis Domino JESU post ejus morten intensiorem charitatis affectum, qui sepulturâ suâ quâ me-

reri mortuus non potuit, amabiliorem se fecit cùm non simulare voluit mortem. Et amemus jam perfunctoriè, qui non perfunctoriam mortem mortuus? Simulabo amorẽ, ubi ille non simulavit dolorẽ? Ludam post illius cruciatus, qui cruciat9 propter me non elusit sed admisit? Dulcior nobis es ô bone JESU post mortẽ tuam, cùm nos de morte post mortem ambigere non permisisti. Ad eundẽ cœlestis sapientiæ ordinem referendum, quòd *Pilatus mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. Et cum cognovisset à Centurione, donavit corpus JESU. Marci* 15. Item illa militum inspectio. *Ad JESUM autem cùm venissent ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Joan.* 19. Quibus liquet quàm solicita fuerit Divina providentia, ut hominibus mortem veram fuisse ostenderet, & ex hoc capite majorem erga Crucifixum amorem eliceret. Cedamus huic Divinæ vo-

luntati, & Crucifixum post mortem suam longè amabiliorem, quàm si documentum istud Amoris sui non reliquisset, complectamur.

Secundò. Quantas verò ex hoc motivo Amor erga Dominum Crucifixum in hominum pectoribus vires sumpserit, usque ad miraculum Isaias prædicit. *Erit in diebus novissimis mons domûs Domini præparatus supra verticem montium, & fluent ad eum omnes gentes. c. 2.* Prodigii loco est, Gentes non ituras, non festinaturas, sed fluvii more ruptis aggeribus aut torrentum alto cadentium sursum lapsuras. Contra ait ille: — Fluent gentes. Exponitur.

- - decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora tendunt
Quisq; suum populatus iter. 12. *Æn.*

Aqua in devexo fluit, in plano continetur & stagnat, & aliquando in adversum Spiritu impellitur, tunc cogitur non fluit. Sen. quæst. naturalium L. 3. c. 17. Gentes autem fluent non co-

gentur.

Cornelio. gentur. *Nota miraculum inquit hic Cornelius, cùm flumina deorsum fluant.* Quid impellet gentes in illum montem, quæ vis in liquorem convertet ut sursum fluant & centrum non suum petant? Paratam *D. Cypriani habemus responsionem isto monte Christum Crucifixum designari.* Inde impulsus gentium qualis esse solet per hydraulica instrumenta seu ducendis sursum aquis inventa. Sint mare glaciale corda gentium, *in adversum Spiritu impellentur.* Spiritu illo, *cùm inclinato capite emisit Spiritum.* Iste impellit, iste liquefacit. S. David laudat opera Divina quòd *mittit crystallum suam sicut buccellas, emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit Spiritus ejus & fluent aquæ. Psal.* 147. D. Augustinus in expositione istius Psalmi Crystalli nomine peccatores induratos accipit. *Nix inquit, multorum annorum tempore durata & serie seculorum, Crystallum dicitur.* Et infra. *Ecce crystallum & nives resolvuntur, eunt in aquas, qui sitiunt veniant*

Et Augustino.

ant & bibant. Saulus durus ut crystallum, Stephanum est persecutus ad mortem, Paulus jam in aqua viva gentes vocat ad fontem. Spirabit Spiritus ejus & profluent aquæ. Unde dictum est in alio Psalmo : Converte Domine captivitatem nostram sicut torrens in Austro. Captiva enim Hierusalem tanquam congelaverat in Babylonia. Flat Auster, solvitur rigor captivitatis & currit in Deum fervor charitatis. De Prometheo illo fabuloso Poëta Romanus.

Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras. Metam. 8.

Tales peccatores ad aspectum in monte erecti Crucifixi flumen fiunt, & liquidas imitantur aquas, sursum Spiritu Christi impulsi feruntur ad amorem. Ita illis Crucifixus post mortem amabiliorem se exhibuit, cùm paucos ante attraxisset.

Tertiò. Nondum manibus & contemplatione Isaiam dimittam. De Domi-

Domino Crucifixo ille locutus quædam quasi secum non hærentia. *Vidimus inquit eum & non erat aspectus. Is. 53.* Vidimus, dixit, quia plures notat ad patientem Dominum videndum moveri. Quid deinde illos detinuit? *Et non erat aspectus*, hoc est, ille quem David promiserat *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Abite, recedite jam, nil est quod vestram curiositatem mundani alat: Pauper est, lividus, succussus, languidus, confossus Dominus discedite. Ah! quàm incohærentia jungit: *Desideravimus, inquit, eum: at quem? Despectum & novissimũ virorum.* Nemo siderat viles abjectosq; videre, ubiq; miseri tales occurrunt & oculos potiùs animumq; vulnerant; quàm desiderium suî provîtant. Non erat aspectus, & tamen desideratur Jesus meus, *quia quantò deformior, tantò nobis pulchrior ait quidam Vir doctus & pius è Clericis nostris.* Non satis est vidisse Crucifixum adhuc desideratur? Unde! quia despectus, quia novissimus

Josephus Speranza.

vissimus Virorum in passione ubi latroni prælatus Barabbæ. Mors ipsa illum amabiliorem fecit. Castigat seculi sui luxuriam Romanus, quæ ad hunc fastum pervenerat, ut gustare mullum noluerit nisi recentissimum, & qui in manu convivæ moreretur. *Vitreis ollis mulli offeruntur & observatur morientium color, ut quisq; peritior est, monstrat. Vide quomodo exarserit color omni acrior minio, vide quas per latera venas agat?* Idq; fiebat eo concursu, ut funera suorũ desererent quò morientis mulli exsequiis adessent. *Quotusquisq; funus domesticum ad rogum prosequitur? Fratrum, propinquorumq; extrema hora deseritur, ad mortem mulli concurritur. Sen. natural. quæstionum L. 3. c. 17. & 18.* Et concludit ibidem. *Nihil enim est mullo moriente formosius.* Fluent, inquit, non una civitas, aut Resp. Gentes quà latè orbe terrarum panduntur. Vidimus, desideravimus, non unus, non aliquot, sed multi, sed omnes, Christum Crucifixum & mor-

Ad mullos morientes concursus olim.

Seneca.

mortuum videre, quam illius nunc memoriam amamus. Nil Christo moriente formosius. Mors concursum excitat, & cogitantibus amorem. In persona Ecclesiæ & omnium dixit Mulier Sarephtana Sidonis. *En colligo duo ligna ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo ut comedamus & moriamur.* 3. *Reg.* 17. Duo ligna, alicubi in Psalmos Aug. inquit, sunt Crux Christi. Colligo duo ligna ut moriamur. Horrida mors est hominibus & nemo est qui seriò illam vocet : ista verò mulier tam lætâ tam blandâ voce loquitur de morte. Crux Christi & mors in Cruce obita, sicut in figura hujus viduæ, nobis illum fecit amabilem, ita & nos ad mortem appetendam allicit. Ecce duo ligna in quibus Christus mortuus ? Quid sequetur ? Ut moriamur mundo, carni. Ecce duo ligna Crux Christi ? Quid deinde ? Ut moriamur sine repugnantia, difficultate, non temporalem aliquam mortem, non crudeli ferro hosti-

En colligo duo ligna exponitur allegoricè.

hostium, sed amabilem illam. Moriamur, voluptatibus, peccatis, vanis desideriis, nocivis ambitionibus. Ecce duo ligna : satis erit causæ ad mortem istam sanctam. Non aliam requirit quæ sanguine constat & cruciatibus. Levate oculos in hæc amoris Symbola & quasi pheretrũ doloris. Ecce duo ligna ut tranquillè pacatoq; à rebus terrenis animo moriamur.

Quartò. Modum & stylum concionum suarum, diversum à nostro isto quo vacui Spiritûs Apostolici prædicamus, S. Paulus descripsit. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur Crux Christi.* 1. *Cor.* 1 Negat S. Gentium Magister, se locis Rhetorum, magnificis Politicorum artibus, historiarum copiâ, Philosophorum disputationibus usum in suis de Crucifixo Domino concionibus. Et causam adfert, quæ videtur non adeo idonea fini, *Ut non evacuetur Crux Christi.* Ergo inanis erit

Ut non evacuetur Crux Christi exponitur.

prædicatio Crucifixi, ornata, docta, exemplis illustrata, demonstrata argumentis? Respondit Theophylactus in hunc locum. Ait *perstrictos ab Apostolo aliquos hoc loco, qui sese ob exteriorem hanc & humanam sapientiam magnificarent.* Non intelligentes eam vim inesse Crucifixo, ut hoc ipso quia Crucifixus fuisse prædicatur, longè ad amorem suî efficaciùs pertrahat, quàm si floridis orationibus & suadentibus syllogismis, vel capientibus elenchis, ejus amabilitas explicaretur. Itaque prædicavit Christum & hunc Crucifixum Apostolus, *non in sapientia sermonis,* ait A Theophylacto. *Theophyl. hoc est in orationis ornatu, ne Crux imminuta patiatur jacturam. Nam si in ejusmodi sermonis sapientiâ prædicâssent Apostoli, jure fortè objicerent homines, persuasione potiùs illos & verborum lenocinio quodam, alios ad veritatis notionem pellicere, non ejus quem ipsi prædicarent & profiterentur virtute. Quod utiq; in Crucifixi evacuationem & damnum cessisset. Nunc*

verò

verò cùm doctrinæ hujus mundanæ ignari prædicent Christum, procul dubio arguunt, cuncta per ejus qui Cruci affixus est potentiam geri. Non eget Crucifixus exornari fuco gentilis sapientiæ, aut oratorum concinnis sententiis commendari. Nuditas ejus pro eximio est ornatu, Crucifixio pro demonstratione, silentium pro eloquentia, vulnera pro affectuum conceptaculis. Mors pro motivo vivæ dilectionis. Evacuaretur Crux Christi si verborum copiâ impleretur. Sufficit ipse Crucifixus sibi & nobis.

Propheta Habacuc morientem Dominum digito monstrat. *Ibi abscondita est fortitudo ejus. Hab. 3.* Ibi, id est, in ista infirmitate, ærumnis, Cruce, morte, fortis ut mors dilectio, & ut dilectio mors fortis Christi, latet. Rupertus Lib. 3. in Habacuc annotat vocem *Abscondita est. Nimirum sicut in carne absconditur hamus, id est ferri aculeus, ad hoc ut piscis capiatur.* Solent piscaturi capien-

Abscondita fortitudo in Cruce.

Rupertus.

dis piſcibus apponere eſcam quâ libenter veſcuntur. Unus eſt vermiculus, aut tenue muſcæ corpus, & piſciculi trahuntur. Poëta deſcripſit: *Her. Fur.*

Sen.
Hic exeſis pendens ſcopulis
Aut deceptos inſtruit hamos,
Aut ſuſpenſus ſpectat preſsâ
Præmia dextrâ: ſenſit tremulum
Linea piſcem.

Talis hamus eſt Crucifixus Golgothæo ſcopulo pendens, à manu æterni Patris ſuſpenſus. Atq; ſicut piſces propoſita ex hamo præmia ſequuntur: ita nos Crucifixus, non aliàs magis quàm ſuſpenſus & doloribus merſus mortuusq; provocat. Fertur per aquas piſcis ut capiat & capiatur. Non illum delectaret viva præda, fixa ferro & emortua ducit. Dic piſciculo, cave: non intelliget, ubi mortuum vermiculum in aquis aſpexit, ah! vitam ignarus deſpexit. Ah! nos vel iſto exemplo Crucifixum amabiliorem quia mortuum agnoſcamus, amemus.

Quin-

Quintò. Celebris illa visio Isaiæ c. 6. descripta, varias sanctorum Patrum allegorias meruit. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Præmitto Bernardum ut uni allegoriæ viam sternam. *In duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, Angelicam scilicet & humanam.* At si fortè objicias, quomodo homo sit Seraphim, statim respondet. *Nec mireris hominem Seraphim factum: memento quia Creator & Dominus Seraphim, factus est homo. Ad contumeliam tuam ô superbe, qui creatus inter angelos stare non meruisti. Ecce rex noster novos in terra angelos fabricaturus advênit, atq; ut tabescas ampliùs & livore proprio torquearis, non qualescumque nec inferiores alicujus ordinis angelos sed Seraphim. Audi enim quid*

ipse

ipse loquatur. *Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Serm. 3. de verbis Isaiæ.* Componamus cum hac Bernardi alteram Galfridi allegoriam: dicit in isto sedente pro solio excelso Dominum in Cruce elevatum figurari. Et infert non aliam in istis naturis causam volatûs fuisse quàm Crucifixi imaginem. Volabant alis duabus quas *Bern. Serm. 4. ib. Agnitionem & devotionem posse intelligi* dixit; quia ad Crucifixi cognitionem nemo est qui devotionis affectu & propensæ voluntatis volare detrectet. Ita vigorem intellectui & voluntati aspectus Crucifixi addit. *Adeo, inquit Galfridus in eum locum, potentes sunt vires repræsentationis DEI in Cruce suspensi, ut vix possibile sit intueri imaginem Crucifixi, quin animus extemplo incitetur ad pietatem, & cor ad quævis sufferenda animetur.* Revocemus interim huc D. Bernardum. Dixerat ille *Dominum venisse ut Seraphinos faceret homines*, eà scilicet incen-

Seraphinos Crucifixus homines facit.

Galfrid.

Bern.

incensos charitate quâ Seraphinos æmularentur. At unde magis incendium quàm ex lignis Crucis in hominum pectoribus oriatur? Non possumus non amare ubi istum Dominum in Cruce spectamus.

Irata rhamnus inducitur à Joathano, ita ut dixerit: *Si autem non vultis regem me constituere, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani. Judicum 9.* Quæ & unde tanta flammarum vis in unâ spinosâ arbusculâ, quibus cedri altæ & proceræ arbores succendi possint? Notate quidem, ambitiosos eosdemq; spe honoris dejectos, plura minari quàm possint efficere. Aut certè, etiam ab invalidis & humilibus periculum altis & majoribus quandoq; timendum non immeritò. Sed ut allegoriam prosequamur. Intelligo, Rhamnum, id est, spinosum caput nostrum Christum Crucifixum & Regem in eâdem Cruce declaratum, tantæ efficaciæ esse, ut qui illius amorem & tot cruciatus accuratiùs

Et in cineres redigit ut ignis.

cogitaverint, non possint non inflammari vehementer. Quòd si laborent tumore & ambitione, tanquam cedri Libani imminentes minoribus, non posse non devorari ab isto igne ac in cinerem descendere, ubi cogitatur DEUS ita dejectus in homine. Ex hoc igne homines in Seraphim mutantur, frigidi & torpentes in flammas. Apta eidem intentioni D. Bernardi hîc animadversio: quòd scilicet Isaias c. 53. visionem de patiente & crucifixo Domino sibi in figura propositam verbo plurali expressit, *Vidimus eum & non erat ei aspectus*, at istam, quæ de glorioso Domino à Bernardo exponitur, singulari verbo effert *Vidi Dominum*. Non putandus est S. Propheta more aulicorum locutus, qui Dominum tanquam proprium sibi soli servant, soli vident, soli accedunt, soli eo fruuntur, ut dicere possint, Dominum ego vidi, non vidimus, non vidistis, non viderunt. Bernardus sequitur. *Non sine causa*

Crucifixus omnes allicit: Gloriosus Dominus paucos.

sanè

sanè ibi Vidimus, scriptum est: & hîc, Vidi. Nisi ut illam quidem intelligas esse communem, hanc verò excellentiæ singularis. Siquidem absq; specie & decore vidit eum & sprevit Herodes: Viderunt quoq; ipsi Judæi, qui & dinumeraverunt ossa ejus. Jam verò super hâc visione beatâ, manifestè Propheta denuncians ait. Tollatur impius, ne videat gloriam DEI, Serm. 1. de verbis Isaiæ. Mens est S. Patris ubi Dominus in passione est, ibi plures ad videndum eum admissi, verùm cùm in gloria levatur, pauci boniq́ue soli. Sed ego ex istà responsione propositionem meam urgeo. Crucifixum è morte sua amabiliorem. Ideo turmatim ad illum confluere plures & passim moveri. Ideo & Herodes gavisus. Et certè solidum gaudium fuisset si curiositas & libido abfuissent. Movit Herodi gaudium JEsus despectus. Poëta.

Bernardus huc expositus.

Tristis erat vultus, tum crebro lividus ictu,
Squallidus evulsis fracta per ora comis. Hero-

Herodes viso gaudet, quo affligis JESU
Vultu? Si tristis gaudia vultus habet.

Vidimus eum despectum; at gloriosus idem non ita provocat, vidi inquit solus & Seraphim duo Dominum. Plures in amorem Crucifixi. *Vidimus.* Magis enim amare debeo qui pro me mortuus, quàm quem credo in cœlo gloriosum sedere. Illud immensi amoris, arduum, grave, intolerandum, indignum tantâ personâ: hoc ultro expetendum & Majestate Domini dignum. *Nam tantò DEUS dignius ab hominibus honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit. Greg. hom. 6. in Evang.*

Et causa illius.

Ex D. Gregorio probata.

Uxor Cæcinnæ Pæti Arria, ubi decreto Claudii Cæsaris maritum damnatum didicisset, rapto & in viscera adacto pugione maritum alloquebatur: Pæte non dolet. *Præclarum quidem ejusdem ferrum stringere, fodere pectus, extrahere pugionem, porrigere*

rigere marito, addere immortalem vocem ac penè Divinam, Pate non dolet. Plin. 2. L. 3. epist. 16. Altiori amoris voto Crucifixum contemplati dicamus, Crucifixe non dolet. Hæc injuria, calamitas, dolor non dolet. Hæc abjectio, hæc passionum mortificatio non dolet. Poterat fortasse dolere si te sine vulnere, si inter commoditates, in gloria tantùm & honore vidissem, nunc exutum, despectum, mortuum vidimus, nil dolet cùm propter te mortuum dolet. Mors tua non horridum te, amabiliorem fecit, mihi, omnibus, vidimus & non possumus non amare.



ETHI-

ETHICÆ SACERDOTALIS

Ex Moribus & Cultu Crucifixi

LIBER VII.

Seu

Morbi & Mors.

ACTIO I.

Morborum levamenta Crucifixus.

IN duriora procedimus & naturæ nostræ horrida, morbos videlicet duces mortis sed leniùs infestos, si illorum remedia Sacerdos exoret ab hâc per tot vulnera apothecâ fluente. Galenus & Hyppocrates, & Asclepiades & quidquid ejusdem generis est, Sacerdoti ægro Crucifixus Dominus erit. Hunc quàcunq; se ægritudo porriget, per membra, ossa, venas, viscera deducet. Non pote-

poteritnè sua solari cruciamenta, efficaci remedio, ex isto dolorum, & quod maximè invitat, ultro pro te susceptorum Amore? Cogita lectulum tuum in Crucis locum tibi subjectum! ah! quàm diversâ cultûs mollitie Domine mi! Si manus pedesque contracti ex usu naturali exivêre, easdem in Domino acriùs fixas habes. Heu! quòd intemperantia fortasse tuas, vel morbi paterni successio, illum voluntas erga te optima, sola adstrinxit. Si caput aut oculos remisit languor, vel ardor incendit, rape solatium ex capite & oculis illius. Ah! pœnas caput meum tot cogitationum lues, luite oculi mei tot curiositatum; illud Divinæ mentis oraculum, illi misericordiæ gemini soles erant. Si visceribus febres, si toto corpore Artritis abutetur crudeliter, si calculus venas scindet, si calore & frigore alterno errabit malum, si intima lentâ absumentur tabe, si aliqua pestis in viciniã mortis trahet: per omnes morbo-

morborum ſpecies patientem in Cruce diſpenſa, per omnia membra diſpone, ut amicum remedium.

D. Carolo. Carolus Borromæus eo qui extremus illi fuit morbo tabulam Domini emortui corpus depoſitum à Cruce, itemq́ue aliam in ima lectuli parte in horto agonizantis repræſentantem affixam intueri amabat.

Innoc. X. Sumpſit & Innocentius X. P. M. eandem Religionis formam. De quo in publicum Roma retulit VI. Idus Jan. An. 1655. *Humore is copioſo capitis propè primùm ac poſtremò oppreſſus, mori noluit niſi hoc ad Sacrum Ordinem transmiſſo per ſuprema colendi Crucifixi teſtamento. Porrectam de Cruce pendentis imaginem tenerrimâ accepit & expoſitâ manu. Miraberis cætera in eo Pontifice quem ſevera duntaxat & virilis pietas delectabat, mollior illa ac effuſior in affectus contra Viri tetrici mores erat. Nam Crucem lachrymis affundere, geminare oſcula, iterumq; iterũq; oculis reſumere, arcto complexu omnia obire membra, pectori vicinum*

affigi-

affigere, nec avelli moveriq; sinere. Jam quoties de peccatis dolorem aliquis ingesserat, caput ad Crucem flectere, deprecari, confitentem se reum sistere. Omnia deniq; semiviva in Pontifice in hoc unum vivebant, ut sensibus ac membris in Crucifixum viverent, eodemque deoccuparentur. Virtuti infirmorum vim facit plerumq; morborum acerbitas, quos si magno merito magno solatio subire placet patientis in Cruce meditatio efficiet. Infirmus Sacerdos huc omnia tenerrimi amoris documenta confer. Verè S. Cretensis Andreas apud Gretserum tomo 2. de Cruce. Illam esse *Ægrorum medicinam, quæ perturbationes depellat, sanitatem donet.* An hoc Sacerdotes in aliorũ morbis non usurpavêre? A Domino medicam præceptioné accepimus illis verbis. *Et curate infirmos. Lucæ* 10. ad nostrũ officium ab Apostolis derivatam. Atque illis favebat Divina omnipotentia tam facilis & prona in omnes infirmos, ut umbra morbis discessionem

D. Andreæ Cretensi remedium à Cruce dolorum.

nem imperaret. Nobis hoc seculo cùm nulla miraculorum necessitas est, sit unus ad curam infirmorum in Cruce Dominus. Per istum Joannes Pot Sacerdos ille tot patravit miracula quot apud infirmum de Crucifixo verba fecit. *Patientiæ Academiam & Magisterium publicum placuit DEO in uno lecto fundari. Et erat homulus qui inter tantam malorum vim se unâ constantiâ obfirmaret. Vir, inquies, aliquis? Virago erat & virgo cui titulo forma repugnabat, à qua Lyduina erat votum & sponsa omnium. Sed detraxerant hanc laudem morbi ultro exorati, & divortium tot nuptiis fecêre; quibus solum corpus non animus inclytus quærebatur. Hæc Troja putas decennio obsessa? Octo DEUS bone? addo & ingentis Patientiæ annos, & Triginta. Morbus non unus, omnes aut plurimi usq; ad artis tædium & victoriam. Nulla manus expugnare potuit infirmo corpusculo tot hostes. Nascebantur ex se invicem, velut familia in nepotes degenerabat; ad incendium & letum*

Eam ad cæteros feret Sacerdos.

Ut ille ad D. Lyduinam.

& letum puellæ ex ipsa, ut ideo solum visa sit super esse, quò morbis superesset. Post singulos morbos mors erat solenne votum, nondum satis constante Virginis contra pestem animo. Eludebatur interea mortis expectatio, atq; de illius mora tanquam pro vita querelæ. Huc Sacerdos adest positurus contra nostram segnitiem exemplum, quibus nō æquè ut valentes latiq; ita infirmi & squallentes in cura. De illo Franc. Haræum Canonicum & Plebanum Antverpiensem S. Th. Licentiatum verbis suis addo. *Erat vir quidam DEI Joannes Pot, qui tanquam à DEO missus cœpit eam hortari ad Patientiam, commemorare quoq; ei Christi Passionem, idq; semel atq; iterum. Ab eo autem die crescente morbo confirmabatur spiritu, passionem Christi in septem distinguens partes. Har. ad XIII. Apr.* Perge sic ad infirmos Sacerdos, sic te infirmum compone. De morbis & doloribus omnes credo solves gemitus, priusque sanorum audientur quàm tui. Aderit ille ipse quem

cruciatu quotidiano, tanquam sacrificii & horarum vice, celebrabis.

Ex pastorali cura quod aliis in morbo infunderes tibi tunc repone, verbis D. Gregorii. *Admonendi sunt ægri quatenus patientiæ virtutem servent: Ut incessanter quanta Redemptor noster ab his, quos creaverat, pertulit mala, considerent: quòd tot objecta convitiorum probra sustinuit: quòd de manu antiqui hostis captivorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas accepit: quòd aquâ salutis nos diluens, à perfidorum sputis faciem non abscondit: quòd Vocatione sua nos ab æternis suppliciis liberans, tacitus flagella toleravit: quòd inter Angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit: quòd à peccatorum nos punctionibus salvans, spinis caput supponere non recusavit: quòd æterna nos dulcedine inebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quòd pro nobis Patrem quamvis divinitate esset æqualis: adoravit sub irrisione adoratus, tacuit: quod vitam mortuis præparans*

Ex consilio item. D. Gregorii.

atq; ad mortem ipse vita pervenit. Cur itaq; asperum creditur ut à DEO homo toleret flagella pro malis, si DEUS ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sanâ intelligentiâ de percussione sua ingratus existet, si ipse hinc sine flagello non exiit, qui hîc sine peccato vixit? past. p. 3. c. 13.

ACTIO II.

Historia Passionis lecta.

NOn mecum sed cum D. Borromæo de Actione ista agamus. Moribundis aut ægris Passionem Domini legi suadebat. Epist. de ejus obitu. An. 1584. Equidem hîc audiet sacerdos fiduciæ speiq; causas suæ in tot Domini doloribus fundatos. Repetet mala sua, bona verò Domini tam boni inter tot mala. Amabit & animabit morbum suum infirmitate ejus, agoniâ decertantem in subsidium & vires assumet. Amabit illum qui etiam Petrum negantem & Latronem amavit. Alexandrum illum Ecclesiæ Stanislaum Hosium

Ex his causis.

Exemplo item Hosii Cardinalis opportuna infirmis.

in lecto mortuali invisamus propè morientem, & quid agat in nostras actiones Cardinalis? *Jussit Dominicæ Passionis memoriam legi, in qua cùm ventum esset ad eum locum ubi Petrus Apostolus Christum negâsse perhibetur: & Pr. Oliverius Domini erga ipsum misericordiam & ignoscendi facilitatem; tum & hoc quoq; pluribus verbis commemorâsset, quòd Cardinalis nunquam per DEI gratiam Christum negâsset, nec unquam de nomine ejus erubuisset, sed apertè potiùs coram hominibus & coram omni Ecclesia malignantium, & ubicunq; id ratio officii & incredibile animas Christo lucrifaciendi desiderium requirebat, confessus; hæreticos præterea quòd Christum negâssent in omnibus dictis & scriptis suis constanter & intrepidè persecutus esset. Elevatis in cœlum Vir Divinus manibus, altâ voce, lachrymantibus oculis dixit: Christe Fili DEI vivi, tu scis quòd ego te nomenq; tuum non negavi. Tuum hoc beneficium lubens agnosco, agoq; tibi hoc nomine summas gratias.*

Absit

Absit à me, absit ab animo meo, ut te aliquando negare voluerim. Verba Stanislai Rescii Canonici Varmiensis L. de Vita Cardin. Hosii c. 20. Romæ impressa. Idem quoties mentio nominis JESU fiebat; manum penè labentem capiti admovebat quò illud pileolo denudaret. Cùm alapæ; faciem dexterâ in morem percutientis tangebat. Perfer ad te Cardinalem & paribus officiis suprema tua velis in meritum attollere. Ecce enim certâ pietate Incertus apud Gretserum tomo 2. de Cruce, compendio & in præsens negotium plurima. *Salve Crux morborum abolitio, recreatio dolentium, depulsio omnium à corporibus malorum. Salve Crux eorum qui cruciantur solatium, & periclitantium levamentum. Salve Crux infirmorum baculus & pastorum Virga.* Pastorum, inquam, Virga, quam non ad suos tantùm ferant, hostes animarum depulsuri, verùm etiam seipsos fulciant, ne prolabantur.

Resc. Incert.

Ut verò majore fructu animi & merito-

Quæ per capita distinguitur ab auctore.

mentorum cumulo hâc actione versemur, placuit historiam Patientis Domini in partes dispescere, ex quatuor Evangeliis decerptam, servatis eorum verbis. Deinde singulis subjiciemus, ea quæ conditioni Sacerdotum accommodata, pro vitæ eorum exitu videri possunt. A vespera extremâ & Eucharistiâ exordimur.

LOTI PEDES.

NOtandum literis *A.* Matth. verba, *B.* Marci *C.* Lucæ. *D.* Joañis, prout Joannes Bicissonius in sua Concord. seu Harm. Evangelica usurpavit. *A. Vespere autem facto. C. Cùm facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. D. Cùm diabolus jam immisisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Ischariotes. Sciens quia omnia ei Pater dedit in manus, & quia à DEO exivit, & ad DEUM vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &*

cùm

cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum & extergere linteo quo erat præcinctus.

O Domine universorum quò te abjecisti ad pedes vilium piscatorum! Et adhuc desiderio incenso desiderâsti pedes proditoris ut lavares! Et hoc Pascha tuùm adeo desiderabile!

O charitas erga infensissimum hostem! & ego omnibus ex animo offensas condono. Impedièrunt me multi, traduxère alii, variè dicta, mores interpretati alii, jam intimè illos amo & æterna bona precor & opto, immo & temporalia quantùm illis ad salutem, & tua JESU voluntas.

O humilitas erga infimos! Hic superbiam meam, quâ seculares offendi, honores in Ecclesia ambivi, pauperes, indoctos, plebejos aspernatus sum, condemno. O per charitatem istam dimitte inimicitias quas exercui seu animo aliquando gessi.

Per abjectionem superbiam indulge meam.

Cui aliquando lavi pedes proximorum! & tamen hospitalitas virtus Sacerdotalis esse debebat. Adiine saltem, visitavi, juvi, solatus sum xenodochia? O pigritiam meam Domine mi! Parce, dimitte, nunc juvo quà possum.

O testamentum Domini JESU & in extremis actionem! Bonum scilicet exemplum ut ita inquit faciatis. Tale relinquere debet sacerdos moriturus. Non ergo opes ex aliquo corrasas questu, ex Oeconomia attentiùs quàm Sacerdoti occupato sacris par erat administratâ, ex mercatura, ex templo xenodochiove in privata occultis artibus deducto. Exemplum ad posteros est, ut vixit Sacerdos ut vivendum cæteris, hereditas est Ecclesiæ Christi.

O quæ mi JESU relinquo exempla bonæ vitæ! quàm pauca, quàm inquinata! His aquis rogo extrema voluntas mea à sordibus eluatur, ut

in domo Domini in atriis tuis stare munda possit in æternum. Amen.

NOTATIO PRODITORIS. EUCHARISTIA.

D. *Hæc cùm dixisset JESUS, turbatus est spiritu & protestatus est & dixit, Amen amen dico vobis quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli hærentes de quo diceret. B. At illi cœperunt contristari A. & contristati valde cœperunt dicere ei B. singulatim, nunquid ego? A. Cœnantibus autem eis accepit JESUS panem & benedixit ac fregit, deditq́; discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus. B. Et biberunt ex eo omnes. C. Hoc facite in meam commemorationem.*

O Domine mi JESU summe Sacerdos benedictus sis in omnia secula! Ecce corpus tuum & sanguinem tradidisti in manus meas. Me Sacerdotes tuos inter esse voluisti! O mira di-

gnatio tua in peccatorem! En hoc corpus meum & ſanguinem trado tibi in victimam, & animam in æternum amoris ſacrificium. Solus Sacerdos habet Tui Corporis poteſtatem, Tu ſolus mei poteſtatem habe. Ita ſolenni voto volo. Ah! dimitte quidquid contra hoc deliqui aliquando. Deteſtor in præſentia Virginei corporis tui. Abſit cor meum ut aliquam perſonam inordinatè amet & contra te. Abſit omnis voluntaria in hoc corpore contra voluntatem tuam mihi dilectisſimam motio. Tutus ſum cum iſto Corpore tuo & ſanguine. Ita caſtum & intactum ſerva. Malo mori quàm turpari. Cum hac animi reſolutione moribundum ſuſcipe.

O Domine JESU æternas ago gratias pro omnibus gratiis per hoc Sacrificium mihi collatis. Pro omnibus vicibus ſacramenti Pœnitentiæ à me ſuſcepti & collati. Pro omnibus pœnitentibus à me abſolutis, edoctis, ſalvatis. O ſalva bone

JESU & serva in tuam gloriam cœlestem omnes. Benedicta sit Sapientia tua pro inventione hâc communicandi tuî nobis. Omnipotentia quæ toties mecum egit Sacramenta. Sanctitas quæ sic se communicavit. Bonitas quæ sic amavit. Benedictus sis pro isto momento primæ Institutionis, singulisq́ue quibus hoc ad omnium Sacerdotum verba operatus es & usq; in consummationem seculi operaberis. Pro contemptibus, ingratitudine, sacrilegiis, tepiditate ah mea! Pro omnibus & singulis effectibus istius Sacramenti & Ordinis & omnium quos intendisti & operaris & deinceps exequêris. Benedictus sis pro omnibus sanctis tuis Sacerdotibus quos tunc in mensa ista prævidisti.

O bone JESU dimitte torporem meum in usu, administratione, reverentia, hujus dilectissimi panis cœlestis. Parce tepido amatori tanti Amoris. Ah! quoties levibus caussis intermisi! quoties non bonis intentio-

tentionibus ! quoties usu solo ! ô quæ in altari distractiones, quæ levitas cogitationum quæ celeritas agendo.

Eramne Judas ego ? qui pretio trahebar ad sacrificandum. Qui lucra ex sacris colligebam. An hæc Divina lucris inferiora ?

S. Hildulphi Archiepiscopi.

S. Hildulphus Archiepiscopus Trevirensis *omnibus Ecclesiasticis assuefactus, purus & integer à vitiis juventutis, clericus factus, nullum penè diem pertransiit, quo non omnipotenti DEO sacras hostias pro salute mundi & requie defunctorum offerret. Surius tomo 7. Julii XI.* Franciscus Haræus Canonicus Antverpiensis & Plebanus de S. Trudone Presbytero. *Proficiebat gyganteis ut ita loquar passibus per gradus Ecclesiasticos, donec concordi acclamatione omnium peteretur immo traheretur ad Sacerdotium. De quo sanè nequaquam dignè explicuero, quantâ non tantùm corporis sed & animæ munditiâ, sancta illa tractaverit. Ad XIII. Novembris.*

Et Trudonis Presbyteri.

Cùm

Cùm celebraret aliquando S. Judocus Presbyter vicinus morti. Filius iste Regis Britonum patriâ profugerat ut DEO se in statu Ecclesiastico addiceret. *Ecce manus Domini visibiliter apparuit, quæ suum Sacerdotem consignaret, & confirmavit benedictione perpetuâ, voce mirabili subsequente cœlitùs emissâ: Quia paternum regnum deseruisti, coronam tibi præparavi, eroq; custos hujus loci in quo moreris. Ad XIII. Dec.* Hæc isti fecêre, quid ego? Et Judoci elogia.

Ecce me nunc in supplementum præteritarum negligentiarum tibi Domine JESU summe Sacerdos in sacrificium extremum cum tuo quod dederas in ultima cœna & cruce, cum meis & omnium Apostolorum & Sacerdotum Sacrificiis altaris trado, & penitùs totum quantuscunq; sum dedo.

O jam in me tua Caro & sanguis operetur vitam æternam. Maneam in te & maneas tu in me. Vivam propter te tanquam ex principio omni-

omnium intentionum, cogitatuum & operum meorum, vivam propter Te tanquam propter ultimum finem meum, quem amo quem spero, quem toto affectu consequi desidero.

O Domine participem tui corporis & sanguinis vivifici resuscitabis in Novissimo die. Surgam caro ex carne tua, os ex ossibus tuis, sanguis ex sanguine tuo. Agnosce tunc in me partem corporis & sanguinis tui, agnosce Sacerdotem.

O bone JESU nunc & in hora mortis meæ memorare mei, qui toties in tui commemorationem, licet peccator tamen propter te, ah doleo! si propter aliud, ex tuo præcepto faciebam.

AGONIA IN HORTO.

A. *Assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari & mœstus esse.* B. *pavere & tædere, & ait illis: Tristis est anima usq; ad mortem. Sustinete hîc & vigilate.* A. *Et progressus pusil-*

pusillum C. avulsus ab eis quantum jactus est lapidis, & positis genibus A. procidit in faciem suam orans & dicens. Pater mi si possibile est transeat à me calix iste; verùm tamen non sicut ego volo sed sicut tu. Iterum secundò abiit & oravit dicens. Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua, & oravit tertiò eundem sermonem dicens. C. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

O Domine JESU! ô consolatio mea! agoniam meam tibi commendo. Ad omnes morborum circumstantias, diuturnitatem, acrimoniam, vehementiam, mortis etiam genus & omnes circumstantias quæ me viventem affligere possunt ex nunc me plenè atq; de integro resigno. Pater mi JESU fiat voluntas tua circa me, sicut fuit Paterna circa te.

O an-

O angustiæ cordis JESU dilatate angustias cordis mei in ejus amorem. O tristissima anima JESU dimitte vanam lætitiam meam. Supple defectum doloris de peccatis meis. Abite gaudia quibus aliquando jactatus aut gavisus sum. Te ô lætitia solida & æterna JESU desidero. Per tuam tristitiam da mihi lætari tecum per æternitatem.

O guttæ sanguinis abluite me. Sudorem quem in operibus mundi suscepi, ô sudor mei JESU supple. O angele tu ipse conforta labantem me.

CAPTIVITAS. PETRUS.

C. *Comprehendentes autem eum duxerunt ad domum Principis Sacerdotum. Petrus verò sequebatur à longè. Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen & eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. At ille negavit eum dicens : Mulier*

Mulier non novi illum. Et post pusillum alius videns eum dixit : Et tu de illis es? Petrus verò ait. O homo non sum. A. Et iterum negavit cum juramento. C. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat dicens. Verè & hic cum illo erat nam & Galilæus est. A. Tunc cœpit detestari B. anathematizare & jurare, A. quia non novisset hominem. C. Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat : quia prius quàm gallus cantet ter me negabis. Et egressus Petrus foras flevit amarè.

O Domine JESU respice me illo vultu misericordiæ quo Petrum. O defluant ubertim oculi mei lachrymis, rumpatur cor dolore quia te DEUM suum offendere non dubitavit.

O bone JESU Veritas æterna credo in te DEUM verum, confiteor te coram toto mundo DEUM meum & hominem factum mortuum pro

ſalute mundi. Omnia credo quod ſancta Catholica profitetur Eccleſia in hoc Petro fundata. Retracto deteſtor errores omnes & quidquid levitate humani ingenii occurrere mihi poteſt. In hac fide Petri pœnitentis & amore mori ſtatutum mihi eſt.

O quàm viles occaſiones me à DEO averterunt! ah! quia toties. Convertere nunc, convertere ad me ut convertar ad te. Egrediar ex corpore mortis hujus cum Pœnitentia Petri. Placeat tibi Domine ut eruas me.

O Dive Petre ô Sacerdos Domini, tuo Sacerdoti Pœnitentiam illam tuam impetra & exora.

CAIPHAS. ALAPA.

D. *Pontifex ergo interrogavit JESUM de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus. Reſpondit ei JESUS. Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil*

nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, unus aßistens ministrorum dedit alapam JESU dicens: Sic respondes Pontifici?

O Domine mi quantùm erubesco qui doctrinâ meâ nulli aut paucis profui? O facies Divina! ô cruenta alapa! ego toties hoc ore consecrato scandala, jocos, nugas, fabulas dedi, & tu ô vultus Divine cæderis? Ah dimitte crimina oris mei.

FLAGELLA. CORONA.

D. *APprehendit Pilatus JESUM & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; & veste purpureâ circumdederunt eum, & veniebant ad eum & dicebant: Ave Rex Judæorum. B. Et percutiebant caput ejus arundine & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. D. Et dabant ei alapas. Exivit ergo JESUS portans spineam coronam & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo.*

O Ave Rex meus, ave Rex dolorum! ô caput! ô dulces & mœsti oculi! per hæc vulnera & ſpinas dimitte vanitates capitis mei.

O homo miſericors & humaniſſime JESU miſerere mei. O DEUS meus idem in quem credo quem veneror, adoro, ſuper omnia amo & omnia propter te. Ecce homo tuus ego ſum.

O caro Virginea flagris conciſa! ô caſtitas mei JESU illuſa! Dimitte carnis meæ illecebras, delicias, commoditates, amores. In conſpectu tuæ carnis ita exutæ, exuo, depono, abjicio, inordinatos omnes affectus. Intra hæc vulnera me contra iram tuam abdo & depono. O cicatrices Amoris! ô ſectiones & ſulci! quos ſcelera mea heu! prolongavêre.

O JESU deprecor te! exoſculor iſtas fiſſuras. Intra has permitte me, & per has dimitte mihi.

O columna tua fulciat me! ô corona det mihi coronam æternam.

O flagella Domini! quanta ego servus merueram? ô JESU hîc ure, hîc flagella, hîc seca, hîc spinas modò in æternum parcas. O flagella & injuriæ! vobis meas condono, vobis mea unio. Avertite à me flagella justitiæ. Este pretium, este redemptio peccatoris.

SENTENTIA MORTIS.
CRUX.

D. *TRadidit JESUM Pilatus eis ut crucifigeretur. Susceperunt autem JESUM & eduxerunt & bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè Golgotha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem JESUM. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem; erat autem scriptum: JESUS Nazarenus Rex Judæorum.*

O Domine innocentissime quàm injustè damnatus es, ne ego justè damnarer! ô sententia tristis! ah dele sententiam mortis quam tulerunt scelera mea contra me. Accipio

pio jam ſiniſtras de me ſententias & propter te ô JESU illas amo.

O JESU mi propter me ita damnate, ne permitte me damnari. In hac tua damnatione ſpero ſincerè, firmiter erigor quia non damnabor. O JESU dimitte quando aliorum mores apud me condemnabam.

O JESU mi quàm iſta Cruce oneratus es? Heu ego impoſui! Heu quòd negligenter crucem portavi meam. Dimitte mihi omnia per crucem tuam.

O JESU mi Crucifixe ut pendes! ut pateris? ut vulneraris, ut doloribus anguſtiaris intus & extra! & adhuc me amas? Ergo nunquam deſperare poſſum cùm te Crucifixum pro me credo, amo, quòd offendi, doleo. Amo te in iſta cruce mea, in hoc lecto, in his anguſtiis.

VESTIMENTA.

D. *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes unicuiq; militi partem & tunicam.*

O JESU

O JESU mi quæ tua ista paupertas? ô quis iste thesaurus Regis Regum & summi Sacerdotis, Vestimenta & Tunica?

O JESU pauperrime per hanc Paupertatem tuam dimitte cupiditatem, fastum & luxum meum. En in tuo Crucifixe aspectu erga omnes res omni me affectu penitus exspolio. Da mihi veram mi JESU paupertatem spiritûs. Ecce quæ supra necessitatem possedi Domine JESU do statim pauperibus.

ORATIO PRO INIMICIS.

C. *JESUS autem dicebat Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt. Et stabat populus expectans & deridebant eum principes cum eis dicentes. Alios salvos fecit. Illudebant autem etiam & milites accedentes, & acetum offerentes ei.*

O Pater æterne hæc est oratio JESU pro illis & me. Delicta juventutis & ignorantias Pater dimitte. O Pater æterne hæc est mea oratio

pro omnibus qui me in aliquo læſerunt aut contriſtaverunt. Dimitte illis. O ſit tam grata quam ad Filii tui dilecti exemplum oro. Verè omnibus affectu Domini JESU dimitti rogo, & bonis æternis admitti.

O Pater & mihi dimitte. Heu me quid dicam? Sciens feci, peccavi. Sed tamen dimitte, quia Filius orat pro crucifixoribus & peccatoribus quorum primus ego ſum.

LATRO SALVATUS.

C. *UNus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens. Si tu es Chriſtus ſalvum fac temetipſum & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum dicens. Neq; tu times DEUM, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſsit. Et dicebat ad JESUM. Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi JESUS. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

O JESU credo te Christum meum. Ergo salva me salva & cæteros nunc mecum in extremis luctantes.

O JESU justè ego in istis doloribus, agnosco, gratias ago. Mala tot gessi ergo dignè pœnas luo. O JESU suscipe saltem cum Latrone Sacerdotem tuum quisquis sum.

O JESU etiam à latrone offendi te passus es? Sinistra de me moriente judicia vivens jam accepto in tui imitationem.

O JESU in latronis hujus persona me pono, ô longè pluribus peccatis obnoxium! Ergo memento mei. Venisti jam in regnum tuum, adveniat mihi regnum tuum hodie. O hodie illud æternum, interminabile! ô hodie diem illum quietis. Valeat nox ista, vita ista, spes humana omnis, omnis honor, gloria, delectatio ista, amor iste. Omnia hæc gravia mihi eademq; vilia, dum hodie tuum o JESU concupisco.

O JESU quàm crucior ut hodie sim tecum! & nisi hodie sim tecum.

Contingat mihi ô Sancte Latro hodie tuum tuis precibus. O benignissima IESU misericordia habeam hodie Latronis à te salvati.

Graviùs offendi quàm Latro tu, sed in te bonitas mei IESU fecit mihi veniæ spem & causam misericordiæ.

MATER & DISCIPULUS APPELLATI.

D. *STabant autem juxta crucem JESU mater ejus & soror matris ejus Maria Cleophæ & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo JESUS Matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*

O JESU dic in ista cruce dolorum meorum mihi constituto, dic Matri tuæ de me : Ecce filius tuus. Non sum dignus, sed tu fac diligentem te & dilectum tibi.

O Domina mea Mater Domini

mei quocunq; modo te colui, privatim, publicè, orando, prædicando, nunc omnes affectus præteritos colligo, sisto & omnium Sanctorum Sacerdotum præsertim. Agnosce ut filium ut Filii tui Sacerdotem. O Domina Ecce ego Filius tuus.

O dilecte JESU discipule, impetra quòd non steti juxta crucem Domini mei. Ah toties illam erubui, labores, ignominias, vitavi. O JESU si Mater hæc Ioannis, Mater tua, fac me Ioannem istum. O anima mea: Ecce Mater tua, omnia spera sub hac Maternitate. Quis peccator non Filius DEI sub hac Matre DEI?

ORATIO IN CRUCE.

A. *SExtâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram usq; ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit JESUS voce magna dicens. Eli, Eli Lamma Sabachtani, hoc est DEUS meus DEUS meus ut quid dereliquisti me?*

O IESU dolores! quas illi voces expres-

expresserunt? Derelictus eras Domine mi inter manus hostium opprobria, irrisiones, non defensus ut cæteri latrones.

O Deus meus, Deus meus ah quare toties dereliqui te. O Deus meus esto deinceps Deus meus, nunc & in hora mortis & in æternum. O Deus cordis mei amo te. Non deseram te non relinquam te. Immo omnia desero, abjicio, ut nunquam relinquam te, adhæream tibi, uniar tibi, peream in te.

O JESU per hanc derelictionem tuam ne permittas me separari à te in æternum. Deus meus es, Deus meus & omnia. Meus es meus, hoc millies repetam in hac voce moriar Deus meus es, cætera non curo, meus es. O tuus hodie tuus in æternum sim.

SITIS ET CONSUMMATIO.

D. *Postea sciens JESUS quia jam consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit Sitio. Vas ergo*

erat

erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cùm ergo accepisset JESUS acetum, dixit : Consummatum est.

O JESU mi en anima mea, en cor & sanguis meus quem sitivisti. Animas etiam quas in Sacerdotio meo lucratus sum tibi & gratiâ tuâ easdem tu suscipe.

O lingua Domini mei quantùm adusta eras! heu! quia mea sitim non toleravit! O JESU mi per istam linguæ tuæ sitim dimitte & indulge peccata linguæ & gulæ meæ.

O Domine mi consummatus in summum pervênit Amor tuus erga me. Plenus est & in summo. Nil omisisti quò me amares. Heu ! quantum doleo quòd mihi tantum desit ad amorem tuum.

O Bone JESU quantùm me amavisti, non mortuus es nisi amorem tuum perficeres. Agnosco, amo, & infinitas in me gratias profiteor. Ah ! moriar potiùs quàm ingratus

moriar.

moriar. O consumma in me & perfice amorem tuum in hora mortis meæ. O bone JESU non desis mihi in hora mortis meæ.

ORATIO EXTREMA ET MORS.

C. *ET clamans JESUS voce magna ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* D. *Et inclinato capite tradidit spiritum.*

O Pater æterne cum spiritu dilecti Filii tui suscipe spiritum meum. O Pater ! ecce & ego Filius tuus. Peccator eram sed per Filium tuum ita mortuum Filius factus, Patrem te cum omni fiducia appello, amo, honoro.

O Pater in manus tuas quæ me creaverunt, ego opus illarum commendo. O Pater in manus tuas & non alienas. In tuas quas mihi aperuit Filius tuus. O locum illum! quo Filii tui anima requievit. Huc me suscipe, admitte, complectere.

O Pater inclino me tibi. Pro tot beneficiis abjicio me. Nihil ex me

sum.

ſum. Tuus totus vixi, totus moriar. Extremos halitus cum halitu mei Redemptoris exſpiro. Illo tantum mereri volo quantum per gratiam tuam poſſum, quam hoc momento uberem & efficacem poſtulo, & per Filii tui extremum vitæ & ſuſpirii.

D. Paulus teſtatur Dominum JESUM *in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesq; ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtuliſſe. Hebr. 5.* Habitum Pœnitentis tunc Dominus induerat in Cruce & morientium, quo tanquam in membra Spiritum Pœnitentiæ extremâ vitâ infunderet, eumque fidelibus pro articulo mortis à Patre impetraret. Quare tu Sacerdos ad exemplum Domini tui, quantum Divinâ gratiâ poteris, pœnitentiam & dolorem tuorum peccatorum concipies. D. Aug. teſte Poſſidio in ejus vita c. 23. Verbis loquar Vilibaldi Canonici Regularis in Auguſtino periocha XVIII.

D. Auguſtini morientis Pœnitentia.

Inter

Inter familiaria colloquia quæ ante morbum cum suis habuit, frequenter memorabat, etiam laudatißimæ vitæ sacerdotibus, committendum non esse, ut absq; scelerum expiamento & eluitione ad æterna abirent. Mandavit deinde ut carmina illa quæ de Pœnitentia Regius vates cecinit describerentur, & parieti ex adverso affigerentur: quæ quot diebus, tanto pietatis sensu legit, ut miris inter legendum illecebris pelliceretur, & suavißimis gaudiis inter lachrymas expiatrices inundaretur.

ACTIO III.

Psalmus XXX. recitatur.

Senecæ nec ipsa mors est otiosa.

ARroganter de Stoicis suis Seneca. *Nos sumus apud quos usq; eò nihil ante mortem otiosum est, ut si res patitur, non sit ipsa mors otiosa. Libro de Beata vita.* Sacerdotes aptiùs hæc tangit disciplina apud quos nulla ante mortem actio vacare merito debet, atqui nec ipsa mors sit otiosa. Multis reliquias temporis meritis augea-

augeamus, nec aliter nobis illius momentum exeat. Hoc proposito Psalmum XXX. addemus ab ipso moriente Domino JESU recitatum: Proclive enim ad fidem totum quidem privatim oravisse, at in ejus illo solenni versu: *In manus tuas commendo spiritum meum* palàm dicto, vitam pretiosam desiisse vivere. Exemplo ejus me & reliquos Sacerdotes monebo ad eundem inter supremas preces usurpandum. Interjeci etiam aliquos affectus qui per intervalla ab aliquo legente vel assistente Confessario, insinuentur moribundis, pro majori devotione meritorumque augmento. D. item Augustini Enarrationem in eundem psalmum per partes carpsi in aliquem certè non inutilem Sacerdotis fructum, quem duabus concionibus S. Præsul explicavit.

IN FINEM. PSALMUS DAVID PRO EXTASI.

CIrca Extasin quæ hîc memoratur,

habe D. Aug. conc. prima. *Verbum extasis est Græcum, Latinè quantùm datur intelligi, verbo uno exponi potest si dicatur Excessus. Excessus autem mentis propriè solet extasis dici. In excessu verò mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna; ita ut quodammodo de memoria labantur inferna.* Et infrà. *Si verò hæc extasis pavor intelligendus est, neq; huic significationi verbi deerit hujus Psalmi contextus. Videtur enim de Passione locuturus esse, in qua pavor est. Sed cujus pavor est? utrùm Christi? quia dixit in finem, & intelligimus Finem Christum? an fortè noster pavor?* Et post pauca. *Verùm tamen quia dignatus est assumere formam servi & in ea nos vestire se, qui non est dedignatus assumere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, ut & nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, & divina facta sunt commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cœlesti. Venit accipere*

cipere contumelias, dare honores: Venit haurire dolorem, dare salutem, venit subire mortem, dare vitam. Moriturus ergo ex eo quod nostrum habebat, non in se sed in nobis pavebat: quia & hoc dixit, tristem esse animam suam usq; ad mortem: & utiq; nos ipsi omnes cum illo.

Versus I. *In te Domine speravi non confundar in æternum: in justitia tua libera me.* In te non in me; Ecce ego servus tuus. O averte à me confusionem æternam. O æternitas beata quantùm desidero te DEUS meus. *Illam inquit, confusionem perhorresco quæ est in æternum. Nam est quædam confusio temporalis, utilis, perturbatio animi respicientis peccata sua. Hanc confusionem non erubescat Christianus: immo si hanc non habuerit, æternam habebit.* In justitia tua libera me. In tua non mea quæ nulla est. O libera me in libertatem filiorum DEI. *Nam si attendas ad justitiam meam damnas me. In tua justitia erue me. Est enim justitia DEI quæ & nostra fit*

Confusio æterna sola timenda.

cùm donatur nobis. Ideo autem Justitia DEI dicitur ne homo se putet à seipso habere justitiam. Gratia DEI per JESUM Christum. Rom. 7. Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratis datur? quia merita tua non præcesserunt sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat. Omnes enim peccaverunt & egent gloria DEI. In te ergo speravi non confundar in æternum. Quia in eo spero qui non confundit in tua justitia erue me & eximeme. Quia non invenisti in me justitiam meam erue me in tua: hoc est illud me eruat quod me justificat quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum.

Justitia Dei est nostra cùm nobis datur.

Versus II. *Inclina ad me aurem tuam accelera ut eruas me.* Ad me non ad peccata mea. Aurem misericordiæ non Justitiæ. Accelerat finis meus. O non corruam in fine meo. *Inclina ad me aurem tuam. Fecit hoc DEUS quando ipsum Christum ad nos misit. Illum ad nos misit qui inclinando sese, digito scribebat in terra, quando ei adultera mulier offerebatur punienda. Ille*

Digito scribebat in terra explicatur.

da. Ille autem inclinaverat se ad terram, id est, DEUS ad hominem, cui dictum est: Terra es & in terram ibis. Inclinat aurem suam ad nos, DEUS misericordiam deponens super nos. Quæ major misericordia? quàm ut unicum Filium suum daret nobis, non vivere nobiscum sed mori pro nobis?

Versus III. *Esto mihi in DEUM protectorem & in domum refugii ut salvum me facias.* O DEUS esto mihi etiam DEUS. In te DEUM fides, spes, amor meus. Hîc exilium, tu domus es. O in te habitem. O vanitates valete. Fugio in te ô Refugium meum. Nihil desidero nisi te ô Salus mea DEUS. *Accelera ut eximas me. Esto mihi in DEUM protectorem. Ad hoc enim positum est verbum, Ut hoc totum quod nobis videtur quamdiu volvitur seculum, intelligas punctum esse. Non est diu quod habet extremum. Ab Adam usq; ad hodiernum diem peractum est, & multò utiq; plus peractum est quàm restat peragendum. Si adhuc viveret Adam & hodie* Seculum, punctum est.

moreretur, quid ei prodesset tamdiu esse, tamdiu vixisse? Ergo celeritas hæc quare? Quia transvolant tempora. Et quod tibi tardum est, in oculis DEI breve est. Domus refugii. Aliquando enim periclitor & volo fugere. Quò fugio? ad quem locum tutus fugio? ad quem montem? ad quam speluncam? ad quæ tecta munita? quam arcem teneam? quibus muris ambiar? quòcunque ièro, sequor me. Quidquid enim vis, potes fugere homo præter conscientiam tuam? Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora, interiùs habere nihil potes, quò fugias à conscientia tua si rodunt te peccata tua. Quia verò dixit: Accelera ut eximas me, & in tua justitia erue me, ut dimittas peccata mea & ædifices in me justitiam tuam: Tu mihi eris domus refugii: ad te confugio. Nam à te quò fugiam? Irascitur tibi DEUS quò fugies? . . Quocunque ièro ibi te inveniam. Et si irasceris ultorem te invenio, si placatus es, Adjutorem. Nihil mihi ergo restat, nisi ad te fugere non à te. Ut evadas hominem Dominum quicunque

Nemo conscientiam fugiet suã.

Ad Deum fuge, non à Deo qui iratum fugis.

cunque servus es, fugis in ea loca ubi non est dominus tuus. Ut evadas Deum, fuge ad Dominum. Nam non est quò fugias Deum. Præsto sunt omnia & nuda omnipotentis oculis. Tu ergo mihi inquit esto domus Refugii.

Versus IV. *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu. Et propter nomen tuum deduces me & enutries me.* Ego sola infirmitas. Convalescam per te. Fugiant à me hostes mei. Non meum, non aliud aliquod, sed tuum ô JESU Salvator nomen assumo. O tu per tot pericula Salutis deduc in viam beatæ æternitatis. O ductor meus! ô via mea! ô finis meus. O cibus meus! quo hîc in altari pastus sum, O pascar in cœlo cum Angelis! ô te desidero! *Non propter meritum meum sed propter nomen tuum, ut tu glorificeris, non quia ego dignus sum: dux mihi eris ne aberrem à te, & enutries me, ut validus sim ad manducandum escam quâ pascis Angelos.*

Versus V. *Educes me de laqueo hoc*

hoc quem absconderunt quoniam tu es Protector meus. O vita misera! ô laquei hostiles! Tu illos scis Deus meus. Tu contere, tu protege. *Extenta est & parata muscipula inimici. Posuit in muscipula errorem & terrorem. Errorem quo illiciat, terrorem quo frangat & capiat. Tu claude januam cupiditatis contra errorem, tu claude januam timoris contra terrorem, & educêris de muscipula. Hujusmodi pugnæ exemplum ipse tibi imperator tuus qui propter te etiam tentari dignatus est in se demonstravit. Et primò tentatus est illecebris, quia tentata est in illo janua cupiditatis, quando tentavit eum diabolus dicens: Dic lapidibus istis ut panes fiant. At ubi clausam januam invênit cupiditatis in eo qui tentabatur pro nobis, convertit se ad tentandam januam timoris & præparavit illi passionem.*

Cupiditate & metu potissimùm tentamur.

Christus exemplum tentatis.

Versus VI. *In manus tuas commendo Spiritum meum, redemisti me Domine DEus veritatis:* Tuas proprias quæ hunc spiritum creaverunt.

Meum

Meum usu, tuum dominio supremo. O benedictus sit ille sanguis quo me quo omnes redemisti. O Deus Veritatis in te credo, in hac fide tua mori volo. O Domine ecce ego servus tuus. *Non sine causa voluit verba hujus psalmi sua esse, nisi ut te admoneret se locutum esse in hoc psalmo. Ipsum hîc quære. Redemisti me Domine Deus veritatis. Faciens quod promisisti, non fallens in pollicitatione tua Deus Veritatis.*

Versus VII. *Odisti observantes vanitates supervacuè, ego autem in Domino speravi, exultabo & lætabor in misericordia tua.* Et ego omnes vanitates meas detestor. O lætitia Sanctorum! ô exultatio æterna! Heu quàm in vanis gaudia mea consumpsi. O misericordia in te confido. O tu Misericordia, ego magna miseria. *Quis observat vanitatem? Qui timendo mori, moritur; timendo enim mori mentitur, & moritur antequam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveret. Mentiri vis ne*

moriaris, & mentiris & moreris, & cùm vitas unam quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut priùs in anima, postea in corpore moriaris. Unde hoc nisi observando vanitatem? Quia dulcis est tibi transiens dies, quia dulcia sunt tibi transvolantia tempora. Unde nihil tenes, & insuper tu teneris. Ego autem qui non observo vanitatem, in Domino speravi. Speras in pecunia, observas Vanitatem. Speras in honore & sublimitate aliquâ potestatis humanæ, observas Vanitatem: Speras in aliquo amico potente, observas Vanitatem. In his omnibus cùm speras, aut tu exspiras & ea hîc dimittis: aut cùm vivis, omnia pereunt, & in spe tua deficis.

Observatio vanitatis quæ ?

Versus VIII. *Quoniam respexisti humilitatem meam, Saluasti de necessitatibus animam meam.* O humillime JESU despicio superbiam meam. O tua humilitas sit mea, sit in meæ superbiæ supplementum. Benedictus sis Domine quia huc

usq; providebas necessitatibus meis. O Pauperrime JESU dimitte superfluis curis meis. Jam salva me de necessitatibus animæ meæ. Illud unicum illud necessarium desidero, Tu Deus meus es, & Omnia. Cætera superflua nisi te habeam & inutilia nisi te possideam. Sine te nec vivere nec mori volo. Immo sic vivere sic mori rogo. *Quæ sunt necessitates unde salvam volumus fieri animam nostram? Quis has numeret? Quis dignè exaggeret? Quis congruè vitandas fugiendasq; commendet? Primo in genere humano dura necessitas nescire cor alterius, malè plerumq; sentire de fideli, benè sentire plerumq; de amico infideli. O dura necessitas! Et quid facis ut cor inspicias? Quem oculum affers infirma & plangenda mortalitas? Quid facis ut videas hodie cor fratris tui? Non habes quid facias. Alia major necessitas, nec tuum vides quale erit cras. Quid jam dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis? Mori necesse est, & nemo vult. Nemo vult quod necesse*

Necessitates humanæ innumeræ.

Nescire cor alterius & cor suum.

Nolle mori.

Et debere. *necesse est. Nemo vult quod erit, velit nolit, Dura necessitas nolle quod non potest evitari. Nam si fieri posset nollemus utiq; mori. .... Volumus pervenire ad regnum Dei, sed per mortem nolumus, & tamen dicit tibi necessitas, hâc venies. Hâc venire dubitas homo cùm hâc ad te venerit Deus? Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum, & annosarum malarum consuetudinum? vincere consuetudinem dura pugna, nôsti. Vides quàm malè facias, quàm detestabiliter, quàm infeliciter, & facis tamen. Fecisti heri, facturus es hodie. Si sic tibi displicet cùm disputo, quomodo displicet tibi cùm cogitas? & tamē facturus es hoc. Unde raperis? quis te captivum trahit? .... Cupiditates nostræ quando validæ sunt, & quando eis servimus, Necessitates vocantur.*

Peccare consuetudine & nolle consuetudinem.

Cupiditates sunt Necessitates.

Versus IX. *Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.* Benedico te Clementissime Deus adjutor pro omnibus victoriis tentationum totius

vitæ

vitæ meæ. Tua laus ista, tua victoria, mihi humiliatio. Benedico te quia ad statum Sacerdotalem vocare dignatus es. O locus spatiosus amandi te. Segregatum à Mundi curis & familiæ tibi soli adhærere, ô spatium latè amandi te. Ah! dimitte angustias amoris mei. *Posuisti in loco spatioso pedes meos. Planè fecisti mihi facilem justitiam, quæ mihi aliquando erat difficilis.* Hæc ex Aug. hic. conc. 1.

Versus X. *Miserere mei Domine quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus anima mea & venter meus.* Dimitte ô Misericordissime Domine quidquid irâ & his oculis & intimis membris meis aliquando peccavi. En iras meas omnes depono, & tu tuas depone. O viscera mea! quoties Filium Dei in altari recepistis, eundem offendistis? Ah miserere mei Domine, quoniam doleo ingratitudine meâ? *Quomodo autem non tribuletur iste de hac multitudine, quando videt ipsos implere* Justorum dolor ex alienis peccatis.

theatra

theatra & amphitheatra, qui paulò ante Ecclesias impleverunt? Ipsos in nequitiis, qui paulò ante in laudibus Dei? ipsos blasphemare Deum, qui respondebant Amen Deo! Infra eâdem concione Secundâ. *Quis non irascatur? Videns homines confitentes ore Deum, negantes moribus? Quis non irascatur? Videns homines seculo verbis & non factis renuntiantes? Quis est qui non irascatur videns fratres insidiantes fratribus, fidem non servantes osculo, quod infigunt Sacramentis Dei? .... Hæc autem ira, metuendum est ne tanta sit, ut in odium vertatur. Ira enim nondum est odium. Nam irasceris filio, non odisti filium. Tu ei servas hereditatem qui te sentit iratum, & ad hoc irasceris ne perdat quod ei servaveris, malè vivens moribus pravis.*

Iræ modus quis?

Versus XI. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate*

Virtus

Virtus mea, & ossa mea conturbata sunt. Benedicti sint Domine JESU lachrymæ & gemitus tui illi pro me peccatore. Dimitte vanas lætitias meas. Per paupertatem tuam parce superfluis, inanibus desideriis, laboribus meis. *Præfigurabat Dominus Ecclesiam quòd omnes gentes transvoratura, & in corpus suum conversura: & ait Petro: Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est Petre, quia super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Macta & manduca. Priùs macta & sic manduca. Occide quòd sunt, & fac quod es. Cùm ergo prædicatur Evangelium & videt qui prædicat non proficere homines, quare non clamet? quia defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus? Unde? quia abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum.* Act. 10. Prædicatorum dolor sincerus.

Versus XII. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, vicinis meis valdè & timor notis meis.* O opprobria Domini mei! pro his te adoro bone JESU. Suppleant hæc impatientiam

tientiam meam. O JESU amabilissime quomodo timor meus eras! Timui pro te vilis apparêre. Jam esto Amor meus. *Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Judæi. Omnibus pejus vivunt mali Christiani. Vis videre quàm omnibus pejus vivant mali Christiani? De talibus dicit Propheta Ezechiel, quia comparantur sarmentis inutilibus. Pone Paganos ligna esse Sylvatica extra Ecclesiam, adhuc potest inde fieri aliquid, quomodo de lignis fabrilibus est lignum fabro aptum: & si adhuc nodosum & curvum & corticosum, tamen quod doletur, ascietur, deplanetur, & possit venire ad aliquam fabricam usûs humani. De sarmentis autem præcisis fabri nihil facere possunt: ignis ea solus expectat.... Attendens itaq; multitudinem malè viventium in Ecclesia: Super omnes, inquit, inimicos meos factus sum opprobrium. Pejus, inquit, vivunt mali in Sacramentis meis, quàm qui ad illa nunquam accesserunt... De talibus dicit Apostolus Petrus: Facta sunt illis posteriora*

Pagani meliores Christianis.

riora deteriora prioribus. Meliùs enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm cognoſcentibus retrorſum reflecti à tradito ſibi ſancto mandato. Cùm dicit, meliùs illis erat non cognoſcere viam juſtitiæ: nonnè judicavit meliores eſſe inimicos foris poſitos, quàm intus malè viventes, quibus premitur & gravatur Eccleſia? - - - Timor factus ſum notis meis. Quid tam timendum? quàm cùm videt homo multos malè viventes, & de quibus benè ſperabatur, in multis malefactis inventos? timet ne tales ſint omnes quos putabat bonos, & veniunt in ſuſpicionem malam propè omnes boni. Qualis vir? quomodo cecidit? quomodo inventus eſt in illa turpitudine? in illo ſcelere? in illo facto malo? Putasnè tales ſunt omnes? - - - Ergo tu ſi talis non es, ſolus es? Vide ne pejor iſta ſit ſuperbia, quàm illa nequitia.

2. Pet. 2.

Meliùs illis erat non cognoſcere viam juſtitiæ explic.

Verſus XIII. *Qui videbant me foras fugerunt à me: oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde.* At ego Domine JESU fugio ad te, in tua vul-

nera festino. O vulnera JESU mei quomodo vos oblivisci possum ? O JESU mortue pro me recordare mei in morte ista mea. O tu solius habe cor meum, ex hoc omnes affectus alios ejicio. Ex toto corde hoc te diligo, qui me usque ad mortem dilexisti. O vivas in omnium fidelium cordibus! *Illud est magis gemendum, illud omnino intolerabile, quia multi qui videbant me foras fugerunt à me : id est qui cognoverunt quid esset Ecclesia, exierunt foras & hæreses & schismata contra Ecclesiam fecerunt.*

Versus XIV. *Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* O caro mei JESU in cruce confracta, unde effluxit salus mea ! O perde in me totum mundum ! Dimitte cùm alios fratres vituperabam, vituperari fugiebam. *Multi accolunt in circuitu meo, & reprehendunt me quotidie. Quanta mala dicunt in malos Christianos, quæ maledicta perveniunt ad omnes Christianos.*

nos. Nunquid enim dicit qui maledicit, aut qui reprehendit Christianos: ecce quid faciunt non boni Christiani: sed ecce quæ faciunt Christiani? Non separat, non discernit. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam consiliati sunt. At tu Domine accipe animam meam qui solus dedisti. O angeli Sancti convenite convenite pro me contra hostes meos. Veniat in consilium tuum & auxilium tuum ô Domine JESU anima servi tui.

Non attenditur quid non boni Christiani faciunt, sed quid Christiani.

Versus XV. *Ego autem in te speravi Domine: dixi DEUS meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* In te non in meis meritis. In te qui solus me salvare potes. Et dixi & dicam in æternum, & in hac voce mori volo, Deus meus es. Meus quem amo, quem ut hæreditatem meam spero & desidero. Tu fac mecum quod vis, da ut velim quod facis. Benedictæ sint tuæ circa me dispositiones. Ecce in manibus tuis sum, finge refinge. Non potes malè velle qui optimus es.

DEUS meus. *Prorsus recedant humana nomina humana crimina, humana figmenta. Non ad hominis nomen ambulo, Christi nomen teneo. Unus deficit unus proficit. DEUS meus non deficit neq; proficit. Nec habet quò proficiat perfectus, nec habet unde deficiat æternus. In manibus tuis sortes meæ. Non in manibus hominum, in manibus tuis. Sortes dixit quantùm ego existimo gratiam quâ salvati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam DEI? Quia in sorte nō est electio sed voluntas DEI. Nam ubi dicitur iste facit iste non facit; merita considerantur: & ubi merita considerantur; electio est non sors. Quando autem DEUS nulla merita nostra invenit; sorte voluntatis suæ nos salvos fecit; quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc concione 2. Aug.*

Sors, est gratia Dei.

Versus XVI. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Persequuntur me peccata mea; eripe me. Heu mihi quia te peccatis meis toties persecutus sum. Dimitte, Parce.

Dica-

Dicamus hoc & unusquisq; de inimicis suis dicat hoc. Bonum est enim & orare debemus ut nos DEUS eruat de manibus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt inimici pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit. Inimici homines qualescunq; fuerint non sunt odio habendi: ne cùm odit malus quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus & quem patitur malum, ut vel unus sit malus. Illi inimici sunt contra quos orandum est, diabolus & angeli ejus: ipsi nobis invident regnum cœlorum, ipsi nolunt ut nos ascendamus illuc unde illi dejecti sunt. Ab his oremus erui animam nostram.

Inimici alii cõtra quos alii pro quibus orandum.

Illi solus diabolus & angeli ejus.

Versus XVII. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.* O vultus! ô facies DEI mei quando te videbo? sicuti es. O misericordia DEI mei deduces me ad te! In te spes mea. *In misericordia tua, hoc est, non in mea justitia, non in meis meritis, sed in tua misericordia, non quia ego sum dignus, sed quia tu misericors es. Noli me audire*

ſecundùm judiciariam ſeveritatem, ſed ſecundùm miſericordiſſimã bonitatem.

Verſus XVIII. *Domine non confundar quoniam invocavi te. Erubeſcant impii & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa.* O Domine ô quantùm confundor ob peccata mea! ob ingratitudines tot meas! Erubeſco coram me, non erubeſcam coram te. O me deduc in cœlum per Crucem & mortem tuam JESU. Ah dimitte labiorum meorum ſcelera. Ah mea quoq; doloſa toties fuère. Propoſui toties, ſtatui toties amare te, heu ut fefelli fidem. At doleo pro doloſis labiis. JESU labia tua illa veracia, ſuppleant doloſa mea. O labia tua in Cruce qualia! *Quoniam invocavi te. Nonnè quotidie homines ut impleant fortè adulteria quæ concupiſcunt, invocant me? Nonnè quotidie homines ut moriantur illi à quibus expectant hæreditatem, invocant me? Nonnè quotidie homines qui fraudem cogitant ut eam proſpero exitu compleant, invocant me? Quid ergo eſt*

go est quòd pro magna mercede exigis ut dicas, non confundar, quoniam invocavi te. - - - Dico ergo breviter homini avaro. Invocas DEUM. Quare invocas DEUM? Ut det tibi lucrum. Lucrum ergo invocas non DEUM. Quia hoc lucrum quod concupiscis non potes habere per servum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum. Invocas DEUM, ministrum lucri tui facis DEUM. Viluit tibi DEUS. Vis invocare DEUM.? gratis invoca. Avare an parum est tibi, si te impleat ipse DEUS. DEUS si ad te veniat sine auro & argento non vis illum? Quid ergo tibi de his quæ fecit DEUS sufficit, cui DEUS ipse non sufficit. Meritò ergo rogat iste, non confundar quoniam invocavi te.

Avari oratio ad lucrum non ad Deum.

Gratis invocandus Deus.

Versus XIX. *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia & abusione.* O Justissime ô innocentissime JESU quid locuta, quid non est contra te locuta iniquitas. At tu ô Domine dimitte quidquid contra

proximum ſuperbè & in abuſione dixi: *Juſtus iſte Chriſtus eſt. Multa labia loquuntur adversùs eum iniquitatem in ſuperbia & contemptu. Quare in ſuperbia & contemptu? Quia contemptibilis ſuperbis apparuit, quia tam humilis vênit. Non vis ut contemnatur ab eis qui honores amant, ille qui tantas contumelias accepit? Non vis ut cōtemnatur ab his qui pro magno habent iſtam vitam, ille qui mortuus eſt? Non vis ut contemnatur ab eis, qui quaſi damnationis, mortem crucis turpem putant, ille qui Crucifixus eſt? Non vis ut contemnatur à divitibus ille qui pauperem vitam geſſit in mundo, cùm eſſet creator mundi? Omnia iſta quæ amant homines, quia noluit habere illa Chriſtus, ut non habendo oſtenderet contemnenda, non quia in poteſtate non habuit poſſidenda: Omnes qui amant hæc, contemnunt illum, Et quicunq; voluerit ſervorum ejus ſequi veſtigia ipſius, ut ambulet & ipſe in ea humilitate in qua didicit ambulâſſe Dominum ſuum, contemnitur in Chriſto*

Chriſtus nō habendo temporalia oſtendit contemnenda.

quaſi

quasi membrum Christi: & cùm caput & membra contemnuntur, totus ipse Christus contemnitur, quia totus ipse justus est, caput & corpus.

Versus XX. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* O dulcedo quam in altari bone JESU abscondisti! Benedicta sis in æternum, quoties te degustavi. O illam amoris in cœlo dulcedinem perfectam! O bone JESU da illam degustare. Heu quoties amaras mundi & carnis dulcedines secutus sum! Ah quantùm doleo tu scis. Ecce inter illos jam sum qui te degustare cupiunt, quibus omnia ista fastidio sunt. O conspectus sanctorum felix! ô quæ me hora vobis ad illam dulcedinem adjunget! *In conspectu filiorum hominum. Ergo si speras in Domino, coram hominibus spera. Ne fortè abscondas ipsam spem tuam in corde tuo & timeas confiteri, cùm tibi pro crimine objicitur,*

quia Christianus es. Cui autem modò objicitur, quia Christianus est? Tam pauci non Christiani remanserunt, ut eis magis objiciatur, quia Christiani non sunt, quàm ipsi audeant aliquibus objicere, quia Christiani sunt. Tamen dico vobis fratres mei, incipe quicunque me audis vivere quomodo Christianus, & vide si non tibi objiciatur & à Christianis, sed nomine, non vitâ, non moribus. Nemo sentit nisi qui expertus est. Ergo intende, intuere quod audis. Vis vivere ut Christianus? vis sequi vestigia Domini tui? objicitur tibi, erubescis, & erubescendo dimittis. Viam perdidisti. Videris tibi corde credidisse ad justitiam: sed perdidisti: ore confessio fit ad salutem. Si ergo vis ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum spera in DEUM, id est, noli erubescere de spe tua.

A Christianis objicitur esse Christianũ.

Versus XXI. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* O benedictus sis Domine JESU crucifixe

fixe. Tu abſcondiſti Majeſtatem tuam in carne noſtra & cruce tua. Et meruiſti nobis revelationem gloriæ Divinæ tuæ. O quando abſorbebor, quando abſcondar in te Deus meus. O pax ô tranquillitas animæ meæ Deus. O facies mei JESU glorioſa quando aſpiciam te, fruar te? ô æterna tabernacula Sanctorum. O Deus laudet te lingua mea in æternum. Dimitte quicquid aliquando hâc linguâ peccavi. *In abſcondito vultus tui. Qualis eſt locus iſte? Non dixit abſcondes eos in cælo tuo: non dixit, abſcondes eos in paradiſo, non dixit, abſcondes eos in ſinu Abrahæ. Multis enim fidelibus loca futura ſanctorum in ſcripturis ſanctis poſita ſunt. Vileſcat totum quidquid præter Deum eſt. Qui nos tuetur in loco vitæ hujus, ipſe poſt iſtam vitam ſit locus noſter. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Quod eſt tabernaculum? Eccleſia hujus temporis tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in hac terra peregrinatur. Tabernaculum enim habita-*

Gloria cœleſtis variè in ſcripturis dicta.

Eccleſia tabernaculũ militare.

bitaculum est militum in expeditione positorum. Ipsa dicuntur tabernacula. Domus non est tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, ut salvus factus in tabernaculo, gloriosus recipiaris in domum. Erit enim in cœlo domus tua æterna, si modò benè in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum DEI. Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegêris in tabernaculo à contradictione linguarum.

Versus XXII. *Benedictus Dominus quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munitâ.* O mira misericordia tua bone JESU in cruce, quâ levata est miseria nostra! Pro hac Pater & tu sis benedictus. O altera mira misericordia quâ Sacerdos tuus factus sum! ô in te Ecclesia, in tuî unione in tua con-

stantia

ſtantia & veritate perſevero & morior. *Mirificâſti quidem Domine miſericordiam tuam in civitate Hieruſalem. Ibi paſſus eſt Chriſtus, ibi reſurrexit, ibi aſcendit in cœlum, ubi multa mirabilia fecit: ſed major laus tua eſt in civitate circumſtantiæ; id eſt in omnibus gentibus diffudiſti miſericordiam tuam. Nec unguentum tuum in illa Hieruſalem quáſi in vaſe tenuiſti: ſed tanquam confracto vaſe unguentum per mundum diffuſum eſt. - - - Impleti ſunt Spiritu ſancto diſcipuli, cœperunt prædicare magnalia Chriſti. Lapidati, occiſi, fugati ſunt. Et cùm inde tanquam ex uno loco fugarentur, quaſi ligna ardentia igne Divino, totam ſylvam mundi accenſam fervore ſpiritûs & lumine veritatis impleverunt.* Mirabilis Dominus in ſua Paſſione.

Verſus XXIII. *Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, Projectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti vocem orationis meæ.* O exceſſum illum amoris quem in Cruce complevisti. Parce tepori meo amabiliſſime JESU. O abjectionem illam!

iſta me ad cœlum levet. In hac ſpero. Dignus ſum ab oculis tuis projici, qui toties heu me! projeci te. Sed dejectio tua bone JESU, oculos mihi miſericordiæ tuæ impetret. O qui exauditus es pro Filii reverentia, audi nunc gementem me peccatorem & ſacerdotem, exaudi in hac extrema hora. Orationes meas omnes quas ex officio meo recitavi, cum tuis ô bone JESU Patri æterno offero, & tu offer & audi. Omnibus iſtis viſceribus, doloribus, morbis clamo ad tua vulnera ô JESU mi, JESU mi.

Verſus XXIV. *Diligite Dominum omnes ſancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* Audio mi JESU iſta tua de Cruce verba, & diligo te Dominum qui ſic me dilexiſti, diligo Patrem tuum qui ſic dilexit mundum ut traderet te. O Veritas æterna in te credo. Ah! Veritas quid in me invenies niſi vanitatem? ô iſtam penitus abjicio. O da in

veritate tua stare. O veritas videam te. O vanitas omnis desero te. O illam sanctorum retributionem & humilium humillime JESU dabis mihi. Feci superbiam, toties erexi me contra te. O sincerè detestor superbiam istam. *Diligite Dominum omnes sancti ejus; id est vos diligite Dominum qui non diligitis mundum; hoc est, omnes sancti ejus. Nam cui dico ut diligat Dominum, quid adhuc diligit amphitheatrum? Cui dico ut diligat Dominum; quid adhuc diligit pantomimum? quid adhuc diligit vinolentiam? quid adhuc diligit pompas seculi & vanitates omnes & insanias mendaces? cui dico disce non diligere ut discas diligere, avertere ut convertaris, funde ut implearis? Retribuet facientibus superbiam. Jam dicturus es, quando retribuet? quando vult. - - Aliquibus & hîc retribuet, & vidimus & didicimus. Quia retribuit. Etenim quando humiliantur qui Deum timent, si fortè in aliqua dignitate hujus seculi refulserant, humiliati non ceciderunt; quia*

Avertere ut converta-ris.

quia Deum de corde non excluserunt, altitudo ipsorum Deus est. Humiliatus videbatur Job perditâ substantiâ suâ, perditis filiis suis, perditis quæ servabat, perditis quibus servabat. Remansit sine hereditate, & quod est tristius sine herede: remansit ad solam uxorem, non suam consolatricem, sed diaboli potiùs adjutricem. Humiliatus videbatur, vide si miser factus est. - - Sit nomen Domini benedictum. Istæ gemmæ laudis Dei unde sunt? Videte foris pauperem intus divitem. Istæ gemmæ laudis Dei non exirent de ejus ore nisi thesaurum haberet in corde. Qui divites esse vultis, tales divitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere. Ergo tales quando humiliantur nolite eos putare miseros. Erratis nescientes quid intus habeant. Ex vobis conjicitis qui mundum diligitis quia vos cùm talia perditis, miseri remanetis. Prorsus nolite hoc putare, habent intus quo gaudeant. Interior est dominator eorum, interior est pastor & consolator ipsorum. Ipsi sunt qui malè

Ex ore Jobi gemmæ, qui intus dives.

Interior sanctorum lætitia.

malè cadunt, qui ſpem ſuam in hoc ſeculo ponunt. Aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intus niſi fumus malæ conſcientiæ. Unde ſe conſolentur non habent quò foris exeant, non habent quò intro redeant, deſerti pompâ ſeculari, inanes gratiâ ſpiritali verè humiliantur. Et multis Deus facit iſta in iſto tempore, ſed non omnibus. Si enim nemini faceret, quaſi non videretur vigilare Divina providentia: ſi omnibus faceret, non ſervaretur Divina patientia. Tu tamen Chriſtiane tolerare didiciſti, nõ vindictam retribuere. Vindicari vis Chriſtiane? nondum vindicatus eſt Chriſtus. An tu paſſus improbum, & ille non paſſus eſt? Nonnè prior pro te paſſus eſt, qui non habebat quare pateretur. Hæc Aug. concione tertia.

Verſus XXV. *Viriliter agite & confortetur cor veſtrum omnes qui ſperatis in Domino.* Exemplo tuo JESU doces fortitudinem. O JESU infirmitas tua fortis conſolidet cor meum. O JESU ego in te ſpero. Quid peccata mea timeam? Tu ita

vulneratus & mortuus es. Insultent mihi, obtrectent mihi, incumbant scelera mea, ego ad tua vulnera suspicio, suspiro, & spero. O JEU conforta me in hac hora. Nulli suggestioni consentire fixum mihi est. Agam viriliter à te firmatus in me infirmus. O cor meum tuo cordi admoveo, cum illo meum intra tui Amoris viscera recondo; ita mori volo. Non negligam adhuc D. Augustini verba in eandem materiam destinatá, quibus aut moribundos alios aut nos erigamus. *Timere poteras, ne dum hîc vivis, ipsius sis: & cùm mortuus fueris non ipsius sis. Audi Apostolum promittentem tibi securitatem. Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur; Domino morimur.* Rom. 14. *Sive ergo vivimus sive morimur; Domini sumus. Et unde factum est ut ejus sis & mortuus? Quia pretio sui sanguinis te redemit & mortuus. Quomodo perdit servum mortuum, cujus mors est pretium tuum? Ideo cùm dixisset sive vivimus sive morimur Domini*

Sive vivimus sive morimur Domini sumus explic. Aug.

mini sumus, ut ostenderet suum pretium. Aug. in psalm. 144.

Actio IV.

Forma Testamentis data.

EXtremum hunc mihi Crucifixe concedes laborem. Pervenimus in ultimum humanæ vitæ opus quod testamentum leges dixêre in posterorum aut fortunam aut solatium. Atque ut omnis Sacerdotalis vita à carne & sanguine procul fuit, ita summum hoc aliter exire debet, quàm in carnem & sanguinem ut defluat. Dabitur autem Crucifixo cujus patrimonium omnia Sacerdotis beneficia. Qua in causa ut seriò incedamus, ab imo emovenda est. Sciendnm itaque Beneficiorum in Ecclesia occasionem extitisse istam ex Urbano Primo, in Decretali de Communi vita & oblatione Fidelium ad omnes Episcopos scripta. *Videntes, inquit, Sacerdotes summi & alii, atq; Levitæ, & reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si heredita-* Beneficiorum origo.

tes & agros quos vendebant Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent: eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, qui ex pretio eorum cœperunt prædia & agros quos vendere solebant matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere: Ipsæ verò res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum qui locum Apostolorum tenent, erant. Non ergo debent in aliis usibus quàm Ecclesiasticis & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Inde constat, cùm Fidelium augeretur numerus cui Episcopus cum suo Collegio Presbyterorum satisfacere non posset, ad certas Parochias fuisse deductas Sacerdotum colonias, & unum vel duos vel plures constitutos, attributis certis reditibus quibus prædicationi

tioni & curæ animarum occupati alerentur, ita ut quæq; Ecclesia sua bona haberet. Et hæc sunt vocanturque Beneficia. De quibus communis Doctorum sensus iste, quòd licet Clerici sint absoluti domini bonorum quæ illis ex successione hereditaria, vel patrimonio vel legato, vel donatione aliove titulo obveniunt. Adjice illam partem fructuum quæ congruæ illorum sustentationi est necessaria: tamen Clericos quoad reditus illis superfluos neutiquam esse dominos sed duntaxat bonæ fidei dispensatores. Hinc isti conclusêre: de prioribus legitimum testamentum esse Clericorũ, de superfluis nil jure & validè disponere posse. Unum Hermannum Horst virum doctissimum adduco in Concl. Theologicis de Jure & Justitia numero 14. decernentem. *Hinc inquit, consuetudo illa quæ alicubi invaluit ut Clerici de hujusmodi superfluis testentur in profanos usus, minimè obtinet vim legis, sed corruptela est. Can.*

Quorum Domini sunt Clerici, quod partem Necessariorum attinet.

De his testari concessum. Horst.

Non de superfluis. *contra statuta* 25. *q.* 1. *& can. Consuetudo dist.* 8. *cùm legi naturali & Divinæ repugnet.* Hæc ille Doctor.

Auctoris sententia. Nec de Necessariis testari Clericos posse nisi in pios usus.

Meo verò animo jam pridem ista sedit sententia conformiter dictis l.3. act. 7. *Non de superfluis modò si qui Sacerdotio superfuerint beneficiorum reditibus, sed neq; de ipsis necessariæ sustentationi debitis testari Clericos fas habere.* Quod non eâ asseveratione dixerim, ut contra justitiam delinquant & Restitutione obligentur secus de utrisque disponentes, prout loco citato etiam explicui. Nolim enim Theologum esse ut Xiphilinus ait de Antonino Pio κυμινοπρίστην sectorem cymini & in minimis maxima diligentiâ laborare. Sed *Ratio dicti est.* Ex condecentia tum statûs Sacerdotum : quorum voluntates extremas pias & sanctas esse par, ne quid scandali, offensionis, rixarum post se relinquant. Hæc autem incommoda facilè vitabuntur si omnia in pios usus testamento devoluantur. Tum ex conditione lega-

Joan.Xiph. Patr.Const. in VitaCæs.

Probatur convenientiis.

legatorum quæ ſuperfluis ſeu neceſſariis conſtent, utrobique tenent titulum ſuum, hoc eſt, data ſint ex meritis Chriſti & in ejus unam cauſam Clericis. Abſurdum verò ſit miſcere ſacra profanis. Neque evincit Conſtitutiones Synodales Regni Pol. generaliter licentiam dare teſtandi. Nam hoc ita ſit: Nulla tamen vox: *Ut etiam in profana.* Immo cùm ibi dicatur. *Ad Conſolationem conſanguineorum* notantur clarè pauperes conſanguinei qui egeant ex bonis Clerici ſolatio, non ut ditiores fiant, & ignaviam alant. Non obſtat licentia teſtandi tit. 10. de teſtam. & ultimis vol.

Dixi, *Si qui Sacerdotio ſuperfuerint.* Raro enim ſuperflua ſunt etiam citrà avaritiam & ſordes. Plures improvisò caſus bellorum, fugæ, vaſtationum, incendiorum, morborum accidere Sacerdoti poſſunt, qui illa ut videbantur ſuperflua reponunt inter neceſſaria. Prudenter id adſpexit S. Beda licet Monachum profeſſus ad illa Luc. 12. *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt eleemoſy-* Raro tamen ſuperflua ſacerdoti.

mosinas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat. Ubi non hoc, inquit S. Doctor Presbyter, præceptum esse putandum est, ut nil pecuniæ reservetur à Sanctis, vel suis scilicet vel pauperum usibus suggerendæ: cùm & ipse Dominus cui ministrabant Angeli, tamē ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à Fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus aliisq; indigentibus tribuens; sed ne Deo propter ista serviatur, & ob inopiæ timorem justitia deseratur. Hæc ille, l. 4. c. 54. in dictum c. 12. De his ita super servatis testari Clericum nulla religio vetabit, dummodo sub hac Formula, *Ne quid in usus Profanos.* Puta in splendida suorum Matrimonia, in honores familiæ emendos, in fortunam alicujus amplificandam, nullo insigni merito Ecclesiæ profuturi aut aliàs commendati.

Nam quòd Augustinus Clericos suos testandi jure exutos voluit, relatus à Vilibaldo Mayro Canonico Regulari in vita Augustini edita Ingol-

Ingolstadii an. 1631. *Qui voluerit habere proprium, & de proprio vivere, parum est ut dicam, non mecum manebit, sed nec Clericus erit. - - - Quisquis, inquit, cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium: non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget cōtra me quo voluerit, sciat certè ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non possit. Ita citatur ab illo Canonico Periochâ* 10. Quòd inquam Clericos habere proprium prohibuerit suos, & testamenta irritaverit, justam Rationem hujus consilii habuisse perspicio. Vivebant ex communi reditu, & providebatur Clericis vestis & alimentum impensis Collegii, æquum itaque fuit ut qui cum Augustino manere volebant, quod proprium haberent, vel parentibus dimitterent vel pauperibus. Tales enim manifesti erant avaritiæ & simulatæ egestatis qui ut suis rebus

Augustinus explicatur sententiæ Auctoris objectus.

parcerent atque consanguineis conservarent, Ecclesiæ opes titulo clericatûs emungebant, vel congregationes Clericorum hâc intentione intrabant. Proinde meritò & testamenta illorum irrita voluit, seu ut pœnas darent seu ut ex testamenti bonis, Ecclesia per injuriam fictamque paupertatem exhausta, instauraretur. Confirmat me in hac sententia D. Prosper vel auctor librorum de Sacerdotum vita, l. 2. c. 9. & seq. *Quod habet Ecclesia, inquit, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.* Et c. 10. de pauperibus ait. *Ipsi quoq; pauperes si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant quod debet debilis aut infirmus accipere: ne forte Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis quibus debet subvenire non valeat.* Jam de

Suffragante D. Prospero.

de Clericis non egentibus. *Qui autem Ecclesiæ serviunt & labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter aut exigunt: nimis carnaliter sapiunt, si putant quòd Ecclesiæ fideliter servientes, stipendia terrena ac non potiùs præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat. Unde satis indignum est si fidelis & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat.* Postremò quod attinet Clericos in Congregatione viventes pravâ intentione, ita disserit. *Illi quoq; qui vel idonei nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant: qui Ecclesiam quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant: propter hoc fortaßis in Congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes suscipiant, aut*

ne ſuum cenſum expenſis quotidianis imminuant. Cui malo D. Auguſtini providentia obviam ivit. Hîc datur intelligi quibus perſonis Eccleſiæ bona diſtribuenda ſint, & quæ illorum quondam apud Patres ſanctos cura fuerit. Alterum Clericos non egentes ſed propria unde viverent habentes, ſponte Eccleſiæ ſine reditu aliquo ab illa ſumpto ſerviviſſe, aut ſervire debere. Tertium. Abuſum eſſe ingentem, Clericos in communi Congregatione aliqua viventes, proprium habere extra congregationem, quod ſuis ſervent & teſtamento linquant. Quare qui tales Congregationes Clericorum auctorant, velim delectum habeant ne iſtos duplici corde cœtui ſuo addicant. Actio enim hæc cupiditatis eſt, ex communi neceſſaria habere, & extra communem uſum adhuc abundare.

Vide B. Petrum Damiani epiſt. ad Epiſcopum bona Eccleſiæ alienantem.

Cœterùm Eccleſiæ primis ſeculis Sacerdotes ſanctos extra vitam communem poſitos ac ſingulares,

pro-

propriis licet modicis facultatibus vixisse citra paupertatis Evangelicæ detrimentum, in conperto mihi est. Nam sicut *Clerici quos pauperes aut voluntas aut nativitas fecit, inquit cit. Auctor l.2. c.11., cum perfectione virtutis, vita necessaria sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.* Ita qui necessitate vivendi habent sua modica, cum perfectione virtutis ex iis vivunt. *Quia & ipsi quodammodo sua relinquunt inquit ib. c.12. quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt.* Laborem puta in Ecclesia vel pro Ecclesia, nullo sumptu ab Ecclesia. Ponamus primò in hoc calculo S. Felicem presbyterum martyrem & ejus opes. *Tria tantùm jugera ruris modici, & hæc conducta, & unum hortulum proprii juris, unde viveret habuit.* Scriptor vitæ apud Bollandum. c.4. ad XV. Jan. Quam ejus pau-

Hinc peculium dicitur quasi pusilla pecunia Ulpiano. Et hæc dicitur peculium clericorum t. 31.

paupertatem brevi carmine dilaudavit S. Paulinus Nolanus Episcopus ibidem apud Bolland.

- - - tria macri jugera ruris
Nec proprio sub jure tenens, conducta colonus
Ipse manu coluit, famulo sine; pauperis horti
Possessor. - - -

Quid referam S. Lucianum Presbyterum Antiochenum? *Cùm processisset ad sacerdotium, constituit illic maximum ludum literarum. In celeriter scribendo erat exercitatus & quod ex eo acquirebat, simul quidem & sibi alimentum & pauperibus suppeditabat.* Metaphr. apud Boll. ad VII. Jan. Licebit voce M. Aurelii Cassiodori Senatoris scribentem Lucianum laudare. *Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitum dare, & contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoq; pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot antiquarius Domini verba scribit - - operatur absens de opere*

opere suo - - tribus digitis scribitur quod virtus sanctissimæ Trinitatis operatur. Lib. institutionis divin. lectionum. t. 6. Bibl. P.P. Dedisti Luciane tuo ipso atramento lucem Ecclesiæ; lucem scripturæ sacræ, expungebas caliginem stylo quem manu stringebas. Calamus ille index erat cui per apices veluti horarum notas labenti sol sapientiæ allucebat. Atque simul ô ingentem parandarum opum modum ex modico! ô sacerdotum non minus opulentiam pauperem, quàm paupertatem opulentam! Exiguè Felicis coloni areæ, scriptoris Luciani paginæ quàm latè in pauperum patuistis usus?

Aucto Clericorum numero eorum qui extra congregationem vivebant, ac bonis in Ecclesia Africana ut reor per bella vastatis legem jussêre Patres Concilii - - - Concilii Carthaginensis IV. *Ut Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absq; officii sui duntaxat* Teste Concil. Carthagin.

xat detrimento quærat. cap. 34. Tanquam isti Patres in Felicem & Lucianum digitum protulissent. Porro istam vivendi rationem principes Apostoli tenuêre ad primordia nostræ Religionis. D. Paullum S. Lucas describit in domo Aquilæ viri & Priscillæ illius uxoris. *Et quia ejusdem artis erant, manebat apud eos, & operabatur : erant autem scenofactoriæ artis. Actorum 18.* Nec ipsi Paullo id profiteri dedecori fuit. *Argentum & Aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos Act. 20.* Quæ autem D. Gentium Ecclesiasten permoverint ad quærendum manibus victum, præter exemplum aliorum Apostolorum, qui partim piorum mulierum opibus, partim fratrum liberalitate labores Evangelicos sustentaverunt? Potuit idem Paullus, sed altius quiddam cæteris

Quæ etiam D. Paullo vita.

Ejusque causæ.

teris cogitabat. Conjecturâ assequitur Theophilactus. *Erant enim, ut videtur, apud Corinthios præceptores nonnulli prædivites & opulenti, qui gloriæ ducerent alios gratis instruere, molirenturq́; ut Apostolo ad ignominiam cederet quæsitus ex doctrina cibus. Quâre ipse animadversâ, cavebat ne victum à discipulis sumeret.* Equidem poterat moribus aliorum ac ipsius Petri, tum allatâ ex veteri testamento, tum denique ex ore Domini JESU disciplinâ uti. *Ita & Dominus ordinavit (inquit postremo argumento) iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Sed longè gloriosius putavit & Evangelicæ paupertati convenientius, Labore manuum suarum vivere, & ut inquit ibi *Evangelium sine sumptu ponere. Bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Hoc est, eligo potiùs laborare, inediâ item & paupertate confici, quàm ut exprobrata alimenta, aliquam

Ex Theophylacto.

contraham labem, quæ cursum Evangelii posset intercludere. *Gloriam verò, ut gaudii magnitudinem exprimat, dixit: quo procul dubio afficiebatur ingenti, quòd gratis Evangelium prædicaret. Gratis autem Evangelium prædicare, voluntaria quædā est libertas, eòq; & gloriā promeretur. Theophylactus Enarratione hujus epistolæ.*

Paupertas Evangelica latiùs sumitur.

Ex quibus decernat facilè quis Paupertatem Christianam restrictè imaginari, si solius mendicitatis vultum illi imponamus: Si bona terrena egestate affectatâ in nostrum trahamus sinum, otiosi vacantesque manu, iidem validi & valentes. Dico *otiosi ac validi* nam prædicatione, lectione scripturarum ac Patrum, administratione Sacramentorum districti, piè satis & Apostolico more, quo Petrus & Joannes à mulieribus sororibus alebantur cæterisque fratribus, eleemosynis proximorum vivemus. *Alterum elicio.* Eidem paupertati Apostolicæ non contravenire quòd *Clerici in particulari pro-*

proprias facultates habeant, necessarias & tenues. Ut proinde tales licitè validèq; condant testamentum de iisdem propriis in pios tantùm usus. Ratio est ex D. Pauli institutione. Nam iste Paupertatem Christi professus erat, & tamen laboris sui pretium in dominio & proprietate, independenter ab alio, & ad omnem honestum usum habuisse, nemo negaverit. Quin etiam cuivis in dictum finem dare, immo, si casus tulisset, testari fratribus potuisse. Nisi dicas à Petro dependisse hanc ejus facultatem, quod nescio quis contra dicta afferat immeditatus. *Tertium.* Quàm celsi meriti fuisse censuerint Sacerdotes è nostris, qualis Lucianus erat (quid enim ex scriptura viveret, si alicujus monasterii rebus aleretur?) Juventutis ac pueritiæ institutionem capere, libris scribendis manus commodare, non in lucra & quæstus, sed ut è decoro vitam exigant. *Postremum colligo.* Agri hortique culturam non esse procul

Exemplo D. Pauli. Et Alexandro III. cõformis sententia. tit. 10. de Testam. Vide Canisii Henrici Summam Juris Can. tit. 10. l. 3.

dignitate & vitâ Sacerdotis. In solatium hæc transsumetis, quos in eam vivendi difficultatem Divina manus deflexit. Durum est illud, vix dimisso permissoque somno excuti, lassos & calentes sudore artus minui, sordidos æstivo pulvere, adustis vultibus manibusque lustrare campos, messes, horrea, prata. Decenter enimverò id agitis, dummodò semper in longum anxia cupiditas necessitate intercipiatur, neque solicitudo immodica animum agitet & pervertat in diversa. Laborate sed ex Patrum vestrorum disciplina. *Absq; officii duntaxat vestri detrimento.* Itaque erit in statis actionibus manè quotidianum sacrificium. Celebrabuntur festi dies concionibus, pœnitentium confessionibus ultro admissis, doctrinâ in plebem vulgari, provisione pauperum aut solatio infirmorum. In eam legem res domestica & agraria ponenda, ut omnes perspiciant potiore loco DEUM, conscientiam, animarum salu-

Paupertatis Apostolicæ species labore manuum vivere.

Laudata.

His tamen conditionibus.

salutem; inferiùs agros coli. Alii fines agriculturæ sacerdotalis, quàm ut locuples sit suosque faciat. Alii quàm ut fortunæ superfluant in posteros lapsuræ. Quod olim Blesensis Ricardum Archiepiscopum Cantuarien: monuit vos caveritis. *Estis fabula in ore hominum - - quòd si vestram velim prædicare industriam circa prædiorum culturam & circa hujusmodi exteriorem administrationem, quæ incessanter exigit humana necessitas, ipsi universa depravant. Quæ gloria est, inquiunt, quòd vivaria construit, quod claudit feras indagine, si Clerici imprecantur? si in omnem dissolutionem religiosorum claustrorum ostia relaxantur? Quæ utilitas quòd fimo & cretâ ager sationarius impinguatur, si in Dominicæ messis cultura nec spina evellitur, nec extirpatur tribulus, nec verbum Domini seminatur? Nunquid DEO cura est de bobus & asinis? Ut circa boves & asinos ita solicitus occupetur? cur injunctæ sibi legationis officium non exercet? Ligatus*

Tum his ex D. Blesensi allatis.

est potiùs quàm legatus. Prophetæ, inquiunt, cui Dominus legationem injunxerat, præcepit ut evellat, & destruat, ut dissipet & perdat, ædificet & plantet. Dominus tuus officii spiritualis intelligentiam convertit in literam, aut ut dicatur verius, in lituram. Ita epist. 5.

Exporrectâ fronte ista disputavi ut de conditone Evangelicæ ac Sacerdotalis paupertatis vobis palàm facerem. Consurgamus animo ad veterem gloriam, videamusque Sacerdotes nostros sponte ordini suo illam conjunxisse. Liquet sanè id non prioribus tantùm exemplis sed etiam illustribus hisce reliquiis. *Quòd beneficia quibus sustentamur alienare superflua illis pro libito jactare, extra facultatem sit.* Quo argumento habetur, non esse nostra, à superiorum manu pendêre, religiosorum bonorum naturâ & sorte censeri, ac inter publicas Ecclesiasticorum eleemosynas. Verùm altera ratio propior. *Quòd ex iis non splendori*

non

non ostentationi paranda, sola in necessitatem permissa & relicta juxta conditionem dignitatis in Ecclesia. At superflua si quæ sint, in solos pauperes tribuenda. Ita de illis Majores nostros decrevisse, vel potiùs rem suâpte notam declarâsse. Neque paupertatis vim destruit, quòd Proprietatis titulo Necessaria nostra induta sint, & legari quoq; in usus ut dixi pios possint. *Ista enim species Apostolo Paulo electa fuit. Pretii sui laboris dominus ac independens, & tamen Christi Apostolus & imitator paupertatis Christi. Ista Felici & Luciano probata. Meritò statum nostrum ita DEO devinctum, ita cupiditatibus mundi opum prohibitum honoravit Glossa in c. 2. Ex multa. l. 3. Decretal. de voto. Religiosus dicitur non modò regularis, sed etiam Clericus secularis.* Non minus item momenti est ad nostram mentem quòd *Pluralitas beneficiorum illicita sit communi jure* quod Clericis insinuat ut in sortem Domini ingressi, uno ad idoneam sustentationem contenti, vo-

luntati ditescendi & ditandi suos ignaviâ plerumque egenos & sacrilegi testamenti expectatione suspensos nuntium remittendum esse intelligant, & quantum per humana promptum, liberam opum vinculis mentem expediant in sacra.

Dixi *sponte conjunxisse*. Eos videlicet qui domibus propriis agrisque, vel patrimonio vel manuum operâ ut notavi, contenti tenuem vitam in Ecclesiarum & proximi obsequio ductavêre. Nam quibus congregari placuit & in numero vivere ex communi; meritò Clericatu & vitâ communi arcebantur, sicut fecit D. Augustin. nisi proprio posito vel in pauperes aut parentes rejecto tanquam luxûs & avaritiæ alimento.

Verùm labentibus annis primævus ille vigor continentiæ lapsus est in Clericis seorsim degentibus. Postquam enim cupiditati mista nobilitas, cui non eadem majoribus vitæ simplicitas inerat, in Clerum se infudit: ita avitam corrupêre modestiam,

ſtiam, ſumptâ libertate acquirendi, retinendi & quâ libêret prodigendi bona ſeculari & plebejo titulo & caſtrenſium lege, Eccleſiâ indulgēre quod attinere fruſtra tenderet.

Quanquam priſcam inſtitutionem iterum erexit S. Philippus Nerius qui adoleſcens amplâ patrui dimiſsâ hereditate Sacerdos ex obedientia factus, aliis in Congregationem lectus, Cleri Magiſtram paupertatem reſtituit, natâ olim non ſcriptâ lege, neq; Voto in artem reductam ſed uſu firmatam. Latiùs pluraq; circumſpicienti non patitur privatis & tenuioribus inſiſtere D. Carolus cujus animus opum profuſus & contemnens meruit eam Virtutem in exemplis Cleri relinquere. Ille *Uritano principatu vendito pretium univerſum ad XL aureorum millia unâ die in pauperes erogavit. Nec minore pietate XX millia quæ ſibi fuerant legata diſtribuit. Eccleſiaſticos proventus quibus ab avunculo fuerat copiosè*

cumulatus, dimiſit, nonnullis retentis quibus ad proprios uſus & egenorum neceſſitates utebatur. Brev. Rom. IV. Nov. Singulæ hiſtoriæ verba Demoſthenem & Antonium agunt ita vel ad laudandum vel ad perſuadendum fecunda. Diſcamus paupertatem iſtam æquis adſpicere oculis, deſideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere, animum in futura prominentem ſub lege habere. Id agamus ut opulentiam à noſtro animo, à beneficiis neceſſaria petamus. Sed in primis cuiq; Sacerdotium adituro cauſæ ejus in numerato ſint. Nam *quando poterit Neceſſariis eſſe contentus, qui eo animo introivit, ut ſtipendia cleri in uſus voluptatis, curioſitatis & vanitatis congreget, ſervet, expendat?* Bern. in Verba: Ecce nos reliquimus. At ubi Neceſſaria cupiditatem clausêre, nihil eſt quòd perfectioni paupertatis metuat. Nam *plus concupiſcentia mundi quàm ſubſtantia nocet.* Bern. cit. Quòd ſi ægrè nomen Paupertatis dictæ audis ſal-

tem D. Franciſcum Saleſium monentem accipies. *Noli deſiderio quodam integro & formato rem quam non habes deſiderare; iis autem facultatibus quas jam habes noli cor firmiter apponere, noli quoq; ob jacturam & damna rerum quæ tibi evenient magnopere contriſtari: & tunc aliquomodo tibi perſuadere poteris ac credere te tametſi dives reipsâ & effectu ſis, affectu tamen divitem non eſſe ſed pauperem ſpiritu & proinde beatum, tuum eſt enim regnum cœlorum.* Introduct. p. 3. c. 14. Lege c. 15. & 16.

Et jam tempus in Crucifixi memoriam vertere quam per tot ſpatia detinuimus. D. Hier. celebri ad Nepotian: epiſtolâ ubi Eccleſiarum enormes apparatus notâſſet luxûs etiam in ſacris non faciendi. *Nunc verò cùm paupertatem domûs ſuæ pauper Dominus dedicârit, cogitemus Crucem ejus, & divitias lutum putabimus.* Cogitemus Crucem ah nudi! ſpoliati, usq; ad intima exuti. An iſte amor legatis teſtamentisque veſtris

non

non dignus ſuccedere? iſtum ex aſſe heredem non ſcribatis qui vos in ſua admiſit! Tu ô Crucifixe in mea, veriùs tua ibis. Tu ſignabis & refe-res codicillos. Pleriq; quibus ege-ſtas domi, foris æs alienum olim, res mala, ſpes multò aſperior, ut ille ait, erat. Infirmo jure teſtamentis ſuis blandiuntur. Certum enim eſt omnia iſtorum bona ex Eccleſiæ bo-nis initia & profectus accepiſſe, ideo ad Eccleſiam reverti debere. Nam quòd induſtriam ſuam opponunt, acceptabo. Sed oportet velim, indu-ſtriam cum fundis & ſolo Eccleſiæ comparari. Non enim juſtum eſt, ſolius induſtriæ Oeconomicæ ratio-nem haberi fundo excluſo, quæ non tam copiosè potuiſſet ſe extendere atque explicare, ſi fundus & funda-mentum defuiſſent. Præterea con-ſiderandum, quantos ex bonis Ec-cleſiæ fundisq; tuâ induſtriâ excul-tis, & in fertilitatem reductis, quot inſuper annis fructus perceperis. Primi & alterius anni cultura diffi-

Ratio con-ſilii.

Nec valet objecta in duſtria.

cilior est: insequentes anni minores expensas requirunt. Ergo contra jus erit, omnia industriæ deberi, Ecclesiæ, & nihil in pauperibus piisq; causis Crucifixo. Intelligimus exinde non semper ex æquo & bono cum Ecclesia & pauperibus transigere, qui omnia sua Nepotibus & familiæ testamento destinant. Quàm miserum illud vidêre, calente & adhuc dubio in extremis spiritu, Prælati vel Sacerdotis domum diripi, & Pergama ista ferriq; trahiq;. Illos onerato sinu, hos curru veluti incendiis refulgentibus profugere. Horrea tumultuario laboratore excuti, greges, equilia, armenta, dominumque cætera mutantia diversis viis abigi. Nudari parietes, condita discludi, quæ vel avaritia vel parsimonia sordida reliquerat intacta, inter litigantium manus lacerari. Rident hi subitâ fortunâ, his *oborta repentè copia, ut ait ille, vilior.* Irascuntur alii paupertati Sacerdotis, & inter locupletes rapinas egent. Str.

Lice-

Petri Tylicki Crac. elogium.

Licebit mihi phrasi D. Gregorii Nazianzeni Episcopi illâ uti, hæc est *de re ridicula ridiculè loqui.* Petrus Tylicki primùm Varmiensis Episcopus & Vice-Cancellarius Regni, postremò Cracoviensis Episcopus erat. De hoc judicium Stanisl. Lubinscius libro de gerendo Episcopatu tulit: *Non Italiam non Germaniam vidit, non studia Philosophiæ aut Theologiæ vel Juris attigit, totus in aula crevit privato tamen labore atq; improbo enisus studio evasit in oratorem & virum magnum, idem irâ fuit asperior licet innoxiâ, una eademq; hora & irascebatur & suî compos iram castigabat.* Is inquam. Vix morbo depositus movit cupiditatibus heredum suspicionem mortis. Plures hâc illecebrâ exciti adsunt. Sensit vir aulicus dolosa officia, & ad irritandum captantium avaritiam simulatus æger, suprema pari dolo fingit, cùm isti involant. Non tulit iram familiarem, sed flexo in ludibria digito: *En, inquit, morior & vos hinc in malum abeste.* Compertum est

In Consanguineos jocus.

eſt nullã in Polonia familiam Eccleſiaſticis Prælatorum bonis ditatam, diu ſplendorem aut tenuiſſe aut protuliſſe. Uriel Gorka notum in Poloniæ hiſtoricis nomen adſcito externo Comitis titulo Palatinus Poſnanienſis & Majoris Poloniæ Præfectus Generalis ſub Caſimiro III. Rege, uxore mortuâ factus Sacerdos & Epiſcopus Poſnanienſis, hanc artem ſuis diteſcendi, inquit Paulus Piaſecius in Chronico, reliquit, nam filius eandem conditionem defuncto Patre Epiſcopo accepit. Verùm iſtorum & genus & opes, poſteris novandorum in Rep. conſiliorum fax, in externas ſciſſæ domus unius ferè ſeculi curſu in Stanislao ſubſedêre. Et nunc vel nominis ad nos tenuis aura delapſa eſt.

Uriel Gorka primus è Sacerdotio in Polonia ditatus.

Triſti familiæ exitu.

Inciderat aliquando in hunc affectum & defectum S. Udalricus. Neque id mirum. Blandè iſte Sacerdotes vadatos vinctosq́; ut ait ille, attinere ſolet. Erat illi Nepos Adalbero, in quem propenſior Udalricus.

S. Udalricus in conſanguineos propenſior.

An be-

An beneficiis, an indulgentiùs nutritum habebat? Extremo vitæ tempore in voces dolentis coram omnibus erupit. *Heu me! Adalberonem utinam non vidissem! Beata æternitas jam patet, solus ille retinuit. Non admittor nisi pœnas dedero.* Post tristes adeo gemitus deferri se in Ecclesiam jubet, auditâ Missâ sterni tapetem ad Sanctam Crucem. Ibi horæ mediæ spatio orationi vacat toto dejectus corpore. Oratione finitâ ejusdem Crucifixi conspectu suppellectilem totam domesticam afferri imperat. Resisto hîc historiæ, Fidem an impetrabit apud nostram libidinem sacra, profana in suos compellentem? Berno Abbas Augiensis apud Franciscum Haræum IV Julii ex Nomenclatore Episcopali ita recitat. *Fuerunt pauca camisilia, & septem vel octo mensalia, duo sacilia, & de argento decem solidi, quos statim inter pauperes & Clericos per Præpositi manus jussit distribui.* Pauperem M. Antonius & Ælius Verus sanxe-

Propensionem hanc luit.

Et testamento pio eluit.

sanxerunt, *cui in rebus aurei L. non essent. l. Paupertas. de Excusationibus.* Hic infra Pauperem Episcopus dives. O Sacerdotales divitias! ô testamentum locuples! Tale optârim meum tuumq; Sacerdos testamentum, ut pro Crucifixi oculis afferas omnia tua & disponas. Isto teste Voluntas erit ejusdem Merita in Mundi Vota prodigere? Poterisnè tibi persuadere ut ejus beneficio Nepos Neptisvè superbiat, Virum Uxoremvè ille & ista mercetur! Mori tu statues ut populus sic Sacerdos?

Quale Sacerdotum optamus.

Mirum est quantum opes, quæsita gaza, vestes, supellex curiosa, redituum numerus, illa ipsa testandi solicitudo, disponendi ambiguitas, electio executorum animum præ morte diripiant. Dives Sacerdos bis metuit, sibi & pecuniæ. Bis dolet, Morte & jacturâ. Ex lege facies, si Pauperes & Clericos tenuiores, potissimum studiis deditos, heredes statim dum licet per morbum feceris, ac tua de manu in manum

Dives Sacerdos bis metuit bis dolet.

tradideris, dum viges valesque. Falleris si Collectanea hæc eò perventura putas quò tuo testamento jubebuntur. Intervertet hoc iter aut domestica externavè manus, aut executorum simulata pietas, aut usitatus à morte Sacerdotis ridentium raptus & rapientium risus.

Optima Sacerdotis ad mortem dispositio ista.

Ante mori seculo.

Optimè te Sacerdos ad mortem disponis, *ubi primùm tuos sepones carnis & sanguinis affectus. Crede pridem te clientium turbæ remisisse nuntium. Crede fratres, sorores, agros; uxorem, propter Christum & Regnum cœlorum reliquisse. Crede ejus secutum consilia, ut pauper, castus, & in obedientia sacerdotali viveres, inde omnibus amoribus longè ante præmortuum vixisse. Debet esse eminentior mors tua secularium exitu; solicito nimiùm & per diversos affectus trepidante.* O beatam istam mortis nostræ solitudinem! in qua nullorum lachrymas tu ipse deterges, nullis plorabêre oculis, nullis irritabêre vivendi causis. Solutus, metu, cupiditate, amore, successo-

Tranquillam facit mortem.

cessorum desideriis, non præstolabêre quis te fleat! an uxor, an liberi, an carnis amicitia, manum extremam admoveat, & stupentes in morte oculos claudat? Cum DEO amico & solo moriturus es, cui soli vixisti, solum dilexisti.

O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo. Th. Kem. l. 3. c. 53.

Persequar nominatim & testamenti materiam formabo. Censeo è re & fructu Sacerdotis esse post Xenodochii tui pauperes veste & alimentis adjutos, Ecclesiæ tuæ cætera, ut ædificia, greges, libros in usum tantummodo Successoris inscribi, ita ut alienari non possint. Catalogum horum in Ecclesia reponi. Hac ratione levabis Successorem difficultate rei familiaris, & tot à cura animum distractionibus expedies. Ignominiosum illud Sacerdoti elogium putabis, *dum illi succeditur ut post hostilia* in vastitatem, nudatos parietes, direpta omnia, quæ digniùs in Servi DEI commoditatem venissent. Aderit & illa utilitas; dum tuis libris for-

Forma testamenti consulitur.

mabitur docebiturque Successor. Inopia enim librorum complures studiosos alioqui lectione subducit, & eruditos Sacerdotes esse non finit. Neque obstat illud: *Quis leget hæc?* Tu ergo in monasteria condes ut legantur? Dico: Quis hæc leget ibi? In copia librorum plus negligentiæ, & legendis plerumque desunt qui legant. Hoc testamentum magnæ erga DEI causam propensionis, non minoris in proximorum salutem & Sacerdotem fratrem tuum charitatis esse non dubitabis.

ACTIO V.

Mortui in Affectu Crucifixi Sacerdotes.

MUltùm artis contulêre in istud nomen Stoici ne mortem metuerent. Nec minus laboris & eloquentiæ fudit Romanus ille in Consolationis remedia libros diducens. (Sen.) Correxit eam ingenii vanitatem sui nominis Vir Justus Lipsius, qui moriturus rejectâ Stoicâ apathiâ, veram (Lipsi.) in

in Cruce patientiam esse approbavit, ut olim retuli. Isto stylo S. Rex Psal. 70. DEUM appellat Patientiam suam. *Tu es Patientia mea Domine,* ubi August. *Quia non est in me ut patiens sim sed in te qui donas patientiam. In expositione primæ partis.* Sed præterea dicit DEUM Patientiam suam; non solùm quia patiens est nostrorum peccatorum; vel quia à nostris ut ita dicam patiatur peccatis: sed etiam quia in Cruce factus est nobis exemplar Patientiæ ad quod evecti cogitatione, discamus mala omnia viriliter pati. *Hoc signum, inquit alicubi Aug. cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adjuvat, hoc ad victoriam, hoc ad coronam provehit.* At D. Chrys. apud Grets. t. 2. de Cruce in nostro negotio & actione præsenti diversatus. *Crux orbem terrarum convertit, neq; mors ampliùs mors est, sed Somnus.* Aug. Aug. Chrys.

Quocirca Sancti Sacerdotes cruce mortes suas velut bonæ mortis

augurio obsignare soliti erant. Ita S. Severinus Presbyter moriturus totum corpus Cruce consignat. *Eugippius apud Bolland. c. 11. vitæ.* Ita decet mori, omnibus membris qui Crucem portaverant, ita decet omnia membra in Crucifixi signo & amore emori. D. Joannes Chrysostomus Eucharistiâ sumptâ, quàm longum latumque erat illud corpusculum Ecclesiastæ & Doctoris laboribus studiisque exhaustum, signo Crucis munivit, in eoque auream animam in Crucifixum effûdit. Immortalem fecit D. Trudonem Presbyterum mors talis. *Factâ horâ allatis vivificis mysteriorum Sacramentis participat: & rejectis oculis ne circa hæc exteriora occuparentur, concives Sanctorum choros advenisse recognoscit. Tum verò protensis manibus, toto corpusculo in obviam chari exercitûs erecto, ingeminato signaculo Crucis: Dirige, inquiens, viam famuli tui in conspectu tuo, in manus Salvatoris caput reclinavit. Haræus ad XXIII. Novembris.*

S. Severinus Presbyter.

D. Chrysostomus.

D. Trudo Presbyter.

bris. Ita Sacerdos oculos tuos erudi ne illo in vitæ præcipitio ac meritorum, alibi quàm in cœlo & Crucifixo, qui tibi cœlum aperuit, detineantur. At D. Augustinus. *Decem ante dies quàm humanis excessit, seriò jussit, nemo illum de cætero negotiis profanis occuparet, nec ullus aliquis ad decumbentem admitteretur, nisi iis tantùm horis quibus aut medici ad introspiciendum intrarent, aut refectio inferretur, ut ita orationi & lachrymis liberiùs vacare posset. Vilibaldus in Augustino aliàs recitatus.* D. Augustinus hic exemplo.

Singulare illud in S. Corbiniano Frisingensi Episcopo. *Primò vestibus sacris indutus, sumpto viatico propriis manibus in sacrificio quod celebravit, Signum Crucis capiti imprimens, Deo sic Spiritum reddidit. Aribo Episcopus Frisingensis IV. apud Haræum ad VIII. Septembris.* Repete illud verbum: *Sumpto viatico propriis manibus.* Non differ illud in summum morbum. Pleriq; hoc nomine, more Secularium stultorum, Eucharistiam San- D. Corbinianus ipse viaticum sumit. Non differat illud Sacerdos.

ctam metuunt. Atqui si Sacerdotes eramus quotidie ita sacrificare debuimus tanquam hodie morituri. Placet mihi in quotidianum exercitium Nicolai Lancitii consilium libro de officio Sacerdotum c. 5. opusculo 13. ubi vir ille piè eruditus. *Suadeo, inquit, propter contingentes hujus miseræ vitæ casus tam varios, dum sacris vestibus indutus procedis ad Sacrificium Missæ, eo animo illud Sacrificium Deo offer; ut si fortè Deus prævidit, te post illud non ampliùs habiturum copiam sumendi ultimi viatici, illa communio quam percipies in Missa, sit tibi vice ultimi viatici; & ita nunquam sine viatico morièris, etiamsi subitâ morte moriaris.*

Immo quotidie tanquam Viaticum sumat.

Lancicii consilio.

Reddo vobis adhuc post Episcopos Pium V. extrema in Dominum Crucifixum pietate nō postremum. *Subuculam lineam cùm ad humeros defluxisset, manu propriâ reduxit: tum manibus in modum Crucis conformatus obiit. Auctor vitæ l. 5. c. 12.* Verecundiæ vacare in morbo & circa mortem,

Pii V. moribundi Verecundia

tem, indicium eſt verecundè vixiſſe. Celebre Hyppocratis Coi, Medici famoſi. *Nec multas partes ægri nudabo, neq; niſi neceſſarias. Hæc ille in Jurejurando ſuo.* Tanquam ſpirituales Medicos inſtrueret, Confeſſarios, Concionatores, ne ſint nimii in peccatis ſuorum aut detegendis aut inveſtigandis. Sola quæ ad ſalutem neceſſaria ut curent, vitatâ curioſitate & ſubtilitate medendi. Cæterum ſi hæc Medicus circa ægros verecundè, Sacerdos æger circa ſua non verecundiùs? Addamus Pontifici Cardinalem. Hoſius eſt ille Magnus Pœnitentiarius à Gregorio XIII. P. M. inſtitutus, rarâ præfatione collati muneris. *Ille, inquiebat Pontifex, de alienis peccatis judicet, qui minimum ipſe peccatum habet.* Ad hanc legem Noſtros mores flectere debemus. Judicamus de peccatis, non vivamus in peccatis. Remittendi peccata poteſtatem accepimus, ergo Remittenda non committenda nobis peccata ſunt. *Sin-*

Ab Hyppocrate præſcripta ſuis.

Greg. XIII.

gulari veneratione quâdam vivificæ Crucis trophæum, quod sibi afferri voluit, prosequebatur. Rescius ait oratione funebri habitâ Romæ Anno 1579. Ideo votum ei fuisse crediderim, ut non alius ei mortis contingeret dies, quàm quo Vita nostra extremum vixit; Quod abundè ipsi solutum est. Nam *quâ Dominus pro salute generis humani spiritum emisit, vir sanctus itidem, cùm se aliquoties Crucis signo communivisset, animam Christo Redemptori tradidit.* Mortis diem deligere non opis est nostræ. *Vigilate inquit Dominus, quia nescitis neq; diem neq; horam.* Non annos, menses, sed diem horamq; dixit. Non annorum mensiumq; electio tantum negatur, etiam diei, unius etiam horæ potestas nulla. Omnis dies omnis hora sit nobis intrepido. *Donec veniat unus ille dies, observandus est omnis dies. Ait August. olim citandus.* Attamen optare morienti Domino sua fata conjungi, pietatis est officium & actio; conjungere, supremæ in vita felici-

Hosii in Crucem pietas.

Dies mortis.

Vigilate: explanatur.

Augustin.

felicitatis. *O si mihi dies ultimus ille effluat, qui tibi idem in Cruce fuit! Egone vel momenti ictum tenuem in aliqua sorte reponam, quo tu non vixisti? ô beatam Sacerdotis animam! quæ consecrato isto tempore relinquit corpus, & tanquam comitata halitum spiritumq́; Domini sui, immensa cælorum spatia intrat.*

Optandus idem qui Domino fuit.

Sancti Boniti Lugdunensis Episcopi mors nobis immortalia reliquit. *Ad extrema deductus sumpsit cæleste viaticum: Signo Dominico se munivit: & fenestrâ cellulæ apertâ, lachrymis madescentes oculos erexit in cælum. Apud Haræum ad XV. Januarii.* Quid speret Sacerdos vicinius à Cruce Domini & suâ quâm cœlum? *O patria! ô cælum! ô Divorum domus! ô Civitas Dei cruce Domini mei aperta, fundata, instaurata, ornata Sanctorum civium infinita multitudine! ô fratres! ô sorores beatæ! ô æternitatis dilecta pignora! ô juxta cor locatæ amicitiæ! absorbete hoc cor in cæli amorem, in Dei per JESUM Crucifixum benedicti*

S. Bonitus in cœlum erectus.

Et huc Sacerdotis suspiria.

nedicti amorem. ô faciles lachrymæ cadite, defluite, effluite, tantò uberiùs, quò magis memini, ah meminisse dolet pudetq; ! in ipsum Patrem in cœlis meum peccavisse. Ah! quoties hoc cœlum sprevi, neglexi, amisi. O crux aut spes unica! ô clavis regni cœlorum!

Nicolai à Prazmovv Pœnitentia.

Nec ætati nostræ quanquam viciniorum incuriosæ jus in posteros memoriæ detraxero quod illi nuper fecit Nicolaus à Prazmovv Gnesnensis Archiepiscopus Regni Poloniæ Primas primusq; Princeps, vir supra gestos honores eloquentiæ & civilis prudentiæ præclarus, censeri meritus inter , qui magnitudine provocaverint pericula aut vicerint. Apparavit illi supremum diem longa tabes, quæ per momenta curis laboribusque evictum tandem confecit. Primâ mortis suspicione pavens nonnihil, *non perinde mortem videri pervigentibus ac solvendis.* Mox indubiâ, constans & in omnia pietatis firmus animi & collectus. Conscientiam ad aures Sacerdotis pluries expiare.

piare. D. Augustini exemplo Psalmos qui Pœnitentiæ inscribuntur inter lachrymas & gemitus pronunciare. Sumptam Crucifixi imaginem veneratione summâ complexus manu, pectore, osculis. Simul pallium & Crucem insignia sua poposcit colloq́; indidit, subinde fatus fratri suo Regni Secretario, *Immunitatem Ecclesiasticam carioribus primam ante haberet.* Tum ut erat lecto confidens mysteria morientium & mortem placidus & libens excepit. Media narravi, sequitur generosæ sanctitatis & quod meritò à primo Principe expectares cui Crux pro securibus. A Sacerdote monitus, ut offensas animo omnes aboleret, donaretque quæ viventem læsêre. Horam esse in alienâ suam accipere veniam. Neque hinc deportandas secum iras quæ irascentem ulciscerentur. Non diu tulit monitorem intercepitque, ut se sibi virtus illa deberet. Nam oculis in cœlum, manibus per formam Crucis elatis,

Commendat immunitatem Eccles.

Caritas erga infensos in morte.

attra-

attractis ex imo suspiriis, voce collectâ. *Utinam ita propitio judice DEO utar, exclamat, sicut me illi irato.* Adnotavêre qui ejus inter novissima fuerant, cùm illa diceret, insolitâ lætitiâ corpus erexisse, vultu ita serenum renidens, quo pro amicissimis vota solveret.

Arduam illi objecerant patiendi vel secus causam turbida in castris aliud agentibus judicia. Postulatus parricidii in patriam, majestatis in Principem, affectata ex levi obscuroque indicia, subditi qui accusatorum nomen tenerent. Rari faventes & amici, armatis & quia ita volebant judicibus. Erant qui per conciones populum incenderent. Jactata probra clamoribus, libellis. Adnectebantur criminibus fratres. Bona sub hastam; præmium sacri capitis parabatur, famâ, loco equestri, sacerdotio, proturbabatur, omnia tanquam pro libertate, sibi ipsi libertate infestâ. Excepit Nicolaus scripto ne silentium in con-

An. 1672.

Frustra tot causis irritata.

scien-

ſcientiam verteretur. Patuit deinde innocens accuſationum princeps, abrogato per publicam Ordinum legem caſtrenſi decreto: Manifeſto, libertati ferociam & temeritatem juxtà eſſe, eluſâ ambitione qui ſpes per diſcordias habeant. Inaudita hæc & genti quondam ingloria, tacendis hactenus cauſis dum tempora Narrationi adoleſcant.

Cæterùm tot injurias noſſe, audire, legere, numerato tenere, & ſtatim obliviſci; ire in amorem cum offenſionibus; cœleſtis animæ & in Crucifixum auctorem attentæ fuit. Probavit in morte an ſcierit adverſa pati & amore ejus causâ à quo ſui interfectores nec per Crucem iræ ſcintillam extorquere potis erant. Tu verò felix princeps non Ordinis tantùm claritate, etiam Mortis exemplo, tanquam pro Archiepiſcopali portione morituris Sacerdotibus charitatem inimicorum donares. Statuamus illam animo & inter præcepta ſanctæ mortis figamus. Ha- Ab Archiepiſcopo Sacerdotes diſcant aſſerantq;.

Habuisti olim qui tuam spem, honorem, nomina, mores, doctrinam, valetudinem, occursu, intercessione, litibus, literis verterint, vexaverint. Caves in confinio mortis accuses aut vindictam premas. Effunde animum apud Crucifixum & omnes inimicos ama in ejus amorem.

Amore Crucifixi Domini.

O Domine Crucifixe minimum illius tui in hostes amoris indulge. Non alio quàm corde tuo omnibus do veniam & rogo. Supplex & rejectus ad tua vulnera omnibus sanguinis particulis precor, peculiarem & efficacem aliquam gratiam ad salutem, provectum, consolationem spiritualem ideo lucrentur & accipiant, quia læserunt. Sic me moriens ipse morientem docuisti, sic oro. Placeat tibi Domine cum tuo verbo cœlesti illo; Dimitte. Impetret quod tua, mihi, illis, oratio.

Martini Guttierez in mortem af-

Facio passum ad aliena castra & inter nostros morientes Religiosum è Clericis Societatis Sacerdotem sistam Martinum Guttierez solidâ in Crucifixum mente à qua ignis

iste

iſte eruperat. Orabat quotidie ſolennem & rariùs auditam cœlo materiam. *Mortem omni humano ſolatio deſtitutam ac ſimilem morienti Domino, ut beneficii loco ingentis acciperet.* In mortibus illuſtribus. O fundatum virum! quâ iſte patientiâ vixit, qui tam illuſtre fatum quotidie optabat. Faviſſe deſideriis Crucifixum inde conſtat, quòd inpetraverit. In itinere Romano ab Hugonottis notâ in Galliis labe captus, carceri teterrimo intruſus, & quo ſolatii genus nullum niſi quod exoraverat. Negata Martino quæ facinoroſis in beneficia imputantur. Supra ſordes, ſqualorem, famem, ſitim, egeſtatem, tenebras, anguſtias: injuriæ, probra, convitia, deriſiones protervè, petulanter, ſuperbè pro genio ſcilicet & diſciplina Calvini. Conſervavit Martinus vigorem & habitum, ſuoq́ue voto gaudens inhiabat, cui per tot mala ſe jam parari intelligebat. Fatiſcenti denique ærumnis mortalitate, immotus ſuâ ſede ani-

mus, omnis ſolatii expers & exſpes etiam quod à Sacramentis gratis concedere ſolet inter Chriſtianos ſævitia, carcere & corpore, ut illi volebant, exire compulſus: ut ille oraverat, lætus & defœcatus ceſſit. Ecce Chriſti Sacerdotem qui ſolatio omni procul mori ſolatium ducit. Ecce in mediis doloribus ac communi morte, mortis Dominicæ ambitio. Ecce amor qui non usque ad mortem tantum, ſed usque mortis ſimilitudine amat. Macte animo Sacerdos, & ſi miraris hæc in iſto, Crucifixum oculis ſtringe. Ut moritur Dominus tuus! Quæ in illo doloris ſolio pars levamenti? Mater & diſcipulus juxta ſtabant tam dolentes quàm dolendi. Latro vicinus fas putat in famam morientis latrocinari. Mota irridentium Sacerdotum, geſtientisque adulatione populi, capita, in miſerum & non laceſſentem. Inſuper in hunc hoſtes amantem, excuſantem hoſtes, nulla alicujus gratæ vocis & bonæ miſeratio. *Ita moreris ô Domine,*

Et elogiū.

Votum moriendi exemplo Chriſti in Cruce deſtituti.

ne, sitis, corporis nuditas, pondus, clavorum laceratio, morienti commoditas. Horrescis inter audita Sacerdos & ancipiti divideris nunc huc nunc illuc animo, an optare debeas genus hoc mortis? Miserum istud, sed Dominicum; sed amabile, ex quo ita mori Deus-Homo elegit. Frustra niteris excusatione allatâ illius hominis. *Homo sum.* Ubi attuleris oculos ad Sacerdotium, minùs in te licere timori videbis. Sacerdos es, hoc est, quem neque vivere, neque mori præter exemplum Redemptoris Crucifixi decet. Quapropter animum ita colloca, ita te in manus ejus dede. Crudele, asperum, difficile, facient aut morbi, aut hostes, fatum tuum! jam opta, jam posce, jam ama. *Nolo Domine mi aliter mori quàm tu. Non illa morte dignus sum, tu tamen dignus es. Hoc solatium mihi sit, extra omne solatiũ per dolores lentè abire. O Crucifixe Amor, istum animum ingredere, & aliquâ parte fac similem tuo. Desertus ab*

Sacerdote dignum.

omni ope, neglectus inter ærumnas, amicis pariter & inimicis invisus, Te Crucifixum non deseram! ô tu Crucifixe, quod per te rogo, me non deseras.

Thomæ Oborscii tumulus ad Crucem.

Flecto in extremis paginis manum ad Thomam Oborscium, & ex illo habeo, quo condar, sepulchri locum. *Ad hanc aram Crucis, in qua quotidie sacris operando, spiritum DEO offerebat, etiam quod mortale habuit, deponi jussit.* Ex ejus Epitaphio in Cathedrali Cracoviensi. Efferat componatq; insuper Sacerdotis cineres D. Ambrosius. Non alio molliùs tumulo nostras exuvias quiescere ratus, quàm sub altaris umbra. Ubi enim Sacrificium & hostia Christus est, ibi Sacerdos tanquam ex officio jus sepulturæ habet. *Quia ipse Martyr esse non possum, hos vobis Martyres acquisivi, loquitur de S. S. Geruasii & Prothasii corporibus; Succedant victimæ triumfales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est, isti sub altari, qui illius Redempti sunt Passione. Hunc ego locum*

Ambrosii sub Eucharistię altari.

Sed priori affine.

cùm prædestinaveram mihi. Dignum enim est, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem. Locus iste Martyribus debebatur. Ambr. l. 7. epistolâ ad Marcellinam sororem. Monemur hac D. Episcopi extrema voluntate, ut in dies aut saltem frequentissimè Sacrificium altaris celebremus, quò saltem mereamur sub altari sepeliri, & si contingat alia tellus. Sanctissimæ Eucharistiæ effectus est inter cæteros quibus caro nostra munitur, Resurrectio Corporum. Ita Dominus ipse edixit; *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Joan. 6.* Conjunxit Dominus Sacramenti usum cum suo effectu quorum prior ad animam, alter ad corpus dimanat. Hunc frequenti Eucharistiæ sumptione impetramus. Quid enim? non suscitet carnem Sacerdotis in gloriam, inter cujus ossa, nervos, fibras sua virgi-

Ab Eucharistia Resurrectio Carnis profertur.

nea caro, ſuus Divinus ſanguis toties infuſus, & quo adhuc cineres penè madent? Non dabit ille videre corruptionem Sanctum ſuum. Sanctum id eſt corpus, prout Angelus dixerat. *Quod enim naſcetur ex te Sanctum.* Servemus carnem noſtram puram & caſtam & Sanctam, & in ea patiamur illi, qui pro nobis paſſus eſt.

Quam ideo Sanctam, ſervemus, & patiamur.

Paſſo pro nobis.

JESU CHRISTE CRUCIFIXE.

Domine mi & Sacerdos Summe.

Cui operis exitum dedicat Auctor.

EXegi jota unum & apicem unum, quem ad tua vulnera refero tuis de vulneribus purpuratum. Audaciam iſtius operæ tuo imputabis Amori, in minimas actiones noſtras Divino cruore deſcendenti & agenti. Neque enim meriti ullius præſumerem cauſam, niſi tuâ ſcribentis ſepiam

cœleſti

cœlesti gratiâ imbueres, nisi calamo & chartæ æternum gloriæ pondus adderes. Adeo vacua & intus deserta sunt humana nostra, nisi tu adsis & impleas. Sed quàm impar Te scripsi! utcunque atramento scribere volui, quem Tuo sanguine in manibus descripsisti? Non est unde huic scriptioni favor veniat? sed per tua placeat. Hæc una ingeniorum studiorumque commendatio est, non posse aliter placêre quàm in tuis. Vile & inaspectum DEO est, quidquid pretium coloremque tui sanguinis non ducit. Involvi ideo & Regali tuâ purpurâ præcinxi centones istos, quos meis & tuorum Sacerdotum moribus induerem, tantò gratiùs Patri æterno videndos, quòd ex sanguinolenta Filii sui tunica mutuati,

quam ille ubique quærit in nobis, agnoſcit & amat. Permitte igitur his libellis tuorum vulnerum benignam faciem quæ ſpeculorum vice ad videndam ſicuti eſt Divinitatem, firmando intellectuî noſtro præparâſti. Tende manus ad ſupplicem & te ſolum in præmia depoſcentem. Pertinax iterum oratio : Verùm tu ita erexiſti, ut ne quid niſi Te Summum ambire poſſemus. Et ſi nil obtineat labor, Te tamen per te obtineam, ô Salute mea Salus ſalubrior.



INDEX SCRIPTURÆ ET RERUM.

A.

SUme tibi Aromata. pag. 536
Et non erat ei Aſpectus. 606
Nemo tollit Animam meam. 571
Qui Amat Animam ſuam perdet. 578
Qui Altari deſerviunt. 6
Vidi Agnum ſtantem. 536
Apoſtoli vocati à piſcatu. 378
Colloquium cum Amore JESU. 3
Aqua Symbolum fœderis. 39
Actus interni circa ſignum Crucis. 29
De Alea Sacerdotum, judicium Petri Damiani. 390
Agonizantium cura peculiaris Sacerdoti. 113
Ejusque etiamin Agonia. 115
D. Gregorii circa Ægros monita. 118
Et 626
Et lecta apud illos Pasſio. 627
Agonizanti Sacerdoti ſæpe nullus Sacerdos. 116
Amici Damon & Pythias fideles. 565
Divinus Amor immenſus quomodo? 570
Amare & ſapere ſolius Dei, 571
In Dominum Amor ſervi fœdati. 575

Amantium ſepulchrum. 577
Agricultura non indigna Sacerdote. 707
Amoris in ſubditos exemplum Codrus Athen. 585
Ex Arena Crux D. Kentigeri immobilis. 319
Aula funeſta in Margaretha Navarra. 495
Et in Aſcræo. 496
D. Fridericus Aulæ catechiſta. 382
Et D. Barbatianus in aula Placidiæ Auguſtæ. 356
Animarum ſtudium non in deliciis, otio, aula. 350
Aulicæ clericorum Reſidentiæ inter profana. 212
Aulicus nomen ſingulare. 616
Ad utilitatem interdum non Audimur, Audimur ad damnationem. 95
Angelorum redemptor Chriſtus ſuo modo. 339

B.

BEne dicimus nos quia Samaritanus es. 425
Benedictio à Miſſa. 44
Beneficiorum diſtinctio non infert abſolutam poteſtatem diſponendi. 206
Beneficium commune viliùs æſtimatur. 545

In

In Dei Beneficia hoc non cadit. 547
Beneficiorum quâ parte clerici domini. 695
Baptiſmus Parvulorum non differendus. 83
G. Baryczka elogium. 171
Non ita Beneficiatis eſt ut etiam Benè ſit. 410
Bona interdum non Benè deſiderari. 356

C.

Vulnerâſti Cor meum. 153
Ut ſignaculum ſuper Cor tuum. 165
Sedens in Cathedra ſapientisſimus regum. 521
Poteſtis bibere Calicem. 235
Curam illius habe. 398
Conſtitui te ſuper gentes. 376
Chriſtus heri & hodie. 532
Et hunc Crucifixum. 280
Præter JESUM & hunc Crucifixum. 281
In Charitate Dei. 571
Ut non evacuetur Crux Chriſti. 609
Ego autem induebar Cilicium. 441
Meliùs illis non Cognoſcere. 673
Cilicium D. N. 441
Tempus Cilicii. 442
Et uſus D. Maximo & Matthiæ Plocenſi. 446

Ad

Ad Crucis osculum indulgentia. 46
Crux Christi triplex. 31
Crucis in Missa numerus. 29
Et quæstio S. Bonifacii M. de numero. 35
Religio Completorii ex agonia Christi. 134
In Cubiculo D. Ivonis Crucifixi imago. 156
Sacerdotum Cubicula notata. 160
Pii V. Cubiculum. 161
Christus Pontifex Confessionis. 57
Aphorismi Confessariis idonei. 69
Commoda in Confessarium ex pœnitente. 67
Præceptum de Confessione Sacerdotum. 375
Profectus ex prædicatione Crucifixi in Concionatores. 285
Cæcilius Presbyter Cypriani Magister. 353
Ocothoclus miræ Charitatis animal. 527
Matthiæ R. dictum in Coronatione sui. 507
Cadaver fundit sanguinem præsente Amico. 535
Vita Communis D. N. Charitatis index erga peccatores. 442
Responsum Consanguineo petenti à S. Laur. Just. 222.

Chri-

Chriſtus in Cruce vermiculus ligni. 522
Crucifixus Lucerna ſuper Candelabrum. 160
Ejus memoriâ vilis eſt mundus. 184
Contemplatio in tentatione. 186
In Aod ambidextro figuratus. 347
Crucifixi prodigium in India tremendum, ſi fides. 595
Crucifixus in Paulo docet. 538
Utilior Cætus Crucifixo honorando. 296
Leges ſi placet procul ſuperſtitione & affectatione. 300
Confraternitates ſeriò judicandæ. 295
D. Carolus Vox Crucifixi factus. 308
Cogitatio Crucifixi ſolita D. Philippo Nerio. 192
Sacerdotibus Oratorii & peculiaris D. Carolo. 194
Cracovienſis Academiæ elogium. 249
Et Sacerdotum in Cracovienſi Circulo. 304
Nominatim Senioris Pœnitentiarii. 306
Cameneci ſitus ejuſque cleri elogium. 315
Templum S. Crucis à D. Chryſologo. 309
Eumænis in Captivitate dictum. 487
Chriſtianis pagani meliores. 672
Clerus Epiſc. domeſticus cohors prætoria. 274
Cleri commoda à Seminariis. 402

A Cle-

A Clero pauco & Necessario. 405
Clerici in Jure dicuntur religiosi. 711
Crucis gestatio peculiaris in Card. Ursino. 162
Crux corporibus non atramentis scribenda. 240
Charta centum aureis fecunda. 226
Crux dignitas Sacerdotum & ejus dignitate Sacerdos. 321
Probra in Concionatores spernenda. 252
Clerici in aula Pol. principum adjutores. 213
Excusati per Rationem status notandâ cautelâ. 214 & 219
Curatus utilior monacho & privato Sacerdote. 217
Clero minùs licet dum plus licere videtur. 219
Maxima Crux servo Dei omni carere Cruce. 449
Crux omnium temporum sensuum & in puritatis studio. 450
Nemo Conscientiam fugit suam. 662
Commoda Sacerdoti ponenda pro alieno commodo. 277
Sola Confusio æterna timenda. 659
Crux superstitiosè dum colitur non colitur. 322

Christus cùm satis esset remittere iram, adjecit Charitatem. 576

D.

POllicem manûs dextræ. 184
Diligis odientes te. 568
Constitui te Deum. 514
Majorem hac Dilectionem nemo habet. 564
Digito scribebat. 660
Dilexit me. 546. & 554
Ex toto corde Diliges. 244
Principium in Die virtutis. 524
Deus stator. 492
Deus nudus. 715
Deus meliùs æstimatur Senecæ quàm Calvino. 581
Doloris remedium à Cruce. 185
Primus Gorka ex beneficiis Ecclesiæ Ditatus. 719
Culmensis Dzialinii elogium. 310
Ecclesiá Doctores requirit non Doctoratos. 264
Dux inter acies quæritur. 379
Ad Deum fugiendum non à Deo. 662
Deus amandus etiam cùm non videtur amare. 93
Non omnibus Dormio. Prov. Nævii. 411

E.

Super frenum Equi sanctum Domino. 185
Edent pauperes. 109
Væ mihi si non Evangelizavero. 273
Ebrietas in alio crimen, in Sacerdote Sacrilegium. 365
Eucharistia & Mors Domini beneficium singulorum. 557
Eucharistiæ effectus resurrectio corporum. 741
Ecclesiasticorum lites. 259
SS. Eucharistiæ Procesßio Torunensis. 313
Ecclesia magna totus orbis. 107
D. Erardi elogium singulare & breve. 388
Iteratur. 395
Ut Equos commodiùs habeam infame dictum. 351
Epitaphium singulare Th. Oborscii. 385
Electio Episcoporum olim Canonica, non contra Rationem Statûs Regni quæ modò est. 216
Episcoporum domestici. 454
Exorcistæ seriò probandi. 333
Exorcismorum vis ex Cruce Domini. 16
Exorcistæ ne agant contra dæmones cum dæmonibus. 333

F.

Fluent ad eum omnes gentes. 603
Fibi abſcondita eſt Fortitudo. 611
Flabit ſpiritus ejus. 604
& de Fructu ejus non edit. 207
Th. Oborſcii Frugalitas. 199
& Valentini Treſtka. 201
Ejus cauſa in Sacerdotibus. 198
nulli ab oculis Faſcini. 323
Vera cauſa. 328
Vana remedia. 330
D. Caroli Flagellatio ſui. 438
uſus ejus contra vitia quotidiana. 440
Feria VI. dati aditus pauperibus ad Præſules. 455
viſitata Xenodochia. 457
conciones D. Borromæi. 460
& Patrum. 476
Comicæ ſcenæ prohibitæ. 471
Alcibiadis Fortuna duplex. 495
Dictum cujusdam. Totus ſum Frons. 484
Jure Famæ ſemel cedendum. 430
Formula ceſſionis. 432

G.

ABſit Gloriari niſi in Cruce Domini. 396
Gratia Dei ſors. 676

Georgii Presbyteri India & elogium. 359
Gallici Cleri elogium. 275
Goslicii Camenecensis prudentia cum hæreticis. 221
Vera Gloria in Cruce. 291
Gratia communis à nemine redditur. 545

H.

IN imagine pertransit Homo. 488
Corripuisti Hominem. 500
Vermis & non Homo. 480
Ingressus Hominis enunciant de eo. 492
Stylo Hominis. 499
Horâ sextâ. Horâ tertiâ crucifixus. 426
Hosius Card. D. Andreæ Apostolo pius. 147
De vi Herbarum contra dæmones. 330
Miracula ex Hominibus. 496
Reges Persarum soliciti ne Homines credantur. 504
Homo non invenitur sine dolo. 507
Homo Cretensis ex Carbonum familia. 489
Pila Dei. 495
Inscriptio Hortorum olim Romæ. 485
S. Felicis Presbyteri Hortus. 701
& Sacerdotum. 707
Herba S. Crucis in Palatio. 230

Horæ veteres Iudæorum. 148
Honoris ſui non ſit pretium ubi honor Dei exigit. 247
Sicut Honorum ita locorum ambitio. 355
Honoratum Sacrilegium & honor Sacrilegus procul Sacerdote. 322

I.

DE Immundo conceptum ſemine. 592
Super me flagella & Ignoravi. 500
Egrediatur Ignis de rhamno. 615
Inſtitutio Iuventutis olim Sacerdotum propria. 705
S. Nerii circa Infirmos monitum. 125
D. Gregorii M. 118. & ſeq.
Imaginum Crucifixi decorum procuratum. 334
Job Intus dives foris pauper D. Auguſtino. 688
Inimici duplices: pro quibus orandum & contra quos. 677
Fortior in arcto Induſtria. 353
Dei Iuſtitia noſtra eſt cùm nobis datur. 659
Iuſtitiæ ſtudetur etiam contra Iuſtitiam. 159
Primam religioni ſuæ Iudex debet patientiam. 65

Iræ comes blaſphemia. 97
ejus argutiæ. 257
vilibus Judiciis dignitas ex Judicato
Chriſto. 428
hæc perferre rarior Virtus. 420
eorum materia explicata. 424
etiam à morte tolerandis ſiniſtris Judiciis parandi ſumus. 429
Immolatio ſui. 20
non ſpernenda Injuria Dei exemplo. 513
Innocentii X. elogium. 622
paſſus es malum, Ignoſce: ne duo mali
ſitis. 423
Inventioni ſuæ quiſque favet. 145
Impone Crucem, Iram de pone. 260
Hoc feliciores nos Angelis quia pro Deo
Infelices eſſe poſſimus. 415

L.

LAminam auream. 186
vitta coccinea Labia. 283
Ludens in orbe. 495
plus omnibus Laboravi. 397
en colligo duo Ligna. 608
Lectulus noſter floridus. 443
Latro converſus in Cruce divinitatis
Chriſti argumentum. 516
à Latere Chriſti Sacerdos. 151
Leonis X. pietas. 154

Liber Philippus seu de vera Lætitia. 192
Franc. Sal. Labores. 386
Th. Oborscii. 383
D. Erardi. 388
Luxûs Sacerdotalis incommoda. 199
B. Simonis Presbyt. Liberalitas. Et elogium. 214
B. Justiniani Lectus. 443
Joan. à Leszno hæreticis convertendis dat operam. 361
& elogium. ib.
Legum studium in Sacerdotibus. 159
Hosio Card. Lecta de Passo D. historia. 628
Et apud infirmos commendata. 630
odor Lucernæ causa abortûs. 498
Laboremus tessera Severi Imperat. 381
Priùs Linguâ D. quàm manibus crucifixus. 427
cum Libello in angello. 412
plerique ne Labores suscipiant suscipiunt Sacerdotium. 389
Lusus in Sacerdotibus reprehensi. 390

M.

SEdisti ad Mensam Divitis. 27
nisi hic Malefactor esset. 425
Levantes puras Manus. 445
in Manus tuas commendo. 117. & 303

Quis Militat stipendiis suis. 378
Mortem Domini annunciabitis. 556
Apud Moribundos lectio Th. à Kempis. 127
Sacerdotum à Missione elogium. 403
Sola Martyrum mentio in Missæ Canone. 434
Inde ad Martyrium Spiritûs. 436
Primum vivens Mariæ, gratia Dei. 336
Inclusa redemptionis beneficio. 337
Immaculata ejus Conceptio explicata humano decretorum ordine. 340
Mortis memoria in regali throno. 521
Munuscula Sacerdotum sacra. 189
à Morte Catonis dictum. 569
Mansuetudinis D. N. in Cruce contemplatio. 254
Moriendi præceptum rigorosum D. N. non habuit. 572
ad Morientes Mullos olim Romæ concursus. 607
Tormenta Martyrum leniora ex dilecto Deo. 566
Mori pro inimicis non est hominis, nec facilè pro amicis. 564
Nec ipsa Mors sit otiosa. 656
Crimina Sacerdos corrigat Marsupia non emungat. 405
Mortale extra mortalium satisfactionem. 583

Monialium curam Sacerdotibus intutam. 266

N.

NOcte os meum perforatur.
De Necessitatibus meis. 667
Nicii Rom. Presbyteri elogium. 290
Necessaria ex beneficio sumpta non nisi necessariis honestisque impendenda. 206
Cupiditates eædem Necessitates. 668
Necessitates humanæ innumeræ. 667
Necessaria liberalitas ex ipsis Necessariis. 294
Nudus Deus. 502

O.

ORatio usitata Prophetis Deus Deus meus. 554
Et cur ita. 90
Peregrinum Opus à me. 581
Omnibus plus laboravi. 397
Opera bona, aurea, argentea, plumbea. 127
Officium Divinum passim & sparsim honorat Crucifixi memoriam. 137
Obedientia Cleri major privatâ & religiosâ. 261

ad illam obligatio. 207
Oratorii Sacerdotes. 192
Orientem crux in templis respicit. 448
Otii causæ in nostris Sacerdotibus. 388
Origenis verba explicata D. Bern. 595
Olsovii Culmensis Episcopi elogium. 310
Oratio sæpe ad Lucrum non ad Deum. 679
Orandus Deus gratis. 679
Oratio non deserenda etsi deseramur. 94
Obedientia ambitiosa distinguit imperia. 278

P.

TU es Patientia mea. 725
adimpleo quæ desunt Passionum Christi. 539
lapides isti fiant Panes. 664
Prædicat publicè primus ex Africæ Presbyteris Aug. 281
in Poloniæ Clerum jactata Probra. 398
Primus Poloniæ Senatus Sacerdotes, & olim soli apud reges. 17
Franc. Salesius inter Prædicandum à Crucifixo illustratur. 284
Ejus Patiendi studium. 415
de Passione D. Missa quotidiana. 315
in sua Passione mirabilis D. 685
de Passione D. historia cantanda animo casto. 467

de Passione Dominicæ nomen. 462
in hac Ordines Sacri causâ idonea Sacerdotii. 463
Papatus Crux & Papa crucis discipulus. 381
scriptum ter. Pati, Pati, Pati. 414
Pallium Archiepiscopi cruciarium. 416
Proditionis symbolum scyphus. 483
Patrum dicta sincerè investiganda ubi dogmaticè ajunt. 375
Pauper juxta leges quis? 720
à Pedibus Christi Sacerdos. 153
Peccatum infinita offensa Theologicè. 561
Peccatum attributis Divinis contrarium. 563
de Patientia variè & vanè disceptatum à Stoicis. 421
Patientia Th. Oborscii in servum. 384
in aurigam. 419
Pompeii. 494
Patiendi materia latè exposita. 416
Pœnitentiæ modus & praxis. 62
quales vitandæ. 80
Pœnitentia. Pater noster. Pater noster. 70
in extremis D. Aug. peculiaris. 655
Patientia vera Lipsio in cruce D. 423
de Paupertate Cleri discursus sincerus si lubet. 691

Proprium in particulari Sacerdote non contravenire Apostolicæ Paupertati. 696
Proprium & Modicum olim Sacerdotibus intra Paupertatis Evangelicæ legem. 700
Paupertas Publicolæ. 598
Pessimæ consuetudinis tacere Presbyterum in Ecclesia præsente Episcopo. 281
Peccator magna crux Christi. 169
Patientis D. Sacerdotes Patientes opus sint. 428
Patere ita ut nullo peccato patiaris. 93
Peccare consuetudine & nolle consuetudinem affectata necessitas. 668
Pati pro DEO magnum est pro quo DEUS voluit. 415
Perpeti quæ non sentias nulla virtus. 422
Pœnitens ne deseratur omnia deserenda. 66
Pauperum thésaurus Joan. Olgota dictus. 222

Q.

QUotidianum Sacrificium D. Andreæ Apostolo. 15
Alex. Ursini. 11
S. Hildulphi. 636
de hoc judicium Petri Dam. 10

Quotidiani Sacrificii duo impedimenta. 13
Quotidie ſacrificans nec bonus nec malus angelus. 19
Quotidianum Sacrum in Præſule & purpura prodigium. 11
contra Quotidianum Sacrificium cauſæ. 4
& Principum. 15
Quadrageſimâ mori lætum Juſto Lipſio. 542

R.

PRopinquus ejus poteſt Redimere. 590
Redemiſti nos Domine. 579
Recogitate eum. 429
Roſæ ſpinis additæ. 506
Redemptos ſingulos in particulari eſt de fide. 550
ideo propoſitio Janſenii contraria damnata. ib.
Reges inaugurandi mos in Mexico. 503
Receſſus ſeptem dierum S. Ivonis & cauſæ. 196
Raſum caput multa Sacerdotes monet. 233
malè occultatur. ibid.
Rubricæ generales Miſſæ. 37
Ruſticorum curæ piè affectus S. Audomarus. 317

Rudium tractatio. 243
Romæ India. 352
Rectè contra Rem nostram si è Re sit Ecclesiæ. 277

S.

TU es DEUS Salvator. 554
absque me non est Salvator. 589
Seraphim stabant. 613
Sanguis ejus emundat nos, 534
habentes Singuli cytharas aureas. 555
veni Separare. 21
Sepultus D. multis causis. 239
Sepultus in messem corporum. 240
Sanguis Christi delatus ampullâ à D. Magdalena. 542
Sacerdotum decorum curæ Deo. 7
Sacrificaturi votum ad Crucifixum. 175
Seculum punctum est. 661
de Seneca judicium Pallavicini. 423
Septem verba de cruce pro Deo & Homine probando. 519
Servorum cura. 478
Spelunca D. Magdalenæ. 542
B. Svventoslai elogium. 446
Stephanus Episc. Posn. 336
Scholastica vitia B. Joann. Cantius vitabat. 248
Scholastica fidelibus non subtiliter pensantur. 207

Scholarum institutores Presbyteri Poloni. 402
& Lucianus Presbyt. M. 702
Seminarii institutio Varsaviæ commoda. 403
Scriptura S. post passionem D. clarior. 101
Sensuum ad Crucifixum conformitas. 179
Signate vos. Usitata D. Chrysologo vox. 239
Sacerdotalis languoris causæ. 388
Sacramenta confici in mortali posse. Conclusio Scholastica non ad praxim. 367
Sacerdos tit. S. Crucis. 231
Solus in cruce Christus. 592
Superstitionis indicia. 329
Silentio Christus probatur Deus. 493
aliter in Sacris Nobiles sapiunt vulgò. 253
Sacerdotalis status crux illustris. 294
Sacerdotis serenitas sola in cruce. 293
Sacerdos Salvatoris Vicarius. 348
Sacerdos in seculo non juxta seculum. 19
Sacerdos secularis alterius seculi. 293
Sacerdos perimi potest vinci non potest. 314
Sacerdotem consanguinei faciunt divitem & egenum. 14

Sacer-

Sacerdotium plerisque fortunæ genus non diſciplinæ. 234
Sacerdotium non res doni ſed præmii. 378
Quæri ad Sacerdotium non quærere Sacerdotium. 394
Sacerdos privatus ut publicus erit. 409
In velitatione Sapientum ſæpe minùs de Sapientia. 248
Non colit qui rem Sanctam Sanctè non colit. 376
T.
TAcens conſumor. 493
Tacui neque egreſſus ſum. 485
Et ipſe Tentatus. 180
In omnem Terram exivit.
Tu es ille vir. 553
Tentatis exemplum Chriſtus. 664
Tentationum remedia. 177
Traditores prætextus hæreſis Donatiſtæ. 370
Tumulus Th. Oborſcii ad Crucem & Virtutes. 740
Tylicii Epiſcopi jocus in Conſanguineos. 718
Tirocinia olim Sacerdotum. 13
Teſtamenta Sacerdotum ex conſilio non obligatione. 721
Forma Teſtamenti. 73
Teſtamenta multos affectus noxios movent. 321

Temporalia non habendo Christus ostendit contemnenda. Aug. 715
Tenere officium dum Teneris servile est. 4
Tentatio omnis à cupiditate & metu. 664
Est qui Timendo mori moritur. 665
Ecclesia Tabernaculum. 683
V.
VIdimus Dominum. 606.
Vidi Dominum. 616
observantes Vanitatem. 665
sive Vivimus. 690
Vigilate. 730
Deus Ultionum.
Paravit D. Vermem. 513
Seductor ille Vivens. 430
Voluntariè sacrificabo. 4
Sacrificium ut Viaticum. 728
Verecundia Pii V. 728
ab Hippocrate suis præcepta. 629
Vocatio ad Sacerdotium seriò expendenda. 392
Ea ut ad crucem. 381
Varsaviensis imago Crucifixi. 170
Vincentius à S. Paulo Missionis institutor. 287
Venena pellendi non habent vim naturalem Psylli. 327
Vesperæ & Conscientiæ examen. 287
Visitationis forma Th. Oborscii. 383

& Fran. Sales. 587
Vanitatis observatio. 666
Voluptas omnis aut erubescenda aut abitura. 188
Voluptati jucunditas extrinsecus venit. 292
Voluptate nisi te fraudes illa te fraudabit. 188
Voluptates seculi contra dolorem sine dolore sumptuum. 182
in Vulgum dabit se sacerdos ut Vulgo prosit. 253
in Vanitate nihil tenes & insuper teneris. 666

X.

XEnodochiorum cura. 418

Z.

ZAcutus Judæus. 324
Zoilus malè dicebat quòd malè facere non posset. 559

Typographia Olivensis.

I.

UT pingues fundant unguenta premuntur Olivæ
Ingenii partus ut det Oliva premit.

II.

Dat nocti lucem tollitq; rubiginem Oliva.
Sacra utrumq; suis præstat Oliva libris.

J. V. gratus

S. P.

FINIS.






Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06784

